
Rés
N° 45.029

4f.029

Rés 45029

THEOLOGIA PLATONICA

DE IMMORTALITATE ANIMORVM

DVO DE VIGINTI LIBRIS, MARSILIO FICINO FLORENTINO, PHILOSOPHO sacerdote ac Medico, Græcè Latinéque doctissimo, authore comprehensa: ad vetustissimi codicis exemplar summo studio castigata.



BIBLIOTHÈQUE UNIVERSITAIRE DE TOULOUSE
DÉPÔT DE L'ÉTAT

PARISIIS,

Apud Aegidium Gorbinum, sub insigni Spei, propè Collegium Cameracense.

1559.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Extraict du priuilege du Roy.

PAR grace & priuilege du Roy, il eſt permis à Gilles Gorbin, libraire en luniuerſité de Paris, d'imprimer ou faire imprimer vn liure intitulé Theologia Platonica de immortalitate animorum, Marſilio Ficino autore. *Et faict ledict ſeigneur defences, à tous autres Libraires, & Imprimeurs, & autres perſonnes quelsconques de ce Royaume, de non imprimer ne faire imprimer ſur la coppie, ne vendre ledict liure ſans le vouloir & conſentement dudict Gorbin, ſur peine de confiſcation deſdicts liures, qui ſe trouuerront imprimez, & d'amende arbitraire. Et ce iuſques au temps & terme de dix ans, finis & acomplis à compter du iour & date que ledict liure ſera acheué d'imprimer, comme plus amplement eſt contenu & declaré par les letres patentes, ſur ce données à Villiers coſte-retz le dixſeptieſme iour d'Auril, L'an de grace mil cinq cens cinquante ſept. Et de noſtre regne l'onzieſme.*

Par le Roy,

Vous Monſieur le Cardinal de Sens, Garde des ſeaulx de France, preſent.

Signé de Vabres.

Bibliopola ad Lectorem.

VT qui fructus ex huiusce voluminis lectione ad te redire possit, candide lector intelligas, sic habe, quicquid olim disputatum fuit ab antiquis de essentia diuina, de ideis, de diuina prouidentia, de anima mundi, de intelligentiis, de sphæris cælestibus, de paradiso, de quatuor elementis, de purgatorio, de limbo, de inferno, de materia & forma, de generibus causarum, de casu & fortuna, de fato, de motu, de infinito, de loco vacuo, & tempore, de mundi æternitate, de anima intellectiua, de animabus brutorum & vegetabilium, de geniis, de dæmonibus, de resurrectione, de miraculis, de insomniis, de prophetis, de religione, & eiusmodi veterum sapientum problematibus, hoc in volumine velut in summam comprehẽdi: vbi & præterquam quòd Platonica maximè mysteria quæque recõditissima explicantur, multa etiam arcana ex scriptis Moysi, Mercurij Trismegisti, Zoroastri, Pythagoræ, Orphei, Hippocratis, Aristotelis, Hesiodi, Posidonij, Xenophontis, Lucretij, Virgilij, Ptolemæi, Plotini, Porphyrij, Numenij, Origenis, Iamblichi, Auicennæ, Algantelis, Auerrois, Solomonis, Ioannis euangelistæ, Pauli apostoli, Dionysij Areopagitæ, Augustini, Thomæ, & recentiorum Theologorum, eruta elucidantur, eruditisque omnibus familiaria redduntur. Quo nomine cum maximam in primis gratiam Marsilio, qui ea veluti apis arguta quasi per cãpos Elysios ac florida prata discurrens, vndique delibata collegit, suoque seculo edidit, tum nobis etiam nonnullã deberi putamus,

qui opus tam insigne iam diu cum tineis ac blattis decertans, caliginosisque mendorum tenebris penè obscuratum, in lucem dignitatemque suam restituendũ curauimus: indignum arbitrantes, cum tam multa passim neotericorum scripta, & sanè leuia illa quædam, quædam etiam perniciosa & impia, chartis illinantur, in manibus versentur, legantur, amentur: veterum authorum monumenta grauissima, vtilissima, religiosissimaque, contemni ac negligi, & velut pro non scriptis haberi. Itaque studium hoc nostrũ optime lector boni consule, & animi grati specimen etiam ostende, tanto maiorem hinc frugem relaturus quàm ex ætatis nostræ sciolis, quanto ætas illa aurea tot nobilium ac velut heroicorum ingeniorum ferax, hac nostra ferrea præstantior semper, vt erat, est habita.

Vale.

CAPITVLA LIBRORVM THEOlogiæ de immortalitate animorum Marsilij Ficini Florentini diuisæ in libros 18. Primus liber ascendit vsque ad deum.

Cap. primi libri.

SI animus non esset immortalis: nullū animal esset infelicius homine: cap. primo litera A car. 1

Corp⁹ natura sua nihil agit: capitulo. 2. litera E 2

Supra formam diuisam in corpore extat forma indiuidua id est anima: capitulo tertio litera P 3

Anima rationalis per substantiam immobilis est: per operationem est mobilis: per virtutem est partim immobilis partim mobilis: capitulo 4. litera K 8

Super animam mobilē est immobilis angelus: capitulo. 5. litera C 9

Super angelum est deus. Quoniā anima est mobilis multitudo. Angelus multitudo immobilis. Deus immobilis vnitas: capitulo. 6. litera 13

Cap. secundi libri.

SEcundus liber disputat de deo iam inuento.

Vnitas, veritas, bonitas idē sunt: & super ea nihil est: capitulo primo litera L 16

Non sunt dij plures inter se æquales: capitulo secundo litera F 17

Non sunt dij plures alius super alium sine fine: capitulo tertio litera F 19

Dei virtus est infinita: cap. 4. litera A 20

Deus semper est: capitulo. 5. litera I 20

Deus est vbique: capitulo. 6. litera N 21

Deus omnia agit: & seruat: & in omnib⁹ omnia operatur: cap. 7. litera B 23

Deus agit per suum esse quicquid agit: capitulo octauo litera E 26

Deus intelligit seipsum primo: ac etiā singula: capitulo nono litera L 27

Deus intelligit infinita: capitulo decimo litera L 28

Deus voluntatem habet perq; illam extra se efficit omnia: capi. vndecimo litera C 29

Voluntas dei necessaria simul & libera est, & agit libere: capitulo 12. litera D 33

Deus amat & prouidet: capitulo decimotertio litera H 35.

Cap. 3. libri.

TErtiꝰ liber descẽdit à deo: & comparat inuicem gradus rerum ad mediũ gradũ: & hunc ad alios.
Descensus per quinque gradus fit: per quos est factus ascensus: qui gradus inuicem congrue comparantur: capitulo primo litera A 39
Anima est medius rerum gradus: atque omnes gradus tã superiores quam inferiores connectit in vnum: dum ipsa & ad superos ascendit & descendit ad inferos: capitu. 2. litera D 43

Cap. 4. libri.

QVartus liber diuidit in species suas gradum rerum medium id est animam.
Tres sunt animarum rationalium gradus. In primo est anima mundi. In secundo animæ sphærarum. In tertio animę animalium: quę in sphæris singulis continẽtur: cap. primo litera B 46
Animę sphærarũ mouent sphęras per legem fatalẽ: & mouent in circulum: quia ipsę sunt circuli: cap. 2. lite. F 55

Cap. 5. libri.

QVintus liber tractat de immortalitate animę per rationes communes.
Omnis rationalis anima est immortalis. Prima ratio: quia ꝑ se mouetur: & in circulũ: cap. primo litera C 58
Secunda ratio. Quia stat per substantiam. capitulo secundo litera. E 59
Tertia ratio. Quia hæret diuinis: capitu. tertio litera F 59
Quarta ratio. Quia materiæ dominatur: capitulo quarto litera G 59
Quinta ratio. Quia est à materia libera: capitu. 5. litera I 61
Sexta ratio. Quia est indiuidua capitulo sexto litera E 62
Septima ratio. Quia esse suum habet in sua essentia: capit. septimo litera H 63
Octaua ratio. Quia esse proprium habet: & nũquam à sua forma discedit: capitulo octauo litera B 64
Nona ratio. Quia sibi per se conuenit esse. capitulo nono litera A 65
Decima ratio. Quia ꝑ se refertur ad deum: capitulo decimo litera D 67
Vndecima ratio. Quia non cõponitur ex aliqua potẽtia: in quã possit resolui: capitu. vndecimo litera D 68
Duodecima ratio. Quia nõ habet in se potẽtiã ad nõ esse: capitu. duodecimo lit. A 69
Tertiadecima ratio. Quia esse à deo accipit sine medio: ca-

pitulo.13.litera B 71
Quartadecima ratio. Quia est per se vita:cap.14.litera D 73
Quintadecima ratio. Quia vita est prestantior corpore: cap.15.litera H 75

Cap.6.libri.

SExtus liber tractat de anima per rationes propriας:quod sit indiuisibilis quantū ad partē vegetatiuā.
Reductio opinionum de anima in quinque capita:capitulo primo litera A 79
Plebei philosophi non ratione aliqua persuasi:sed praua decepti cōsuetudine, corporalem animam posuerunt:capitulo secundo litera G 80
Anima non est corpus,aut forma diuisa in corpore:vt ostēditur per virtutē animæ naturalem: capitulo tertio litera F 86
Prima ratio. Quia anima est principiū nutriendi:& quomodocunque aliter operandi:capitulo quarto litera A 86
Secunda ratio: Neque corpus animatum est,neque inanimatum: capitulo quinto litera B 87
Tertia ratio: Neque crassum corpus est:neq; subtile:cap. 6.litera C 87
Quarta ratio. Corpusex materia & forma componitur: cap.septimo litera A 88
Quinta ratio. Corpus natura sua dispersum est: capitulo. 8.litera D 89
Sexta ratio. Duo corpora non sunt in eodem loco: capitulo nono litera I 89
Septima ratio. Corpus non est simul totū in pluribus:capi. 10.litera C 90
Octaua ratio. Anima est vita, aut fons vitæ:capitulo vndecimo litera F 91
Nona ratio. Corpus seipsum non mouet:capitulo duodecimo litera I 91
Decima ratio. Anima non crescit ad corporis huius augmentum: capitulo decimo tertio litera I 95

Cap.7.libri.

SEptimus liber. De anima ꝙ sit indiuisibilis quantum ad partem sensitiuam.
Anima non est corpus:aut forma diuisa in corpore,aut talis formæ pūctum aliquod: sed est forma in qualibet ꝑte corporis tota:vt ostēditur ꝑ potentiā sentiendi li.A 96
Prima ratio. Corpus non capit imagines aptas ad sensum: cap. primo litera B 96
Secunda ratio. Oportet quinq; sensus ad vnū cētrū cōduci: capitulo secundo lite.A 96

Tertia ratio . Quo angustior sensus est, eo est perspicacior: cap.tertio litera C 98
Quarta ratio si sensus diuiduus sit:in eo imago sensibilis diuidetur:cap.quarto lit.F.98
Quinta ratio. Anima sentit vbique tota: capitulo quinto litera A 99
Sexta ratio.Anima non necessario patitur sentiendo : capitulo sexto litera C 101
Septima ratio . Rationes propriæ per naturalem & sensitiuam animę vim,quòd anima nõ sit forma diuidua: quia qualitatis opus vnum est.cap.septimo litera H 102
Octaua ratio.Complexio agit per vim qualitatum cap. 8. litera I 102
Nona ratio.Complexio est accidentalis forma cap. nono litera A 102
Decima ratio.Harmonia complexionis nihil agit in corpus:cap.10.litera C 103
Vndecima ratio. In omni corpore cõposito est harmonia cap.11.litera E 103
Duodecima ratio . Harmonia intelligitur,aut compositio ipsa membrorũ , aut aliqua compositionis ratio:cap.12. litera F 104
Tertiadecima ratio . Harmonia humorũ nihil capit absque materia:cap.13.li.A 104
Quartadecima ratio. Quę magis concinit: magis est harmonia:capit.14. litera B 105
Quintadecima ratio. Harmonia nihil admittit dissonũ: cap.15.litera C 105

Cap.8.libri.

Octauus liber de anima quantum ad partẽ intellectiuam:quum indiuisibilis sit : & ideo immortalis.
Prima ratio. Anima est forma indiuidua vbiq; tota,& nullam trahit originem à materia:ideoque immortalis est: vt ostenditur per intelligendi virtutẽ.Animus per quatuor gradus ascendit ad spiritum cap primo lite H.105
Secunda ratio.Anima alitur veritate:cap.secundo lit. F 107
Tertia ratio . Virtus animæ : quia indiuisibilis est:corporis qualitas esse nequit:cap. 3.litera D 110
Quarta ratio. Species conceptioque intelligibilis suscipi non potest à corpore:cap.4. litera B 112
Quinta ratio. Si mens est corpus: tangendo intelligit & currendo:cap.5. litera A 117
Sexta ratio. Intellectus accipit secundum se totũ:quicquid capit:quod non faciet,si fuerit corporalis:capitulo sexto litera C 118

Septima ratio. Intellectus accipiendo rerũ formas: non amittit suam. Corpora contra: capitulo septimo litera A 118

Octaua ratio. Forma est in mẽte vniuersalis. Talis in corpore esse non potest. capitulo octauo litera C 119

Noua ratio. Mentes se inuicem complectuntur. Corpora nequaquam: cap. 9. litera F 119

Decima ratio. Mens per omnia corpora operatur: & supra corpora: cap. 10. litera G 119

Vndecima ratio. Mens statu ꝓficit. Corpus motu: capit. 11. litera B 121

Duodecima ratio. Quę in materia sunt contraria, nõ sunt in mente contraria: capi. 12. litera C 121

Tertiadecima ratio. Mens accipiendo formas nõ mutatur: cap. 13. litera E 121

Quartadecima ratio: Operatio corporis tendit ad rem compositam. Mentis ad simplicia: cap. 14. litera H 122

Quintadecima ratio: Operatio mentis finitur in operatione: operatio corporis in opere: capitu. 15. litera A 122

Sextadecima ratio: Forma corporalis non habet vim infinitam. Mens habet: capitulo decimosexto litera G 124

Cap. 9. libri.

NOnus liber. Quod sit immortalis efficaci⁹, nõ modo ex eo quòd est indiuisibilis: sed etiã ex eo, quod à corpore nõ depẽdet. Probatur per rationalem virtutem Animã non modo esse formam indiuiduam: verũ etiã à corpore non pendere: vt euidentius immortalitas demonstretur. Prima ratio: quia mens reflectitur in seipsam: capitu. primo lit. A 126

Secunda ratio: Mens quo magis separatur à corpore: eo melius se habet: capitulo secundo litera C 127

Tertia ratio: Mens repugnat corpori: capitulo tertio litera G 127

Quarta ratio: Anima libere operatur: capitulo quarto litera C 130

Quinta ratio: Mens absq; corpore operatur: capitulo quinto litera C 135

Sexta ratio. Anima conuenit partim cum diuinis: partim vero cum brutis: cap. 6 litera A 141

Obiectio Epicureorum: & responsio de rerum temperatione: cap. 7. litera H 143

Cap. 10. libri.

DEcimus liber: Quod sit immortalis: quantum ad ordinem rerum.

Prima ratio: Sicut vltimum in ordine corporum est incorruptibile: sic & vltimum in ordine mentium: capit. primo litera E 144
Obiectio Epicuri: & responsio de rerum serie: capitulo secundo litera D 146
Secunda ratio: Sicut in rebus naturalib⁹ fit solutio ad primam materiã immortalẽ: sic ad formã vltimã immortalem: cap. 3. litera E 149
Obiectio Epicuri: & responsio de formis deo simillimis: capitu. 4. litera G 152
Responsio planior de formarũ gradibus: capitulo quinto litera C 153
Obiectio Lucretij, & respõsio: ꝙ mens potest absque corpore operari: capitulo sexto litera H 155
Obiectio Epicuri & responsio, quòd deus non facit mentẽ nisi ex seipso & per seipsum: capitulo octauo lite. G 157
Obiectio Panetij, & respõsio: quod anima sine medio est ex deo: capitulo octauo litera H 159
Tertia ratio: quale est obiectũ, talis est potentia: capitulo nono litera B 161

Cap. 11. libri.

VNdecim⁹ liber: Quod sit immortalis: inquantũ vnitur cũ obiectis eternis: & spẽs inde accipit absolutas.
Prima ratio. Mens vnitur obiecto perpetuo: & species suscipit absolutas rationesque sempiternas: ca. 1. lite. F 162
Obiectio & responsio de vnione mẽtis cum speciebus absolutis: & rationibus sempiternis: capitulo secundo litera E 163
Obiectio Epicuri, & responsio: ꝙ species innatæ sunt menti: cap. tertio lite. B 165
Confirmatio superiorum: atque insuper de ideis: capitu. quarto litera B 171
Confirmatio superiorum per signa: capitulo quinto litera C 178
Ratio secunda: Mens est subiectum veritatis eternæ: capitu. 6. litera F 182
Obiectio Scepticorum & respõsio: quod aliquid certum sciatur: cap. 7. lit. C 186
Obiectio Peripateticorum, & responsio quòd veritas animum familiariter habitat: capitulo octauo lite. E 187

Cap. 12. libri.

DVodecimus liber: Quod sit immortalis: quia formatur diuina mẽte.
Rationes multæ & signa: Mẽs humana intelligendo, men-

te diuina formatur: capitulo primo litera B 188
Quæstio prima de ascensu ad deū id est quomodo mēs in diuinam eleuatur ideam:capitulo secundo litera D 192
Quæstio secunda:quā ob causam in eo statu deū nos videre nequaquam animaduertimus:capitulo tertio litera G 192
Quęstio tertia:quo pacto deus nobis intelligentiā infundit assidue cap.4. litera M 195
Confirmatio superioris rationis:prima per visum:capitulo 5.litera D 188
Secunda confirmatio per auditum secūdum augustinum: cap.6.litera E 202
Tertia confirmatio per mentem secūdum Augustinum cap.7.litera A 204

Cap.13.libri.

TErtiusdecim⁹liber. Quòd sit immortalis per quatuor signa.s. à phantasiæ affectibus,rationis effectibus,artibus,miraculis.
Quantum anima corpori dominatur, à multis ostēditur signis:ac primum ab affectibus phantasiæ:cap. primo litera C 208
Signum secundum ab effectibus rationis,& vaticinio:ca. secundo litera E 210
Tertium signum:ab artium & gubernationis industria:ca. tertio litera N 219
Signum quartum : ab effectu miraculorū: capitulo quarto litera D 222
Quęstiones sex de miraculis& solutiones: capitulo quinto litera C 227

Cap.14.libri.

QVartusdecimus liber. Quod sit immortalis secundum duodecim dei dotes : quas anima imitatur.
Quod anima nitatur deus fieri:ostendimus signis duodecim secundū duodecim dei dotes:cap.1.litera A 229
Quintū immortalitatis signū ab eo, quòd anima appetit primum verum,& primum bonum:cap.2. litera A 230
Sextum signum : quia animus conatur oīa fieri c.3.li.E 233
Septimum signum & octauū: quoniā animus conatur facere omnia: atque item omnia superare:cap.4.lit.E 235
Nonum signum:& decimum: quòd homo affectat vbique esse:atque item esse semper cap.5.litera I 235
Signum 11.12.13.14.quòd cupimus quatuor dei virtutes assequi:cap.6.lite. B 237
Decimum quintū signū: quòd

animus summam expetit opulentiam,& voluptatem: capitulo 7.litera H 239
Decimumsextum signū: quòd colimus nos ipsos,ac deum: cap.8. litera H 241
Religionem esse humano generi maxime omnium propriam:& veridicam capitulo.9.litera B 243
Tres obiectiones lucretianorum, & solutiones. prima: capi.10. litera C 145

Cap.15.libri.

QVintusdecimꝰ liber.Soluit quęstiones Auerrois de intellectu.
Sequūtur quæstiones quinque de anima. Prima vtrum sit vnus cunctorum hominum intellectus: lib primo litera D 251
Confutatio Auerroīs: ꝙ mens sit forma corporis:patet primū ex ordine naturę:cap.2. litera B 254
Quomodo mens propinquat corpori:capitulo tertio litera A 259
Quomodo mēs adsit corpori: capitulo quarto litera E 259
Quomodo mens insit corpori: capitulo quinto litera C 261
Quod mens sit forma corporis:patet ex opinionibus actionibusque humanis.Ratio prima. Quia homo est animal rationale:cap.2.litera E 263
Ratio secunda. Quia homo intelligit: capitulo 7. litera A 264
Ratio tertia.Quia homo libere seipsum mouet: capitulo 8.litera G 267
Ratio quarta. Quia vires animæ se vicissim tum impediunt,tum mouēt:capitulo. 9 litera. C 268
Ratio quinta. Quia separata mens non indiget phātasia: cap.10.litera B 269
Ratio sexta. Quia intellectus vterque est virtus in anima: capitulo 11.litera C 272
Solutio rationum Auerroicarum de mente separata: capitulo 12.litera G 274
Solutio rationum Auerroicarum de mente vnica : capit. 13.litera A 276
Signa: quod non sit mens vna tantum : capitulo. 14. litera C 279
Rationes: quòd non sit mens vna. Prima quia septem inde contingunt superflua:capitulo 15.litera E 280
Secunda : Quia mens species seruat:ac tamdiu plena omnium debet esse : capitu.16. litera B 281
Tertia : Quia quotiens duo rē eandem intelligunt:totiens omnino sequūtur absurda: capitulo 17. litera B 284

Quarta. Quia vel eadem esset multorum hominum scientia: vel superfluæ qualitates in eodem: capitu. 18. litera B 286. 287

Quinta. Quia contradictoria in eodem essent: capitu. 19. litera C 288

Cap. 16. libri.

SExtusdecimus liber. Quæstiones soluit Epicureorum.

Sequitur secunda quæstio: Cur animi terrenis corporibus sint inclusi. Ratio prima: vt cognoscant singula: capitulo primo litera D 291

Secunda ratio. Vt formę singulares cum vniuersalibus formis conciliẽtur: capitulo secundo litera D 296

Tertia ratio. Vt tam radius diuinus, quam eius formulæ reflectantur in deum: capit. tertio litera E 296

Quarta ratio. Vt anima fiat beatior: capitulo quarto litera G 297

Quinta ratio. Vt vires animæ inferiores ad effectum progrediantur: capitulo 5. litera K 297

Sexta ratio. Vt mundus ornetur, colatur deus: capitulo sexto litera A 299

Tertia quæstio: quam ob causam animi: si diuini sunt per turbationibus afficiuntur: capitulo septi. litera F 302

Quarta quæstio: quare animi à corporibus inuiti discedũt capitulo 8. litera A 306

Cap. 17. libri.

SEptimus decimus liber. Soluit quęstiones platonicas.

Quinta quęstio: Qualis sit animę status antequam ad corpus accedat: Qualis & post discessum. Ordo sex priscorum theologorum: & sex Achademiarum: capitulo primo litera B 309

Expositio Platonis de anima secundũ duas achademias vltimas. De compositione animæ: capitulo 2. litera D 309

Species & circuitus animarum secundum duas similiter achademias vltimas: capitulo tertio litera F 313

Quod Plato rectius exponatur more Academiarũ quatuor præcedentiũ præsertim primæ & quartæ: capitu. 4. litera A 316

Cap. 18. libri.

OCtauus decimus liber. Sententiam fert de anima ex cõmuni theologorum omniũ consensu.

Quod Plato non prohibet fi-

dem adhibere theologię hebręorum:christianorum arabumque communi: capi. primo litera A 319
Angelos & animos nõ semper fuisse:cap.secundo lite.B 323
Animæ creantur quotidie: capitu.tertio litera G 324
Vnde anima descendit in corpus:cap.quarto litera A 326
Qua parte cæli animæ creantur. Qua ve descendunt:capitulo 5.litera A 328
Quando infunditur anima cor pori:& quo in corpore viuẽs ducitur:cap.6.litera D 328
Qua parte corporis anima ingreditur. Qua egreditur: & quo duce progreditur:capi. septimo litera G 329
Vbi est anima pura, & qualis corpore mortuo:cap.8.litera I 329
Status animæ puræ:cap.9.litera B 333
Status animæ impuræ:cap.10. litera E 334
Status animæ mediæ id est infantum, atque similiũ: cap. 11.litera F 335
Cõclusio exhortatoria:cap. 12. litera C 347

FINIS.

PLATONICAE

Theologiæ Marsilii Ficini Platonicorum eminentissimi, Platonicæ Theologiæ luculentissimum repertorium: per Lucam panætium canonicum Olchinēsem artium & legum professorem: secundum multiplicē alphabeti seriem nouiter æditum.

A.

ACheron: Stix: Flegeton: Cocytus inferorū loca quid sint: & quomodo interpretentur: lib. 18. litera E char. 345

Actionis ad cuiusque naturalis perfectionem quæ & quot exigantur: lib. primo lit. G 2

Actuum opera eatenus incorrupta permanent, quatenus naturæ vi seruantur: vt ipsa statua, quę per naturalem lapidis aut æris soliditatē diu constat: libro secundo litera L 25

Affectus inueteratus secūdum Hyppocratem & Galenum priorem mutat corporis cōplexionem: & in suā naturā trahit: libr. 13. litera A infra 223

Affectus quatuor: qui quatuor sequuntur humores: luculēter Maro descripsit: partim platonem, partim Mercuriū Trismegistū imitatus: libr. 18. litera L 334

Agens primū à reliquis agenti busin quo differat: lib. secūdo litera H 26

Albedo quæ est in parte quauis corporis albi, quid propriè secūdum Platonem dicenda sit lib. 12. litera O 3

Alexandro regi dormienti draco herbam monstrauit, qua Ptolemęū curaret grauiter vulneratum: lib. 3. lit. G 217

Alexāder macedo cum audisset Anaxarchum & Democritum mundos innumerabiles esse, disputantes: Heu me miserum, exclamauit, q̄ ne vno quidem adhuc potitus sum: lib. 14. litera G 235

Alexāder macedo inter reges, & Empedocles inter philosophos tanquam dij haberi optauerūt: lib. 14. li. H 235

Alexander aphrodisius, Themisti⁹ Proculus & alij quid de animi immortalitate de mē te aristotelis senserint: libro 15. lite. G cū sequen. 251

Amicitiæ finis est vitæ cōmunio: lib. 14. litera A 243

Angeli etsi mũdi corpora moueant:ipsi motis corporibus nullo modo mouentur: secus tamen de animabus intellectiuis libr.primo litera F 11

Angelos esse: atque esse multos quomodo Aristoteles diuinorũ 11.probet:libro primo litera M 12

Angelorum ordinibus distinguendis Dionysius areopagita, ternario, nouenarioq; numero:interdum etiã septenario vtitur: libro primo litera D 13

Angelus nihil aliud est quàm immobilis multitudo:libr. primo litera H 13

Angelus an merus actus existat: vel ex actu & potentia componatur:lib.3.lite.I 40

Angeli sublimes secũdum Platonem quem gradum teneant:libro 10. litera G 150

Angelus cũcta dei opera & singula conspicit: & quonam modo angelus respicit,vt omnia videat:nũquid in corpora aciem dirigat: vel ne: lib.16. litera F cum seq.292

Angelus nunquid per dei essentiam omnia discernat:libro 16.litera H 292

Animæ rationales inter æternitatem tempusque cõstitutæ sunt:libro primo litera C 11

Animę opus est vitalem motũ prębere:quando ipsa vita q-dam est:li.1. litera E 15

Animam ideo iudicamus corpore meliorem, quoniam summæ bonitati propinquior est:libro secũdo lite.I 19

Animæ rationalis diffinitio q-nam sit lib.tertio litera F 41

Animam terræ rationalem esse cur necessarium sit: libro 4.litera B 49

Animæ essentia cur immobilis esse dicatur:lib.5.lit.G 70

Anima an ita à deo fiat: vt per angelum tãquam medium efficiatur:lib.5.lite.A 72.73.

Anima abeunte corpus viuere desinit: ac dũ corpori adest nullo momento cessat vitæ opera exercere corpus viuificando:lib.5.litera E 74

Anima sicut non interit: nunquid tamen in deteriorem commutetur essentiam lib. 5.litera A 78

Animę nostrę tria potissimum officia esse videntur:& quid vnumquodque sit:libro sexto litera H 80

Animæ rationalium differentiæ quæ sint:lib.6.lite. D 86

Animæ virtus in corpore eadẽ ferme est:quod coaguli virtus in lacte: vel vis magnetis in ferro:quod inde trahitur & suspenditur: libr.6.litera B 90

Anima tota singulis partibus simul adest, quando tota simul sentit in singulis: libro septimo

septimo litera B 99
Animæ tota vis iudiciaria vna cum tota animæ ipsius substantia singulis membris est præsens: vt quidquid vbique fit, statim sine internuncio tota persentiat, tota etiam sibi compatiatur: & cætera quę ibi sequũtur. lib. 7. liter. D 100
Animę officia duo sunt scilicet speculari & consultare: lib. 2. litera H 127
Anima an significationem voci per linguam exhibeat. li. 10. litera G 158
Animæ brutorum singulis in specieb⁹ singulares artes exercent: vt laneam telã in secta seritia: lineam araneę, hirundines figulinam: &c. lib. 11. litera C 179
Animæ potentias in quibus cerebri partibus Auerroiscollocet: lib. 15. lite. C 253
Anima secundum aristotelem est actus corporis physici, organici potentiam vitam habentis: siue anima est principium viuendi, sentiẽdi, intelligendi & secundum locum mouẽdi: libro decimo quinto litera C 266
Animę à corpore dissolutio cũ secundum Plotinum malũ sit, ad animam nõ pertinet: quoniam ipsa se corpori nõ miscet: & alia multa pulchra de hoc: lib. 15. litera B 275
Animæ defunctorum cur non redeant, & cur etiam non videantur: li. 16. litera H cum plu. seq. 298
Animas rationales diuinã prouidẽtiam modis quatuor imitari Platonici sentiunt: & alia quæ ibi sequuntur: lib. 16. litera D 301
Animã Pythagorici & Platonici ex quibus misceant: libro 17. litera A 310
Animam super tria potissimũ cogitantur scilicet essentia, vita, intelligentia, & quid vnaquæque sit: libr. 17. litera D 311
Anima in componenda cur Timæus platonicus proportionibus vtatur: lib. 17. lit. E 311
Anima in figuranda solent Pithagorici mathematicis tã figuris quam numeris vti: lib. 17. litera F 311
Animarum tres præcipuæ species, scilicet diuinæ, deum sequentes semper, aliquando sequentes: primis Pithagorici sapientiam assignant: secundis opinionem rectam: tertiis opinionem ancipitẽ: libro 17. litera C 314
Anima mundi necessitas ideo dicitur: quoniam fatali eius virtute dicitur vniuersum: lib. 17. litera E 315
Animæ transmigrationem ab homine in bestias Iamblicus reprobauit: Porphyrius

etiam circuitum infinitum: lib.17.litera C 316
Animas esse ante corpora cur plato: sicut etiam Christianorum aliquis opinatus est: lib.17.litera A 317
Animas hominum transire in bestias cur Plato senserit: & alia multa ad hoc figmenta: lib.17.lite. A 317
Animæ vehiculum quid Magi vocent: & quid Plato & Plotinus: & quid etiam Zoroaster, cum dicit: ne sedes spiritum: neque in profundum exauges quod est planũ: lib. 18.litera C cum sequen. 327
Animæ elementorum: earumque currus cur ad cælestem habitationem non annitantur: li.18.litera L 330
Animę secundum Plotinũ quę sint quę curant suos: & sæpe publicè vaticiniis cæteriſq; beneficiis generi humano prosunt: lib.18.litera A 330
Animæ quæ ex lethea emerserunt aqua altius euolant: li. 18.litera D 331
Animę purgatę secundum Platonem, quæ diuinam pulchritudinẽ amauerunt: tandem in ipsum diuinum pelagus diuiniąque ibi liquoris non tantum bibunt: sed etiam in alios ex seipsis effundunt: lib.18.litera G 331
Animæ duplex felicitas secundũ Plotinũ & Hermiã, & q̃ vtraq; sit: lib.18.lite.B 338
Animabus nouẽ regiones Orphæus distribuit: & quid vnaq̃q; sit: lib.18.lite.K 334
Animus humanus deus quidã, siue stella circunfusa nube, siue dæmõ, nõ incola terrę: sed hospes appellari debet: lib.10.litera D 149
Animus à se quomodo disgrediatur: libro 10.litera E 156
Animarum nulla secundũ Platonem tartaro deputata egredi potest: de ipsarum animarum locis multa pulchra: lib.18.lite.H cum seq. 344
Animalia multa in terra existunt: quę propriam habent animam à communi anima terræ distinctã: & alia multa de hoc: lib.4.litera A 49
Animal nullum homine insipientius est: si ea vis animi, quæ hominis præcipua est, magis quàm sensus qui cõmunis est bestiis: falleretur: lib.6.litera F 82
Animalium quot species esse dominentur: lib.9.lit.A 143
Appetitus omnis causę suę possessione impletur: lib. 10.litera C 160
Apollonius: Theaneus: Pythagoras: Empedocles: & Philolaus multa miracula fecere: lib.13.litera I infra 224
Apollonius Theaneus ex vrbe roma: q̃ in Egypto fiebãt, p̃spiciebat: libro.18 lit.K 328

Arabũ aliquis nõ est audiẽdus fingẽs intellectũ humanũ: & in hac vita neq; in singulis: saltẽ in cũctis hominib⁹ assequ: lib.14.litera G 252
Archelaus fuit Socratis ꝑceptor, Archelai Anaxagoras, Anaxagorę Anaximenes, Anaximenis anaximãder, anaximadri Thales: lib.11.li.B 181
Archimedes Syracusanus geometricis figuris intentus, tu multuosum excidiũ pereuntis patriæ & innumerabilẽ supra caput hostẽ nõ sensit: lib.13.lite.G 210
Archimedes Syracusanus ęneũ cælũ fecit: in quo omnes septem planetarũ motus verissime vt in cęlo cõficiebãtur: & ipsa machina vt cęlũ voluebatur: lib.13.lite.O 219
Archita Tarẽtinus colũbã è ligno mathematica disciplina fecit, librauit, inflauit spiritu adeo vt volaret: l.13.li.O 219
Ars humana quid sit, quid natura, quid artificiũ, quid naturæ opus: li.4.li. H.cũ seq.47
Ars & natura quidquid agunt, ex potẽtia quadã educunt in actum: sicut sculptor ex lapide, &c. li.5.lite. G 71
Artiũ inter homines & bestias triplex differẽtia: li.11.li.E 181
Aristoteles secundum Platonẽ sine controuersia cẽsuit, hominũ animos esse multos & sempiternos: li.15.li.F 251
Ars vulgaris nihil aliud est nisi rerũ exptarũ placitarũq; memoria vsu quodã corporis, atque operationis adiũcto: lib.12.litera H 199
Astrologi in alicuius genesi iudicãda q̃ ꝑferãt: li.9.li.A 134
Auerrois Hispanus patria, lingua arabs, Aristotelis doctrinæ deditus, græcæ linguæ ignarus, Aristo. lib. in linguã barbarã è græca ꝑsos potiusquam conuersos legisse traditur: vt nõ mirũ sit, si in quibusdam rebus recõditis breuissimi scriptoris mens eũ latuerit: lib.15. lite.E 252
Auenzoar Albumarõ medicus scribit se à medico nup defuncto ꝑ somniũ accepisse optimũ oculo suo ægrotanti remediũ: lib.16.lit.L 299

B

Basiliſci apud Cyrenẽ oculorũ vaporib⁹ homines interficiũt: lib. 13.li.F 224
Beat⁹ est qui diuinis in deo saporibus fruitur: miser verò qui nusquam diuinũ aliquẽ sentit odorem: minus verò beatus qui in illo pauciorib⁹ fruitur: & sic vicissim miser: lib.18.lite.G 346
Beatorũ gradus quomodo locẽtur: & etiã dãnatorũ: li.18. lite.I cum sequen. 346
Bene se habet tũc q̃libet, quãdo sibi ipsi atque principio vnitũ est, purũq; manet, ne-

quę rebus deterioribus cõmiſcetur:lib.2.li. M 16
Bene eſſe præſtãtius eſt q̃ ſimpliciter eſſe:lib.8.lite.D 123
Beſtiæ nõnullæ nomine Cato-plebę apud Heſpheros Ethiopas repiũtur: q̃ ſolo aſpectu hoẽs ĩterimũt:li.13.li. F 224
Beſtię ſecundum Platonẽ quẽadmodum nequeunt à beſtia feliciter ſine homine duci:ita neque homines ab homine ſine deo:li.14.li.I 244
Beſtiarum omnis virtus eſt animæ ſimul & corporis:quoniã ſimul cũ eſſentia ex materia trahitur,lib.15.li.H 161
Bonitatẽ ſuper non eſt aliquid: libro 2.litera C 16
Bonitas,vnitas,veritas,ſup angelũ ex Platonis mente omniũ eſt principiũ:deus vnus veruſq;,& bon⁹:li.2.li.D 17
Bonitas diuina non eſt dicenda malefica,quòd cõmitti peccata ꝓmittat:puniatq̃ cõmiſſa:li.14.litera.I 250
Bonũ ꝓpter omnia, immo bonũ in omnibus vbiq; volumus,tã libenter tãq̃ iocũde:vt velimus inſup nõ poſſe nolle:lib.primo lite.K 15
Bonum latius eſt quàm vita, quoniam pluribus conuenit:lib.2.litera R 21
Bonum ipſum Plato in epiſtolis deum patrem nominat: ipſum vero intelligibile,deũ filium: Plotinus quoque & deum de deo: & de luce lumen & rationem verbum q; dei:lib.11.lite. F cũ ſeq. 172
Bonum omnia ſimpliciter appetunt:eſſe verò non ſimpliciter:ſed bene eſſe duntaxat formæ etiam ſi bene eſſe omnino: neque aut eſſe non appetẽt ex Olimpiodori ſententia:& alia multa quę ibi ſequũtur:li.12. litera H 194
Bonum & vnum ſecũdum Platonem idem eſt & intelligitur:li.12.litera K & ſeq. 194
Bonũ hominis in actione quadã cõſiſtit: expedita,ſecuta, continua: lib. 14.lite.B 240
Bonũ ipſum (vt Plotinus ait) effuſo ſplẽdore,intellectum procreat: intellectus quoq; dũ explicatur animũ exprimit rationalẽ, anima ipſa ſe ꝓpagans,vitã efficit:formã q̃ corporeã: li.16.li.C 301
Bonum ſempiternum, malum ve ſicut chriſtiani: an plato ſignificauerit:li.17. lit.B 318
Brachmanę Indi apud Indos:apud perſas Magi ſimulq̃ apud Chaldeos Indi:& Græci ex Porphyrij ſententia votis incubuerunt, deum q̃ coluerũt:li.14. litera D 245

C

CHaos antiquum materiam primam priſci theologi vocauerũt:cui deus, vt timæus docet, virtutem applicat: & alia multa pul-

chra ad hoc:lib.10.lite.I 157
Chaldei & Egyptij mathematici prædictione futurorũ pollebant:li.13.litera A 221
Canis morsu qui rabie concitantur,nonnunquam etiam in ipsa furoris incursione imminente in insaniam anı maduerunt : & in somniis terrentur horrendis: aduersus phantasiam reclamant: sæpissime se somniare dicẽtes:libro 9.litera F 140
Causa quælibet suum aliquem in rerũ ordine producit effectum:li.2.litera G 19
Causa particularis quemadmodũ particulari effectui adest ita vniuersalis vniuersali: li. 2.litera O 21
Causa ꝓpriè deus vocatur,qui solus rem quamlibet efficit totam,neque cogitur aut alterius auxilio indigere , aut aliundè materiam mutuare li.2.litera N 25
Causa prima vehementius agit in quouis effectu quàm reliquæ causæ : & alia multa pulchra quę sequuntur:lib. 2.litera D 26
Causa omnis per formam agit & quanto amplior causa est tãto per ampliorem formã agit:lib.2.litera N 27
Cęli corporea subst antialisque forma sentẽtia Auerrois & Aristotelis materia caret:li. 1.litera A 7
Cælũ à quo principio moueatur:an scilicet, à deo: vel alio:lib. 4. litera B cum plu. seq. 51
Cæli mouendi motus pulchro exemplo declaratur: libr.4. litera C 57
Cælum stare nequit: quoniam eiꝰ anima quiescere nequit: neque tamen locum sibi naturalem relinquere vult: li. 4.litera F 58
Cælum sublime formas corporum reliquorum vel actu, vel actiua virtute complecti tur:lib.10.litera F 144
Cæli primi ordinem deus obtinet:vicem sequentium corporum mediæ tenent mentes:locus materiæ infimę in fimus intellectus : libro 10. litera G 145
Cæli plagæ quot sint secundũ Platonicos & Christianos: li.18.litera B 232
Circulus est figura: à cuius cẽtro ad circũferentiam omnes lineæ in rectum ductæ sunt æquales:lib.11.litera D 185
Complexio temperatissima ex quibus significetur:libr. 10. litera I 148
Compositio nihil aliud est quã plurium vnio : plura autem non vniuntur nisi ab vno:li. 7.litera H 104
Cõplexio sana & naturalis quę nam sit:& alia multa de cõ-

plexionibus:lib.14.li.C 145
Cleombrotus cùm sibi animę immortalitatē persuasisset: se hac vita alterius amore priuauit:li.14.li.H 147
Cornelius sacerdos iustissimus vt Aulus Gelius scribit,pata uij mente motus fuit eo tēpore quo Cęsar,&pompeius in thessalia confligebant:adeò vt & tempus & ordinē & exitum pugnæ videret:li. 13.litera D 211
Corpus ex Platonis sententia ex materia quadam & quan titate constat: & alia multa de hoc lib.primo litera E 1
Corpora p̄stantissima apud pla tonicos sunt cælicolarū dęmonūq;:& hominū li.1.l.B 11
Corporum naturalium conditiones quę sint:li. 5. li.A 64
Corporis cuiuslibet est certa & determinata natura ac forma: sicut locus terminatus est,& certum tēpus,&finita potentia:lib.6.litera H 91
Corpus nō potest verè primoque per se mobile esse: cum ipsi secundum se totum id competere nequeat: quādo eius partes assęq id nō valēt vt se moueāt:li.6.lite. G 92
Corpus humanum nunquid ea est dignitate donatū,vt mētem perpetuā excipere hospitē mereatur:li.10.li.G 148
Corpus aēreū aliquod cur hominibus datum non est, in quo terram coleret,& liberius cælestia specularetur:li. 16.litera D 305
Corruptio ex materiæ insidiis prouenit: li.8.lite.E 119
Creationem quòd Aristoteles vocaret in speciebus, Plato corruscationē cognominat: per quam expergefactus oculus rationis speciebus mētis irradiatur:li.11.li.E 169
D
DEcor omnis à deo est:li. 2.ca.12.li.F
Diffinitiones rerum vniuersales perpetuæ sunt : vt homo est animal rationale: proprietates quoque specierum , quæ propriè diffiniuntur , sunt sempiternæ : vt omne rationale potest ratiocinari:li.11.lite.D 163
Dæmones malefici secundum Hermiā homines ꝑ viribꝰ ad inferiora detorquent:sed alij sunt custodes,q eos eligūt: alij autē quos ipsi homines eligūt:li.18.li. F 329
Dæmones hominum geniique secundū Plotinū egredientes animas, ad cōmunē iudicē ducūt:sed lata sententia priores dęmones abeūt:malasq; violētus & malus dęmō trahit:bonas autē deustrāquillè perducit: lib.18.li.H 329
Dæmones quidā secundū ꝑculū & Auicēnā rationales esse dicūtur.li.18.li.D 343

Deus ſicut primũ in natura eſt, q agit in omnia & nihil patitur: ita vltimũ, ꝙ eſt materia corporalis: pati ab omnibus oportet: agere autẽ ꝓ ſe in aliud minime: li. 1. li. D 4
Deum nemo dicere audeat ex pluribus eſſe compoſitum: libro 1. litera I 14
Deus eſt ꝓſpicaciſſima veritas: & veriſſima ꝓſpicacia: ſiue ꝓſpectio: lux ſeipſam vidẽs: viſus ſeipſo lucens: intellectualis perſpicacię fluminiſq; fons: & cuius lumine dũtaxat mentis perſpicacia ꝓſpicit deum: lib. 1. lite. C 14
Deo eſſe atq; intelligere idem eſt omnino: lib. 2. lite. A 29
Deus nõ vt obtigit, ita exiſtit & agit: ſed vt decuit: immo vt decet: alioqn nullus ordo reperiretur: libr. 2 li. F 33
Deꝰ ſui iuris eſt maxime: vt nõ modo qualis ipſe ſuapte natura exiſtit: talia velit: verũ etiã qualiter vult, talis omnino ſit: lib. 2. lite. I 33
Deꝰ eſt actꝰ ꝓuigil atq; ꝓpetuꝰ ex ſe: in ſe, & circa ſe penitꝰ: ergo vt agit & vigilat, ita ꝓrſus exiſtit: li. 2. lite. L 34
Deꝰ & angelꝰ ſi aliqd moueãt: atq; aĩa illis ſubiiciatur: ab illis vtiq; agitaꝰ: quo igitꝰ à ſe mouetur: li. 3. li. H infra 42
Dei ſolius ꝓpriũ eſt ex nihilo aliquid facere: cũ ex ordine operum cauſarũ ordo inueſtigatur: lib. 5. litera C 71
Dei operatio eſt ꝓpetua quędã in ſeipſã cõuerſio, ꝓ quã ſeipſo fruiꝰ & gaudetꝰ: cõtẽplãdo verò ſuã videt potentiã: hanc intuẽs quæcũq; poteſt diſcernit: lib. 9. lite. C 142
Deꝰ eſſet tyrãnus iniquus: ſi ipſe mãdaret nobis ea aggrediẽda: quæ nunquã poſſumꝰ implere: lib. 14. li. E 230
Deũ quidẽ eſſe negat nemo: eſ ſe vero ipſũ dei nõ certa quadã ſpecie determinatur eſſẽ di, ꝓ quam fiat eſſe tale: vel tale lib. 15. lite. I 257
Deus pater ſecũdũ Timęũ locrenſem quõ formas generet: lib. 15. lite. G 258
Deꝰ ex ſentẽtia Platonis eſt ipſa iuſtitia: nihilq; illi iuſto ſi milius: nihil contra iniuſto diſſimilius eſſe poteſt: libro 18. litera D infra 241
Diagoras: Dicearchus: Epicurꝰ: Lucretius: licet impij prę cęteris fuerint: cogebantur tamẽ interdũ nõnihil religionibus aſſentiri: li. 14. li. F 245
Didimꝰ alexãdrinus: teſte Hieronymo à pueritia excæcatꝰ ebibit dialecticã, phyſicam, theologiam præ cæteris: & ꝙ mirũ eſt, geometra mirabilis euaſit: lib. 13. li. K 221
Dimẽſio nihil aliud eſt q̃ materię ipſius extenſi lib. 1. li. F 6
Diogenes cinicus nudus glaciẽ niueq; hyeme: eſtate ardẽtes

calcabat arenas: atque interim ridebat: & iocabatur: Polemon academicus rabidissimos canum morsus dū sentiret, ne expalluit quidē: Anaxarchus abderites philosophus à Nicreōte cipri tyranno iussus est in saxū concauum coniici ferreisq; maleis cedi: At ipse pœnam corporis negligens, inquit, tunde: tunde Anaxarchi vasculum: quia Anaxarchum non terres: & alia multa ad hoc: li. 13. litera D 209

Diuinum intelligibile secundum Proculum ipsummet est appellandum. Intellectus autem purus suiipsius atque in seipso. Intellectus animalis alio modo: & alia multa de hoc: li. 15. litera D 258

Domum infamē Athenis fuisse iunior Plinius scribit: Athenodorūque tharsensem philosophum causam comperisse: libro 17. lite. K 319

E

EXcogitatio actus est animæ: lib. 16. lit. G 308

AEgyptij, vt tradit Mercurius, deorū statuas tales construebant: vt loquerentur & irent: li. 13. litera O 219

Effectui conditio hæc innata est: vt aliunde pendeat: li. primo litera F 5

Effectus nullus vltra suam causam se extendere potest: lib. 10. litera F 160

Electio ipsa quodammodo animi opus est: & alia multa de electione: lib. 2. litera G 26

Electio hominis nihil aliud est quam actio quædā sequens humanā speciē: sicut rationis discursio: li. 9. lite. C 133

Elementa quoniam ex fluitante materia constant: seque mutuo semper inficiūt: nullum ex se ordinem obseruarent: nisi à lege cęlestis motus ordinatissima regerentur: lib. primo litera H 12

Elementorum media corpora videlicet quatuor sphęre ptim incorruptibilia, & partim corruptibilia sunt: libr. 9. litera I 143

Elementorum propter qualites iaspis non prouocat partum: neque phātasmata, noxia pellit: Zaphirus cohibet sudorem, confert ad gratiam: Smaragdus extinguit libidinē: Amethistus ebrietatem sedat: li. 10. litera G 154

Elementa & plantæ quidquid agunt, necessaria quadā naturæ suæ operantur affectione: quę vna duntaxat existit li. decimo octauo lit. D 321

Euarchus quidam secundū Plutarchum egrotans tanquam iam mortuus à medicis fuit relictus & breui tempore in seipsum postea reductus dicebat se mortuum fuisse: &

in corpore iterum restitutum:& alià multa de eo:lib. decimotertio litera K 217
Enigma Pithagoricum à Xenocrate vsurpatum : animã esse numerum se mouentẽ: quo soluatur:li 3. lite.G 41
Epimenides cretẽsis annos quĩ quaginta dormiuit:Pithagoras latuit annis.10.Zoroaster verò viginti:Socrates:vt scribit Plato:à solis ortu vsque ad solem alterum orientem immobilis hisdem vestigiis & ore atque oculis in eundem locum directis cogitabundus:& abstractus à corpore stabat:li.13. lite.G 210
Esse animæ nihil aliud est quã viuere:lib.5. litera I 68
Esse est primum omnium effectuum: reliqui vero nihil aliud sunt quàm quędam ipsius esse determinationes & proprietates:li.2.litera B 26
Esse & non esse contradictoria sunt:li.5.litera F 70
Esse illud quod post nihilũ sequitur:dicitur esseabsolutũ, cum statim post nihil sequitur esse simpliciter: libro 5. litera E 71
Esse non habet aliquod contrarium nisi non esse:li.12.lite. B 207
Esse ipsum secundum Peripateticosquomodo diuidatur: lib.16.litera F 293
Esse cum ab essentia differat: nunquid ab essentia existat: lib.17.litera H 310
Essentia illa:quæ est animæ sedes,quam etiam animarum paterã plato in Timęo nominat:nullam à corporibus originem habet: atque etiã neque ex partibusquãtitatis constituitur:li.17.lite.B 314
Essentiarum pulchradistinctio p ꝓculum excogitata:li.11. litera A 184
AEtatis post septimum vel octauum septenariũ quid huiusmodi euenire potest:lib. 9.litera B 137
AEtates duę sunt valde religiosæ,scilicet pueritia & senectus:lib.14.litera G 245
Eudemus ciprius Aristotelis familiaris quàmobrem multa vaticinatus fuerit libr. 9. litera E 127

F

FAti assertoribus credendũ etiam est affirmãtibus singula à determinatis causis proficisci:causaq; postea necessario effectum sequi:li.9.litera E 133
Fatidici & prophetæ quæ miracula fecere:li.13. lite.G 211
Finis in eodem ordine locatur vnà cũ eo q̃ agit ad finem: lib.2.litera B 32
Fini naturali quo quid est propinquius : eo vehementius ad finem aduentat:libro 18. litera F 333

Finiti ad infinitum nulla proportio est:li.8.lite.C 125
Forma à physicis sæpe actus vocatur lib.1.li.A 3
Formę corporales non habent ex se inuicem generationē sufficientē:sed causam altiorē postulantem:li.1.li.I. 7
Formæ in deo an sint distinctę secundum quendam naturę modum: quemadmodū in igne lux,calor,siccitas, leuitas,pq; eas agit quadā naturę suę necessitate:li.2.li.E 29
Formā nouā nunquid deus vel angelus in animā inducat:p quā turbetur:lib.5.lite.G 63
Forma vnaquæque habet proprium suum esse naturam, & speciem ab aliis differentem:lib.5.lite.C 64
Forma corporibus insita excellentiam quidē amittit suā: & corporalis prorsus euadit quando omnes corporis cōditiones iā subiuit,quæ sunt secundum locum extensio: & secundum tempus mutatio:lib.5.li.B 67
Forma intelligibilis in partes inter se similes minime diuiditur:li.8.lite.B 114
Forma in arte operis triplicem gradum habet:li.10.li.H 152
Formas inter elementorū qualis ordo sit:li.10.li.F 153
Formam aliquam in natura deo simillimam exprimi oportuit:si modo diuinus artifex naturā superaturus sit: vt plato tradit:li.10.li.E 155
Formæ rerum secundum platonem:sicut per mentem diuinam in materiam per infimam animæ virtutem traiiciuntur: id est per semina formarum virtuti huic infusa:ita à formarum corporaliū pceptione non fit transitus in diuinæ mentis ideas, nisi p summā animæ ptem: id est per innatas formulas idearū:lib.12.lite.G 188.189
Formæ in corporibus secundū platonem nihil aliud sunt q̄ idearū imagines diuinarū: sicut figurę,q̄ imprimuntur in cera sigilli aurei imagines existunt li.15.li.D 254
Forma quænam sit:quā platonici tum naturalē:tum diuinā appellant: quoniā est naturalium formarū,diuinarū ve confinium:lib.15.li.E 256
Formulæ mēti vnde aduenīāt: nunquid à simulacris,an ab animi fictione, vel forsitan ab ideis:li.11.lite.F 176
Frustra nititur quòd nihil proficit:& nihil ad id quod habet admittitur: li.1. li. G 15

G

GAllenus cū circa diafragma egrotaret:somniauit se liberatū iri:si sanguinem ex vena mitteret:q̄ est inter pollicem & indicē: lib.13.lite.A 216

Galilęi nõnulli olim ſubito inſpirãte deo expiſcatorib⁹ ſũmi euaſere theo.l.13.l.D 211
Generatio principiũ eſt nutritiõis & augmẽti:li.4.li.C 46
Genere in quolibet primũ totius generis principium exiſtit:lib.1.lite.C 4
Genere in quolibet rerum illud quod eſt generis illius ſummum: vnum dumtaxat exiſtit:lib. 2.lite.G 17
Genere in aliquo quidquid eſt ſummum:puram debet habere generis illius naturã rebus aliis nõ immixtã ne p mixtionẽ minuat:l.2.l.I 24
Genere in aliquo quod eſt ſummũ: nihil contrarij generis aut immixtũ habet: aut ꝓximum:li.12.lite.B 198
Genera rerũ omniũ Platonici: Proculuſq; diſtingũt:atq; in primis vnitatẽ & mẽtẽ:animã & naturã:li.14.li.C 233
Genere in aliquo q̃ eſt ſummũ id certũ limitẽ habet: vltra quẽ gen⁹ nõ porrigit:& alia multa ad hoc:li.15.li.B 237
Genij:ſeu boni dæmones: qui genij nominãtur: ĩgenij duces aſſidui ipſi homini iſũt: qui nõ vi:ſed ꝓſuadendo ad rectã viã ducunt p oppoſitũ ſũt & mali aduerſarij & pegrini:lib.18.lite.B 341
Globo terreno ſecũdũ Platonicos vna anima ſufficit: quo niã ipſe vnus eſt omnino ptib⁹ in molẽ vnã cõtinuatis: ac vna quoq; anima ſufficit orbi aquæ:& alia multa ad hoc:lib.4.lit.I 49
Gradus corporũ ſecundũ platonicos ſunt rationalium animarũ vmbræ:animarũ autẽ gradus imagines ſunt angelorum:lib.1.li.E 13
Gradus quilibet ſupior in inferiorẽ aliq̃d operatur: & à ſupiori accipit aliq̃d:l.2.l.L 19
Gradus animarum quot ſint: lib.4.lite.E 55
Gradus rerũ quatuor Anaxagoras induxit:videlicet immortalẽ ęternitatẽ:immortale tẽpus: mortalẽ ęternitatẽ:mortale tẽp⁹:li.9.li.B 144
Gradus animarũ multiplex ſecundũ Platonicos:& quẽadmodũ angelicę vitę ſemp à corpibus ſeparatæ ſunt:brutæ verò nũq̃ ſepatæ:ſic mediæ duæ ſũt aĩæ feliciores q̃ ſemp ſepatæ:ptim cõiũctæ ſunt:& alia multa de animę mſa:li.16.li.D cũ plu.ſe.298
Guſtus nihil aliud eſt q̃ tactus aliqs linguæ:li.10.li.K 148

H

HAbitus ſiſtit motũ:& motũ quodãmodo interminatũ habitus infitus:lib.10.li.E 160
Habitus ita in naturã cõuertitur: vt talis ab illo: qualis à natura inclinatio ꝓueniat: lib.18.lite.K 330

Habitum in phantasia quodãmodo remanente Platonici restare putant: secus Peripatetici: li. 18. litera b 346
Harmonis clazomenij anima relicto corpore vagari solita erat: & multa & vera è lõginquo nũciabat: donec eo cremato, inimici eius qui cãtharidæ vocabantur remeãti animæ veluti vaginam ademerunt: quòd solitus erat facere Aristeus præconesius: lib. 13. litera D infra 211
Herbarum, animaliumque nascentium per putrefactionem causæ vbi esse dicãtur: lib. 4. litera F 46
Herus Pamphilus qui à morte surrexit: de aliorum statu multa stupenda narrauit: li. 18. litera F 345
Hierobotanum herba: vt Magi inquiunt, medicorum diuinationibus confert: Achates fouet visum, obtũdit venenum, præstat vires atque facundiam: præsens adamas magneti quod rapit, aufert: corneola sanguinis sistit fluxum & mittigat iras: onix accendit iras, terret in somniis: coral' denique, vt testãtur Metrodor' & Zoroaster insanos terrore samouet, fulgura repellit & grandinem: lib. 4. litera C 48
Hipocrates cũ Democritum, qui insanire vulgo ferebatur, curaturus adiret: p quietem à deo accepit, non democritum insanire: sed vulgus: lib. 13. litera E 217
Homine nullum animal infelicius esset: si viuendi terminum natura illi eũdem penitus atque cęteris animantibus tribuisset: libr. 1. litera A 1
Hominis animus cur non cælo subiiciatur: ex quibus apparcat: lib. 9. litera K 133
Hominis natura est: vt sicut se intelle&' habet ad speculãdi principium: quale est id quod vbique est manifeste verum: ita voluntas ad agẽdi principium: quale est ipsum bonũ: lib. 9. lite. C 133
Hominibus cur mai' cerebrũ, & cor calidius quam cęteris animantibus datum sit, lib. 10. litera A 149
Hominis omnis sermo totaq; vitæ actio: & consultatio nihil aliud est quàm argumẽtatio quędam: lib. 11. li. L 185
Homo solus inter omnia animalia ridet: solus & lachrimatur: ex eo quòd animi motus plurimum in corpus imperium habent: lib. 13. litera K 209
Homines ingeniosiores sæpenumero molles carne sunt: graciles, valetudinarij corpusque illorum quàm minimis motibus plurimum va-

riatur, quòd de Aristotele, de Platone, Speusippo, Carneade, Crisippo, & Plotino legitur. lib. 13. litera M 209
Homines in qualibet arte excellentes secundum sententiam Aristotelis melancolici fuerunt: siue tales nati siue assidua meditatione tales euaserint: lib. 13. litera I 210
Homo qui vniuersaliter cunctis & viuentibus & non viuentibus præest: est quidam deus animalium: lib. 13. litera E 220
Homo secundum naturã non cupit impossibilia: & alia multa de appetitu naturali: & præter naturam per totũ capitulũ: & liter. I 246
Homines soli animantium deum colũt: soli deũ affectu, gestibus, verbis, delubris, sacrificiis honorant: quod Plato & Pithago. maximũ esse vult diuinitatis indicium: li. 14. litera B 241
Homo stultissimus est animalium omnium, atque miserrimus: si neque præsenti fruitur vita: neque futura: li. 14. litera G 242
Hominis solius est contemplari diuina: neque bruta præ se ferunt religionis indicium: quidquid dicatur de multis bestiis: libro. 14. litera C. 243
Homines acutiores sunt: ĩ quorum ortu saturnus & Mercurius possunt quamplurimũ: sicuti fuit Pithagoras, Socrates, Plato, Varro, Appolloniusque theaneus: lib. 14. cum sequen. A 246
Homines impij plurimum vel ignauissimi sunt: qualis fuisse dicitur Epicurus: vel flagitiosi, qualis Aristippus: vel insani, qualis sectator eorũ Lucretius, qui sibi mortem conscisiuit: lib. 14. litera B infra 247
Homines in quauis disciplina nimium curiosi propter nimiam cerebri agitationem, siccato cerebro solent quodammodo insanire: sicut illi qui nihil in rebus stare vnquã dicebant: li. 14. li. F 247
Hominum actus excellentissimi duo sunt: illi scilicet qui in excellentissima parte animæ sunt: & circa obiectum versantur excellẽtissimum: lib. 14. litera C 248
Homines, vt Plato in Epinomi de testatur, nihil habent religione diuinius: lib. 14. litera E 249
Homines ex solo etiam odore nutriti alicubi Diodor', Pliniusq; narrant: li. 16. litera E 300
Hominem, teste olimpiodoro Aristoteles vidit qui dormiret nunquam: soloque aëre

radiis solis expoſit⁹ viueret: lib.16.li.E 300
Homines cur fragilius corpus quàm beſtiæ habeant:li.16. litera F 304
Homo ſecũdum Plotinum eſt ipſa rationalis anima q̃ qdẽ ꝓmanet in ſeipſa, ſub ſe generat animal: & alia q̃ ibi ſe quuntur:li.16.li.C 307
Homo interior ſecũdum Paulum apoſtolum in dies renouatur:lib.18.lite.F 331
Homerus & didimus aliiq; ꝓmulti:vel à natura:vel ab infantia cæci multa ita ſcripſerẽ: vt ꝓſpicue vidiſſe omnia videantur: ſimiliter Zoroaſter & alij quãplurimi ſapientiæ inuentores:lib.11.li.D cum ſeq. 178
Humanum corpus ſi ad cętera animalia cõpetur:q̃ minimũ terrę,& illud quidẽ ſubtile poſſũdet:ſublimiorũ elementorum quàmplurium: lib.13.lite.L 209
Humor melancolicus frigidus eſt ſiccus & ater:quæ qualitates contrariæ ſunt illis, in quibus vitæ cõſiſtit vigor.ſ. calori,humori, ſpirituiq; ꝓlucido:li.14.lite.M 246
Humores in animali duo mor⁹ habẽt principia: naturale videlicet atq; animale:libro 18.litera G 341

I

IDeas diuerſas qualiter deus glorioſ⁹ cõcipiat:li.2.li.C 31
Ideæ plures quomodo in deo ſecũdũ Platonis mentẽ dicãtur:li.2.li.E cũ ſeq. 31
Idea q̃q; æterna vita eſt:q ſecũ dũ naturã ſuã ideam ꝓ ideę modũ conſeq; poteſt:& põt etiã ꝓ modũ æternũ vitã cõ ſeq; ſempiternã:li. 2.li.A 71
Ideas minus cõmunes in ideis cõmuniorib⁹ generatas Platonici collocãt:ac demũ omnia idearũ genera ĩ ipſo ente primo cõmuniſſimo entiũ,atq; ꝓfectiſſimo: q̃ ſummum intelligibile vocant: lib.11.lite.B 172
Ideæ in ipſo bono ꝓ cauſæ modũ ſunt ſolũ relatiuis q̃buſdã rationibus tãtum iter ſe diſtinctæ:in ipſo vero intelligibili per formã ꝓprię:atq; abſolutis inſup formis in uicẽ differentes:& alia multa de hoc:li.11.lite.E 172
Ideas quomodo Plotinus & Procul⁹ ponãt:& quomodo ipſas exẽplares & eſſentiales formas appellent: li.11.litera G cum ſeq. 173
Imaginatio glutonis ſaliuã epularũ ſaporeinficit,pueros & grauidas mulieres liqueſcere facit,aluũ laxat, dẽtes ſtupefacit,&alios multos effectus cauſat:li.13. li.E cum plu.ſequen. 208
Impietas in deos nõ ſolũ à deprauata cõplexione naſcitur:

ſed etiã à deprauatis moribus:li.14.li.G 247
Inferiora ſuperiorũ gratia cõſtituta ſunt:li.1.li.B 13
Inferorũ noïe Platonicè nũcupare debemus ſolã eã mũdi plagã, vbi tumultuaria elementorũ confuſio diſſonat: libr.18.li.B 344.345
Infinita in potẽtia quæ ſint illa q̃ in natura eſſe dicãtur:licet nõ actu:lib.2.lite.M 16
Ignis qũo elementorũ oĩm efficaciſſimus ſit:li.1.li.C 2
Intellectiua natura quotuplex exiſtat:li.10.li.F 150
Intellectuale ad intelligibile ita ferme ſe habet,vt appetẽs & mobile:atque formabile ad appetibilẽ motorẽ atque formatorẽ:li.11.litera B 172
Intellectus noſter ſe habet ſecũdũ Platonẽ in.7. de repu. & philoſo.in.2. diuinorũ ad ea q̃ ſunt manifeſtiſſima in natura: ſicut oculus noctuæ ad lumẽ ſolis:li.6.li.H 82
Intellectus ſi eſſet corpus:q̃ ab ſurda ſeq̃rentur li.8.li.H 120
Intellectus humanus qualis ſit: lib.9.litera B 145
Intellect⁹ poſtrem⁹ licet diuin⁹ ſit:ſenſitiuã tamẽ quãdã habet brutãq; naturã: p q̃ cõueniẽter ad corpora terrena declinat:lib.10.lite.M 147
Intellect⁹ obiectũ ſicut eſt ens ipſum ſub ratione veri : ita volũtatis obiectũ eſt ens ipſum ſub ratione boni:lib.10. litera D 160
Intellectus humani munus nihil aliud eſt quàm intellige re numina:lib.12.lite.C 196
Intellectus ſeeũdũ Auerroẽ ex quibus partibus cõponatur: lib.15.lite.D cũ plu.ſep. 253
Intellectus grad⁹ ſecundũ Porphirium quomodo diſtinguantur:lib.15.lite.F 258
Intellectus ſecundũ Ariſtotelẽ nullius actus eſt organum : lib.15.lite.F 276
Intellectus ſtudium conſuetũ eſt:vt particularia in vniuerſalia ad cõmuniſſimum vſq; reſoluat:atq; ipſũ ens ſub abſoluta ratiõe deſcribat:pq; omnes gradus diſtinctiſſime diuidat.li.18.li.B 336
Intelligẽtiæ dei ꝓpriũ eſt:vt ſe ipſam intelligat:& alia multa de dei intellectione.lib.2 lite.A cũ plu.ſeq. 27
Interpretũ Platonicorũ turba in ſex achademias ſe diuiſit: & quid vnaquæq; ſit & ſenſerit:lib.17.litera C 309
Iudicij libertate carent aliqua: qa nullũ habẽt iudicium:vt plantæ:aliqua,quia licet habeant,tamẽ habẽt à natura ad vnũ aliquod determinatum:vt bruta:lib.9.li. D 130
Iudiciũ de rebus agẽdis cũ homo non habeat à natura ad vnũ determinatũ:eſt neceſſario liber:li.9.li.F 131

Ioannes euangelista in Pathmo insula quomodo seculorum ordinem viderit: Ezechias campum ossibus mortuorum refertum: Isaias deum sedentem à seraphin circundatum: lib. 13. lit. M 219
Iustitię partem: quę humana respicit: non est putandum ad deum non pertinere: ad quem pertinet mundi totius administratio: lib. 14. litera F 249

L

LEge homini opus est: vt in cetu viuat: ea inquam lege, cuius tanta autoritas sit: vt nemo vel violentia, vel dolo præuaricari se posse aut debere cõfidat: li. 14. lite. G & lite. K 244
Lege semota non possunt homines secundum Platonem simul viuere: li. 14. lit. I 244
Lex apud veteres fuit, sacrilegos vel cremari vel suffocari: vt Philon iudeus Platonicus scribit: lib. 14. lit. H 249
Lex deus est viro sapienti: insipienti verò libido: beatusq; ille futurus est, qui humiliter diuinæ legi se subiicit: miser verò qui eam superbe contemnit: li. 18. lit. F 342
Libertas tanquam bonum appetibilis est: li. 2. lite. G 33
Ligna & saxa vnde patiuntur secundum Platonicos suarũ partium vnionem: libr. 6. litera H 89
Liuor omnis secundum Platonem abest à choro diuino: li. 18. litera A 338
Localis motus qui extrinsecus motus est: tanto in re qualibet perfectior apparet, quanto intrinseca natura rei est: lib. 2. litera K 23
Lucretius immortalitati ob eã causam diffidit: maxime q; imminente morte vires animi deficere videantur: lib. 9. litera E 140
Lumen secundum Orpheum & Heraclitũ nihil aliud est nisi visibilis anima: vnde per hoc omnia reuiuiscunt: anima verò lux inuisibilis: lib. octauo lit. F 121
Lumen duas habet qualitates: fulgorem, scilicet atque calorem: fulgorem quidẽ exercet in aëre: non tamen tribuit aëri calorem: vnde occidente sole, vt Plotinus putat, non extinguitur: sed vnà cum sole totum simul lumẽ recedit: caloris verò ad multam noctem reliquiæ relinquũtur: & alia multa de hoc, libro 15. liter. E 261
Lumen gratiæ & gloriæ secundum christianos theologos quid sit: lib. 18. lite. B 334

M

MAgister quonam pacto discipulum edoceat: & an scientiam quã magi-

magister habet in discipulũ transfundat:lib.10.li.G cum seq. 180
Magorum enigma:est res vndique obscura:est media lucida partim,partimq; obscura:lib.1.lite.A 11
Magorum Zoroaster princeps solitudine. 20. annorũ quid assecutus dicatur: & etiam Orpheus in Thraciæ desertis montibus:li.13.li. H 218
Malefici illi sunt omnium potentissimi: quibus nascentibus saturni malignus aspectus semenque parentũ terrestre:ac victus ꝓsimilis cõplexionem conflarunt fetidis vaporibus abundantem: & melancolicam:lib.13 lite. D 224
Martis potentia bilis igniculos subdit:& quos effect⁹ Mars in ipsos homines causare habeat:li.13.li. E 224
Materia prima quomodo sub omnibus corporib⁹ vna est: lib.1.li.G 4
Materia cur nõ corrumpatur: & de ipsius materiæ natura multa:lib.5.lite. D 60
Materiæ vicẽ actus primus gerere nequit:lib. 5.li.K 69
Materia communis absq; hoc actu:vel illo esse potest:materia autem propria absque proprio actu nequaquam: lib.5.lite.L 69
Materia in prima nunquid restat eadem illa indifferẽs ad vtrunq; potẽtia:li.5.li. D 70
Materia prima inter esse & nihil à Platone ponitur:& alia multa de materia & forma: lib.10.li. H cum seq. 150
Materia prima nullam habet virtutem propriam sui formatricem:habet tamen virtutem præparationẽque formabilem:quæ formarũ inchoatio appellatur: lib. 10. litera H 157
Materiæ duplex communitas cõuenit, naturalis scilicet & aduẽtitia:& quę vtraque sit: lib.11.li.E 168
Melãcolici omnes:quales fuere Heraclitus, Aristoteles, Chrisippus,Democritus,Zenocitticus,Auẽpaces Arabs: cur temere de deo sensere:libro 14.lite.M 246
Memoriam siquis amiserit ꝓpter capitis partẽ læsam:secundum Platonicos & Peripateticos quis effectus eueniat:lib.9.li.C cum seq. 140
Memoria mitridates,Cyr⁹,Lutius,Scipio,Fabius,Maxim⁹ Lucul⁹, Seneca:excelluerũt: & alia multa de hoc: lib. 13. li.M 221
Mentes quæ cælicolis:dæmonibus: & hominibus traditæ sunt: altissimæ mentiũ existunt:lib.1.lite.B 11
Mentes omnes dei instrumẽta sunt:lib.2.lite.O 27

Mentes hominum à ſupernis mentibus non mouentur p cælum tanquam per inſtrumentum aliquod,atque medium:lib.9.li.F 134
Mens nunquid agnoſcat inſtrumentum ſuum per inſtrumentum aliquod,necne: li. 9.li.F 138
Mentem vbi more Ariſtotelis dicere ſolemus nouas ſpecies procreare: poſſumus etiã propius more Platonico dicere innatas ſpeciesex mentis penetralibus erui:li.11.li. D 169
Menſ ſecundum Platonem per innatas formas intelligit: li. 14.li.D 234
Mentem agentem atque capacem Ariſtoteles nunquam duas eſſentias appellauit,neque poſuit: ſed vocauit animæ partes:dixitque eas duas eſſe differentes vires in anima:lib.15.li.F 274
Mentis perfectio circa verum conſiſtit: verum autem ens & intelligibile idem ſunt li. 18.li.G 334
Mercurij atque ſaturni natura quænam ſit li.13.li.K 210
Mercuriustriſmegiſtus,Ioſeph & Daniel omnia ſõnia verè interpretantur:li.13.li.F 217
Metus vehemens curat ſingultũ & quartanam febrem: li. 13.li.H 208
Metu tum mortis paternæ, tũ clamandi cupiditate:cũ creſum regẽ quidã ex perſis interficere vellet, filius Creſi antea mutus ſubito linguã ſoluit,ac magnavoce clamauit:ô vir ne interficias Creſum:inde vocalis factus eſt: lib.13.li.I 208
Miraculum non eſt præter naturam animæ noſtræ:quando dei eſt inſtrumẽtum: ſed cum magnum quiddam ſit & raro fiat:admirationẽ parit:& alia multa de miraculis ab hominibus factis:lib. 13.li.D 222
Miraculum quod Poſſidonius ſcribit de duobus familiaribus Archadibus:quorum alter ad cauponẽ,alter ad hoſpitẽ diuertit:lib.16.li.N 299
Miracula 12.quæ anno .1477. decembre atque ianuario: reliquiis beati petri apoſtoli in vrbe volaterrana repertis euenere:q̃ ſunt reſurrectionis indicia:lib.18.li.F 339
Moyſes & Mercurius triſmegiſtus homo,idẽ ſunt ſecundũ Artabanum hiſtoricum: li. 18.li.A 323
Moralis quid aliud eſt niſi feruor ſtabilis appetitus ab intellectus claritate ſuccẽſus: li.8.li.H 111
Moralis quidẽ finiſeſt,animã à corpore diuiſibili purgare atque ſeiungere:ſpeculatiue autẽ incorporeas vniuerſa-

Iesq; rerũ rationes à diuiduis corporibus ꝓcul positas cõprehẽdere:li.8.li.K 111

Mores secundũ Platonẽ & Socratẽ sunt via ad inferos vel ad superos:lib.18.li.D 341

Motus est actus temporis mometa discurrrẽs:li.3.li.A 42

Motus naturalis rectus secundum Aristotelẽ ad infinitũ vagari non potest, alioquin in suo ꝓgressu nõ esset modo tardior modo velocior: lib.14. li. D & seq. 231

Mundi omnes partes quanuis diuersæ ordine mutuo conciliantur: quoniam vnicum constituunt corpus:mutuãt inuicem naturas & mutuãtur:lib.2.lib.A 18

Mũdi vnius & motor vnus est deus : maxime platonicorũ ratione: quia est vnitas: li.2 lite.B 18

Mundi singulæ partes ad ordinis bonum referũtur:qui in toto est tanquam ad finem: lib.2.li.I 28

Mũdi mẽbra licet inter se cõtraria sint:cur tamen in vnũ conspirent:& alia aliis vires suas cõmunicẽt:li.4.li.D 53

Mundi ordinẽ nũquid animus humanus cõfundat miracula operando:lib.13.li.H 228

Mundus secundum platonem est partim bonis,partim malis plenum: denique hominib⁹ dæmones quosdã quasi pastores custodiẽdis ouibus ꝑesse:hominesq; ꝓ arbitrio peccare : & alia multa pulchra:li.14.li.B 250

Mundo in intelligibili secũdũ Auicennã procedẽdũ est ab intelligibili sũmo ad intelle ctus multostanquam à formatore ad vires inde formabiles:lib.15.li.H 256

Mundum ratione voluntateq; diuina disponi in oraculis Chaldeorũ:quę recitat Proculus:quibus verbis significatur:li.18.lit.C 320

Mundi centrum verũ deus est: quoniam vnus simplex stabilis est:&c.quę ibi sequuntur:lib.18.li.F 326

Mundi præsentem circuitum ab oriẽte ad occidentẽ esse iouium atque fatalem plato affirmauit:lib.18.li.E 331

Musarũ legitimos sacerdotes appellat Orpheus illos qui ĩ ętate maturiori multo melius de religione sentiunt:li. 14.li.I 246

N

NAscentiũ per putrefactionem causę vbinã esse dicantur:li.3.li.F 46

Natura efficacius meliusq; materiam suã mouet quàm ars suam:lib.7.li.C 6

Natura sua quod alicui conuenit : prius conuenit quam quod aduenit aliunde:lib.2. lite.M 25

Natura cuiusque est vna quędā forma virtusque ad vnum quoddam opus certo modo determinata toto suo impetu faciens quicquid facit:& faciens necessario lib.2.li.H 30

Natura & intelligentia per formam agit:& simile aliquid in forma operatur: libro 2. litera L 30

Natura non deficit in rebus necessariis: neque superuacuis abundat:libro 7.lite.B 98

Natura ipsa hominis secūdum Platonicos rationalitas q̄dā est:li.8.li.C 116

Natura quæ fiunt determinatis mediis ad finem perducuntur: semperque eodem modo prouenium: cum ad vnum aliquid ipsa determinetur:electiones autem hominis diuersis viis ad finem tendunt: tā in moribus quā in artificiis:li.9.li.B 133

Naturæ omnes secundum Origenem:quę eiusdem principij participes sunt: inter se sunt similes:li.9.li.G 143

Natura sicut ad suam se habet materiam: ita penè deus ad suā:lib.12.li.D 189

Naturā difficile est prorsus exuere:lib.14.lite.F 245

Natura in singulis speciebus multa non salutis omnino: sed ornamenti gratia facit: lib.15.lite.E 278

Natura cōtradictoriorū est, vt simul habitare non possint: lib.15.lite.A 290

Necessitas relatiua tres partes habet:lib.11.lite.A 186

Neruum quēdam circa nuchā compertum est esse in anima:quem qui trahunt cuncta simul animalis membra ita mouentur:vt singula ꝓpriis motibus moueātur li. 2.lite.E 36

Nihilū sub essendi ratione diffiniri nequit:lib.2. lite.C 20

Nihilo aliquid facere agentia naturalia nequeunt. lib.5 litera B 60

Numerus omnis secundū potentiam numerus esse dicitur:li.1.lite.N 29

Numerorū vim esse in anima nullus negare potest:lib.12. litera A 202

Numinum custodia secūdum Platonem homines indigēt quoniam inter falsa bona& innumerabilia mala versantur:& alia multa pulchra de mente antiquorum per totum capitulum:lib. 18. lite. D cum seq. 329

O

OPinio alexandri: mentes capaces esse in nobis, numeroq; distinctas: agentem vero mentē extra hominem:atque vnicam,in qua sola sit tota mentis diuinitas:lib.15. lite.E 274

Opinio Anaxagoræ & Hermotini de situ mentis angelicę: lib.1.li.C 1
Opinio Anaxagoræ:quòd homo sit immortalis æternitas: & dei partem habeat li.9.li.B 144
Opinio Anaxagorę:hominem ad contemplandum esse natum:lib.10.lite.B 149
Opinio Anebonis & Abamonis ægyptiorum sacerdotũ: Plotini quoque & Iãblichi: Iuliani Platonici,non deum tãtum:sed omnem quoque mentẽ,siue angelicã:seu ani malẽ per immensum se integram fundere:li.2.li.F 23
Opinio Aristotelis in lib.diuinorum:quòd sicut ordo partium exercitus inuicẽ & ad totũ procedit ex ordine totius ad ducem vnum:ita ordo mundanarum partiũ inuicem & ad totũ pendet ex ordine totius ad deũ: lib.2.lite.B 36
Opinio Aristotelis in libro de animalibus secũdo: intellectum forinsecus infundi: ac solum esse diuinũ, cuius operatio ꝑ aliquid corporale nõ expleatur:lib. 10.li.E 158
Opinio Aristotelis: quòd mẽs humana duas habet vires:agentem vnam:alteram verò capacem:& quę vtraque sit: lib.11.lit.F 163
Opinio Aristotelis:quòd est aliquis sensus qui vere percipiat:& alia multa de hoc:li.11.lite.E 184
Opinio Aristotelis: ꝙ anima nihil sine phãtasmate intelligit:li.15.li.B infra 269
Opinio Aristotelis: intellectũ capacem vniuersales rationes rerum naturalium tunc intelligere, quando earum formas absolutas intelligibilesque acceperit:libro 15. litera D 274
Opinio Aristoxenis & dicearchi: quòd animus non moriatur:sed immortalis sit: & alia multa pulchra de hoc: li.5.lite.C 76
Opinio astrologorũ:quod elementorum quædam naturę in cælo sint:hinc illud euangelicum:beati mitesquoniã ipsi possidebunt terram: & alia multa pulchra de hoc: lib.16.lite.H 301
Opinio Auerrois de animę immortalitate cũ fundamẽtis suis:& eius confutatio :lib. 15.lite.I cũ pluribus sequentibus. 251
Opinio Auerrois: quòd ex eo solũ nobis coniungatur intellectus:quoniam ex speciebus formatur à nobis acceptis:lib.15.lite.D 270
Opinio Auerrois: quod animꝰ humanus particularem rationẽ narura habet sua perque illam mentem instruit

&c. quæ sequuntur: lib. 15. li. B 271

Opinio Auerroicorum: & eorum præceptoris: phantasiã esse motum factum à sensibus: li. 15. li. D 269

Opinio Augustini: & omnia quę per corpus sentimus etiam cum ea non assint sensibus: imagines tamen eorũ patimur: vel in somno vel in furore: tanquam prorsus assint: & alia multa de hoc: li. 11. li. D 184

Opinio Auicebron, & theologorum christianorũ: ex potentia receptrice formabiliq́ue: atque actu formali: omnia sub deo constare: li. 17. li. G 309

Opinio Auicẽnæ de creatione subitanea hominis in ætate perfecta constituti: lib. 6. li. A 83

Opinio Auicennæ & Algantelis: animam formam quidem corporis esse: non autẽ corporalẽ: & alia multa ad hoc: li. 15. li. C 254

Opinio Auicennæ: animas tũ beatas, tum miseras in altera vita perseuerante ad tempus habitu quodam à sensibilibus contracto posse imaginari q̃ hîc prius vehementiore affectu imaginabãtur: lib. 15. li. C 296

Opinio Auicẽnæ & Algãtelis: aliquid creatũ fore semper, præsertim animam: quod etiam religio tenet: lib. 18. li. D 323

Opinio Auicennæ: animam à contagione corporis separatam in cęlo cælesti quodam instrumento vti quasi suo à corpore cæli accepto: perq́; ipsum imaginationis officium exercere: lib. 18. li. C 338

Opinio Auicennæ: animã quasi natura quadã etiã sine electione: meditationeq́; & hic & in altera vita ab intelligibili modo ad sẽsibilẽ detorqueri: li. 18. li. H 342

Opinio Auicennę eos animos qui nõdum vel bonum, vel malum animum contraxerunt: ex diuinæ clemẽtiæ largitate boni aliquid reportare li. 18. li. F infra 345

Opinio Chaldeorum & animę sunt in confinio æternitatis & temporis: li. 10. li. D 151

Opinio Chaldeorũ & eorum patris Zoroastris: ab anima hoc mirabile fieri: scilicet radiis effusis in corpus suũ ipsum lumẽ circũfundat: & radiorum leuitate in altũ tollat: li. 13. li. G 226

Opinio Chaldeorũ: Platonis: Mercurij: Orphei: Zenocratis: & omniũ philosophorũ: & theologorũ antiquorum mundũ ratione voluntateq́; diuina disponi: li. 18. li. C cũ plu. sequen. 320. 321

Opinio Democriti, Leucippi, Hipparchi, Anaximẽis, Diogenis Apolloniatis, Critiæ, Hippię, Heſiodi, Pronopidis Boeti, Epicuri, Zenonis Cittici, Cleantis, Antipatri, Poſſidonij, Cryſippi, Archelai, Heracliti pontici, Xenophõtis Collophonij, Aſclepiadis, Ariſtoxeni, Critolai: Zoroaſtri, Mercurij, Orphei, Aglaophemi, Pithagoræ: Platonis & Ariſtotelis, qd anima ſit: li. 6. li. B & infra 80

Opinio Democritiorũ, Cyrenaicorũ: Epicureorũ, Stoicorũ, Cinicorũq; qd molescorporum ſit: li. 1. li. B 1

Opinio Democritiorũ, Cyrenaicorum & Epicureorum, quomodo ſcilicet corpora agant: lib. 1. li. F 2

Opinio Democritiorũ, Cyrenaicorũ, Stoicorũ, Cinicorũ, mũdũ initiũ tẽporis habuiſſe: & quo tẽpore ſecũdũ AEgyptios, Chaldeos, proculũ & alios antiquos ſol primũ terris illuxerit: lib. 18. li. E cũ plu. ſequen. 322

Opinio Dicearchi dicentis, animã eſſe formã tum corporis, tum corporalem: lib. 15. li. B 254

Opinio Dinantis & Manicheorũ, animas noſtras eſſe quaſdam dei portiones: ſiue deũ: lib. 15. li. B 291

Opinio Dionyſij Areopagitæ: plures intellectualiũ ſpecies ſeparatas eſſe, quàm corporalium: lib. 1. li. C 13

Opinio Dionyſij, Iamblici & proculi: quomodo angelorum ordines diſtinguantur: lib. 1. li. D 13

Opinio Dionyſij: q̃ multi ſunt gradus mẽtiũ, & multo plures q̃ corporũ: li. 6. li. A 292

Opinio AEgeſię quod ſi terra moueretur, in circulũ moueretur. li. 4. li. A 53

Opinio AEgiptiorũ à Proculo & Platonicis confirmata: ad conſonantiã mũdi perfectã eſſe oportere nõ ſolum animalia quædã rationalia immortaliaq; ſed ecõtra, animalia irrationalia & mortalia ſimul: & multa inter hęc media: li. 10. lite. C 147

Opinio AEgyptiorum, quam Plato recenſet: animas hominũ de corporibus in corpora tranſmigrare, & præcedentis vitæ artes in ſequẽtibus recordari: li. 11. li. D 199

Opinio AEgyptiorum: animã immenſæ præſentiæ dei ſecundum eſſentiam ſuã participem eſſe: quoniam ſecũdum virtutem operationẽq; fit particeps immenſę intelligentię, voluntatiſq; diuinę per interminabilẽ interminabilis veritatis intuitum: & bonitatis affectum: li. 16. litera C 298

Opinio Empedoclis, Timęi locri, Origenis & Plotini: animas brutorum esse nostras in sensum generationēque omnino prolapsas: plantarū deniqueanimas esse easdem lapsas omnino in generandi potentiam, posseque omnes iterū ad superiora conuerti: lib.5.G 75

Opinio Epicuri Lucretiiq; sempiternam mentem cum corpore humano quanuis caduco, consortium habere: lib. 10.litera E 148

Opinio Epicuri, bestias sicut & homines ratione pollere: li. 13.lit.B 221

Opinio Epicuri: quòd licet animus esse quidem ipsum naturaliter appetit, esse tamen sempiternum præter naturā exoptat: li.14. li.D 236

Opinio Epicureorum dicentium animam cū corpore coalescere: li.8.li.A 108

Opinio Epicureorum, qui diuidunt speciē in intellectu veluti formam in corpore: & partem eius vnā in vna mētis parte locant: li.8.li C 114

Opinio Heracliti, Marci varronis, Marci Manilij: quid & vbi sedes rationalis animæ sit: li.1.li.C 1

Opinio Heraclitī: quòd lux sicca est anima sapiētissima: li. 6.litera E 86

Opinio Hermiæ, Dionisij: & Platonis: quosdam esse dæmones generationis fautores, qui inclinationē animæ ad corpus naturaliter augeant: lib.16.lite.C 305

Opinio Hippocratis, Auicēnę, Auicebron, Plutarchi, Porphyrij, & Proculi: quòd anima solo affectu multa miracula facit: & alia multa de hoc: li.13.lite.D 226

Opinio Hippocratis: mutationes quæ & repentinæ sunt, & maximè ad oppositum: maximos diuturnosq; morbos inferre: lib.16.lite.A 303

Opinio Indorum philosophorum: à quibus teste Aristoxeno Socrates & Plato didicere: quòd deus summa bonitas appellari debeat: vixq; eam percipi posse: sed ea ignorata nihil aut vere cognosci, aut recte agi vel publicè vel priuatim: lib.12.litera E 190

Opinio Ioannis euāgelistæ dei mentem esse viam veritatēque & vitam: & alia multa pulchra: quæ ibi leguntur: lib.12.li.F infra 191

Opinio Ioannis euangelistæ, quòd theologi filij dei sint: quia per diuinas ideas quotidie reformantur: quarum idearum series ab eo vocatur ratio dei, vita rerum omnium, &c. quę ibi sequūtur: li.12.lite.B 191

Opinio Ioannis euangelistæ: quòd deus hominis ostium primum pulsat, quod statim apertũ ingreditur, quod inhabitat sedulo, in quo hominem pascit ambrosia: li. 13.li.L 219

Opinio Lini & Pythagoricorũ: omnia esse credenda & possibilia: li.13.li.K 225

Opinio Lucretij asserentis: mũdum fieri casu ac ferri: lib.2. lite.H 37

Opinio Magorum: quòd scilicet principes super mũdum esse dicantur: lib.4.li.G 54

Opinio Magorum: quòd virtus animi est æqualitas quędam, per quam animus & sibimet & ipsi vero bonoque consonat: lib.8.lite.C 108

Opinio Magorum persarum: humanum animũ non carni infundi primum: sed mediis duci competentibus: li. 10.li.C 149

Opinio Magorum: intellectuale animal in sua temperantia permansurum fuisse: si modo animus in sua id est diuina temperantia permansisset: & alia multa de hoc: lib.10.lite.A 150

Opinio Magorum scilicet Zamolxidis, Zoroastrique sectatorum: omnia corporis tum bona tum mala ab anima in ipsum corpus fluere: quemadmodum oculorum qualitas fluit à cerebro: cerebri vero qualitas à toto corpore: libro 13.li.A 209

Opinio Magorum Platonicorumque: curru igneo Heliã Paulumque in cælum raptos fuisse: ac demũ post mũdi iudiciũ corpus, quòd nostri glorificatum nominãt, similiter raptum iri: li. 13.li. G 226

Opinio Magorum Egyptiorũ & Platonicorum: redituram quandoque animam in eiusdem corporis habitaculum, ne in sempiternum frustra sit ille naturalis affectus: li. 15.lite.A 275

Opinio Magorum, Mercurij, Auicennæ, Proculi: animas vaporum corpus formare: & quid sit illius corporis figura: lib.18.lite.B cum plu. seq. 343

Opinio Manicheorum, Gnostiorumque philosophorum duos esse deos, quorum alter sit bonorum omniũ author, alter vero malorum: li. 2.lite.E 18

Opinio Mathematicorum: q̃ verę figuræ in corporibus non reperiuntur: lib.8.litera G 109

Opinio Mercurij, Trismegisti, Timæi: & Plotini: materiã esse informe nonnihil nihilo proximum: quod primo infiniteque patiens sit: libro

Opinio Orphei quemadmodum sperarum animæ patiantur:lib.4.lite.B 55
Opinio Orphei & Heracliti:q̃ lumen nihil aliud est:nisi visibilis anima : vnde per hoc omnia reuiuiscũt:animaverò lux inuisibilis : lib.8.litera F 121
Opinio Orphei: quòd omnia Protheo prima natura indidit:& huius dicti expositio: lib.11.lite. C 167
Opinio Orphei:musas esse iouis & memoriæ filias: quoniam ipsa memoria totam mentem cõtinet humanorum animorũ:lib.11.li.C 181
Opinio Orphei de insomniis: & eorũ interpretatione : & de hoc ipsius multa dicta:li. 13.li.H 217
Opinio Orphei: quòd referari nequeunt portæ plutonis : quoniam intus est populus somniorum lib. 18. litera A 343
Opinio Parmenidis pithagorei: quod est vnum ens immobile infinitum:lib.2.lite. B 24
Opinio Parmenidis: quòd deus rerum orbem mobilem rotat:dum se seruat immobilem:li.2.li.B 31
Opinio Pauli theologi : quòd qui adhæret deo,vnus sit spiritus:lib.12.lite. C infra 190
Opinio Platonis:quòd nihil re vera homo discere potest:nisi docente deo: libro 12. litera D 190
Opinio Platonis:interiorẽ hominẽ quotidie renouari inuisibilia nobis : æternaq̃ contẽplantibus:& alia multa dicta:li.14.li. D infra 233
Opinio Pauli,Origenis, Augustini & priscorum theologorum:animos aëreo corpore indutos,motu agiles, perspicaces sensu, mirabili rerum scientia reperiri:lib.16.lite.F cum seq. 306
Opinio Peripateticorũ : quòd quæcunque contradictionẽ nullã includunt:in entis potentia includuntur: lib. 2.li. D 34
Opinio Peripateticorũ : quòd vires sentiendi omnes in anima quidem secundum originem sunt, in cõposito verò secundum formam: lib. 9.lite.E 136
Opinio Peripateticorũ : quòd esse inquantum ipse est purus & absolutus actus est: p quem omnes essentiæ actũ essendi suscipiunt: Plotinus autem & Proculus ipsum vnum bonumq̃ super ens collocant:lib.12.li.E 194
Opinio Pythagoræ de vniuersali Apolline quæ sit: lib. 4. litera K 50
Opinio Pythagorę:quòd diuinum genus hominibus insit

quibus ſacra natura properando in lucē omnia monſtrat:lib.11.li.D 178
Opinio Pythagoræ atque Epicuri: quòd veritas eſt in ea parte animæ,quę ſenſus eſt: quoniam extra ſe reſpicit:& alia multa ad hoc:lib.11.li.C 184
Opinio Pythagorę non eſſe naturalem homini religionē, ſed videri:quoniam à teneris vnguiculis eam combibimus:& alia multa de hoc: lib.14. litera L cum ſequen. 248
Opinio pythagoræ & multorum philoſophorum:generationem hominum fuiſſe ſempiternā:lib.15.li. F 267
Opinio Pythagorę Platoniſq; ſpeciei naturam vnā in plura diuidua infundi: non propter externam materiā: ſed propter quoſdam inſitos à forma modos:& quis actus producta forma indiuiduum hoc aut illud euadat: li. 15.li.B 277
Opinio Pythagoricorū arbitrantium corpus eſſe infinitam multitudinem: lib.1.li. E 2
Opinio Pythagoricorū: in zodiaco & ſignis cæleſtibus diuinas animascollocantium: &multa pulchra cognitu ad hoc:lib.4.li.E 50
Opinio Pythagoricorū ponentium non ſolum in corporibus:verum etiam in ſpiritibus quatuor elementa: li.5. litera I 72
Opinio Platonis in Timæo, Phedone, Philebo deteſtantis philoſophos:qui naturalium rerū cauſas vel ad formam:vel ad ipſum ſiue materiæ,ſiue naturæ neceſſitatem referunt:lib.2.li.G 31
Opinio Platonis in Timæo:& Mercurij triſmegiſti: quòd diuina volūtas creaturarum omnium initium eſt: lib.2. lite.C 32
Opinio Platonis in Timæo:q deus cuncta diſponit: ita vt ſingŭli pro natura ſua diuinam capiant bonitatem: li. 2.li.I 35
Opinio Platonis dicentis deū continere principia,mediaque,fineſque omnium:ambire cuncta ac recte diſponere ſingula:mitibꝰ religioſiſque eſſe propitium: ſuperbos impioſque punire: li.2. li.H 38
Opinio Platonis dicentis per prouidentiam diuinam non tolli noſtram libertatem arbitrij: immo ſeruari: lib.2. litera I 38
Opinio Platonis:quòd deus animos hominum cogit ad bonum: vt bonum ipſum nolle non poſſint:lib.2.lite. M 38

Opinio Platonis: deum esse rerum omniũ terminũ infiniti expertẽ: li. 3. lite. I 40
Opinio Platonis in libro de regno: quòd solis rebus omnium diuinissimis cõuenit status omnino mutationis expers: mundus autẽ quia corpus est: iamq; à diuinorum dignitate degenerat: ideo immutabilis prorsus esse nõ potest: & alia quæ ibi sequũtur: lib. 4. li. G 58
Opinio Platonis Timæiq;: deũ mundi opificẽ per ideas, id est exemplares, absolutasq; rationes sua opera procreare: li. 5. lite. C 73
Opinio Platonis in 7. de repu. circa hominis educationẽ in spelunca subterranea: li. 6. li. B 83
Opinio Platonis quòd essentia status dicatur: quoniam si sine vita existat, torpet vita est motº, quoniã iã exit in actũ: mens reflexio, quoniam sine hac vita in externum opus effluereret: lib. 8. li. B 123
Opinio Platonis: ꝙ anima moueatur p se: lib. 8. li. F 123
Opinio Platonis: quòd anima ĩ se reuoluatur quatuor modis scilicet per intellectum, voluntatem, & cætera quæ sequuntur: li. 9. li. sup. B 126
Opinio Platonis: quòd morti propinqui quãdoque futura prædicunt: li. 9. li. D 127
Opinio Platonis: quòd per nullum corporis membrũ animus moriatur: li. 9. li. D 139
Opinio Platonis: quòd animalia tam ex corpore quàm ex anima sempiterna: ceu mundi sphęrę: stellęque procul à morte existunt. Itẽ alia multa animalia: ceu bruta, dæmones heroesq;: de quibus diffuse: lib. 9. li. A 143
Opinio Platonis: ꝙ pura corpora sunt duodecim mundi sphæræ: cæli octo: & elementa sub cælo quatuor: li. 10. li. N 147
Opinio Platonis vocantis animam vnius machinæ iouẽ: animas duodecim sphærarũ deos duodecim iouis pediseq̃uos: sphærarum partibus purioribus similiter attribuit animas mentis participes: stellis .s. & planetis: quos etiam vocat deos: ignis partibus dæmones heroesque igneos: aëris clari aëreos: aëris caliginosi aquaticos deos atque heroes: & alia multa auditu pulchra: li. 10. li. A 147
Opinio Platonis: ꝙ quot stellæ sunt: totidẽ subesse dæmonũ, heroũ, animarũq; turbas & sub saturno saturnias, sub ioue iouias: martias verò sub marte: & alia quę sequũtur: li. 10. li. B 147
Opinio Platonis: omnia omnibus inesse: sed in terra modo

terreno:in aqua aquatico ſimiliterq; in aëre,atque igne in cælo quoque pro cæleſti natura:omnia in luna ꝑ natura lunari:in ſphæriſque aliis eodē pacto:adeo vt ſphęra quælibet ſuo modo & ꝑpria qualitate totus mūdus exiſtat:li.10.li.B 147

Opinio Platonis:nō eſſe in corporibus mortalibus,quāuis mortalia ſint,naturalem intelligētiæ ſedē:li.10.li.F 152

Opinio Platonis:ꝙ diuinus influxus ex deo manens: per cælos penetrans:deſcendens per elementa:in inferiorem materiam deſinens:illa ipſa eſt formatrix virtus,quā vocat diuinę intelligētiæ rationem:li.10.li.I 157

Opinio Platonisin libro de natura: animam rationalem à ſolo mundi opifice tribui:irrationales autem ab eius miniſtris eius operi fauētibus: lib.10.li.D 158

Opinio Platonis: ꝙ neq; mēs: neque ſenſus:vt quidquā ꝑcipiat ab extrinſecis format corporibus: ſed alio & alio modo:li.10.li.D 165

Opinio Platonis: deum opere ſuo mirifice delectari: eo ꝙ generationem voluptas cōmittatur:li.11.li.F 175

Opinio ſeu paradoxō Platonis corpora nō vera eſſe:quoniā in illis non manet veritas:li.11.li.G 182

Opinio Platonis:duas eſſe elemēti partes: materiā ſcilicet atque formā:propter materiam nō dici ignē:aut aquā: ſed propter formam: lib.11. li.F 183

Opinio Platonis & Auguſtini: quòd veritates ipſæ rerū mētem noſtrā familiariter habitent, oſtendantque ſuam ſolā familiaritatē perpetuā: li.11.li.A 188

Opinio Platonis:ꝙ actus intelligibilium veritas vocari debeat, actus mentis ſcientia, actus vtrorumq; nodus: qui eſt deus & alia multa:lib.11. li.F 191

Opinio Platonis: quod poetæ celeberrimi diuino quodā furore corripiantur: vt fuit Orpheus,Homerus, Heſiodus,Pindarus,Ion:Tinnicus calcideus, Lucretius: & alij multi:li.13.li.B cum ſe. 211

Opinio Platonis lib.de repub 10 virtutem animi non eſſe ſeruilem: dæmonem vitæ ducem:ac rurſus vitæ fortunam eligi à nobis non nos à dæmone,vel fortuna: culpam verò eligentis eſſe non dei:li.13.li.E 213

Opinio Platonis:à cęlo ad terram vſq; in ſphæris omnib⁹ alias plagas numinib⁹ aliis ab initio diſtributas ita fuiſſe:vt quādo in regione terrę

certis dicata numinibus dispositio ad ipsa numina vel per superiores influxus, vel per animorum affectiones pręcipue augetur: miracula sæpe talibus numinibus cõgrua:vel per se, vel per animas ibidem ab eisdem numinibus occupatas efficiantur:lib.13.li.E 226
Opinio Platonis in libro de scientia: quòd mala omnino deuitari nõ possint:quoniam necesse est semper aliquid boni contrarium esse: lib.14.lite.D 231
Opinio Platonis & Auicennę: quòd homo sit animal naturaliter sociabile: lib.14.lite. G 244
Opinio Platonis & Auicennæ: quòd deus certis seculis mittat aliquem mercurium: id est prophetã diuinæ voluntatis interpretem,& legis tã diuinæ quàm humanę latorem:li.14.li.K 244
Opinio Platonis:q deus singula intelligẽdo amandoq; facit:lib.14.li.F infra 249
Opinio Platonis:quòd motionis principium in anima est quo se pro arbitrio aliquis efficiat talem:aut talem: & alia multa de hoc:lib. 14.li. A 250
Opinio Platonis: quod illud quod semel reuera intellectum fuerit, obliuioni omnino mandari nunquã possit:sed rei comprehensę speciem in æterna mente verti in habitum sempiternum: lib.15.li.D 283
Opinio Platonis animas: quæ hic aliquo affectu se nouerant:sese illic agnoscere: atque ferme ad se inuicem similiter affici li.16.li. B 296
Opinio Platonis: quòd sublimia corpora ad sublimes accedũt animas:inferiores autem accedunt ad corpora:& alia quæ ibi sequuntur:li.16 lite.G 302
Opinio Platonis in lib.de repub.7. animam in corporibus labentem à summa luce in extremas tenebras ruere:lib.16.lite. A 303
Opinio Platonis:quòd animæ fato descendunt,id est quod generationem appetant, & tali quodam appetant tempore: sed arbitrio talem aut talem vitam eligunt:& alia quæ ibi sequuntur:lib.17.li. D 314. 315
Opinio Platonis & Dionisij Areopagitæ: deum cognosci potius quid non sit, quàm quid sit: & qua ratione vel ipse ad alia, vel alia ad ipsũ referantur:li.18.li.E 333
Opinio Platonis:quòd animæ duo int' principia possidẽt: quoniam sunt in causa supplicij,vel pręmij: & quid vnũquod-

numquodque sit:li. 18.li. G infra 341
Opinio Platonis quam Origenes interpretatus est:occultam esse quandam supplicij causam,qua damnati afficiuntur:li.18.lite.C 345
Opinio Platonicorum de infiniti boni decētia:li.2.li.T 21
Opinio Platonicorū : quod vnica sit diuina essētia prout est deus:li.2.li.M 29
Opinio Platonicorū dicentiū: quòd deus per cardinem cuiusq; ordinis propriū:ipsum propriū versat ordinē,id est per vnam essentiam essentias omnes:lib.2.li.D 36
Opinio Platonicorū : quòd anima rationalis ppetuo quodam lumine deū quodāmodo & angelum cogitat: siue auguratur seque ipsam appetit ad eorū similitudinē pingere:tum speculatione,tum moribus,atque actione sese paulatim formando se mouet:lib.3.li.B 42
Opinio Platonicorum:que essentia tertia dicatur:li.3.li.E 43
Opinio Platonicorū:quod angelus verè est,id est stat sēp: qualitas fit, id est mouetur aliquando:li.3.li.F 43
Opinio Platonicorū : super id quod est in parte temporis esse id quod est per omne tempus: & alia multa de æuo & æterno:lib.3.li.G 43
Opinio Platonicorum multos influxusnegantium:lib.4.li. D 46
Opinio Platonicorum non tātum cęlum:verum etiam elementa ipsa viuere:lib.4.li. I 52
Opinio Platonicorū:quòd circuitusvniuersi interuallū annis solaribus sex & triginta millibus expleatur,quē magnū ac mundanū appellant annum:huius autem Mercurius senium vocat,Plato autem mūdi restitutionē:li.4. li.B 56
Opinio Platonicorū:quòd forma diuisa p corpus simplicitatis & consta ntiæ naturā amittit in corpore:li. 6.li.G 89
Opinio Patonicorū : ꝙ motus in anima ꝓprie actio existat quoniā in fonte suo sit formetque corpus & agitet: in corpore verò passio nominatur:li.6.li.F 93
Opinio Platonicorum: animā moueri per se esse possibile: quoniam in ea alij quidem: prēter octo illos alterius naturæ motus reperiuntur: li. 6.li.E 94
Opinio Platonicorum : quòd reptilia animam habeant in diuiduam:quanuis membra diuisa viuant:libro 7. lite.B 101

Opinio Platonicorum: ſubſtantiam à phãtaſia minime cognoſci: quaſi rationem ſubſtantiæ non agnoſcat: li. 8. li. G 106

Opinio Platonicorum & Peripateticorum: quòd particulare ab intellectu ſolum ſecundo quodam actu proſpicitur: li. 3. li. E 107

Opinio Platonicorũ: quòd mẽtes & animas in mundo tẽporis generationiſque ſucceſſionem procedere: li. 8. li. E 125

Opinio Platonicorum: ab animæ rationalis ſubſtãtia tanquam ſole effundi vitã corporis irrationalem tãquam lumen, illamque erga hanc affici quaſi ꝓlem: ad quam prolem ſuſcipiendã corpus, vt Timæus docet, per cæleſtes animos diſponat: lib. 9. li. B 130

Opinio Platonicorũ: quòd in anima actionis motio vna cum ſubſtantię mutabilitate concurrat: li. 9. li. C 144

Opinio Platonicorum: angelis archangelos, archãgelis principatus præferentium, principatibus autem intellectus quoſdam, qui dij participatione quadam denominatur: ſummo ſemper deo pleni: diuinoque nectare ebrij: libro decimo litera K infra 147

Opinio Platonicorum: q̃ mẽs forte ſimulachro non eget: poſtquã ſemel inuitante illo ſpeciem peperit, & retinet propriam: li. 10. li. C 156

Opinio Platonicorũ: quòd nõ minus ferme infinita virtute opus eſt: vt quis ad deum ſe conferat infinitum: atque etiam infinitũ ſub certa ratione infinitatis cognoſcat & amet: quàm ad hoc vt aliquid ex nihilo fiat: lib. 10. li. G 161

Opinio Platonicorũ atque Peripateticorum: quòd obiectum primum dicatur: quia primo rectoq; aſpectu ſe obiicit: vbi etiam quid ſit obiectũ adequatũ: li. 10. li. D 161

Opinio Platonicorũ: quòd in materia prima formarũ omnium ſuſcipiendarum latẽt inchoationes: in natura quoque per quã ad formas mouetur materia: formarum ſemina deliteſcunt: lib. 11. li. D 167

Opinio Platonicorum: quòd ſicut ſenſus qui p aduentitias formas q̃ dicuntur accidẽtales, cognoſcit ſemper, accidẽtia quoque ſemper attingit: ita econuerſo mens: q̃ eſſentias rerũ diffinit: per eſſentiales formas intelligit: lib. 11. li. A 169

Opinio Platonicorum: quod ſi mulachra primę materię nõ

ſuntverę ſpecies:quanquam veraseſſe quidã phyſici arbitrãtur:neq; quieſcũt vnquã: vt Heraclitus ait,labẽte materia,ſed ęternarũ fiunt participes idearum ſecundum Parmenidẽ pithagoreum: lib.11.li.B 175

Opinio Platonicorum, Auicennæ, Algãteliſq́ue materiam tum elementalem, tum intellectualẽ ſub luna diuinæ cuidam menti tanquam formatrici ſubeſſe:li.12.li.E 189

Opinio Platonicorum : quòd corpora cæleſtia per ſe quidẽ diſſolubilia ſunt: quia & mobilia & compoſita: ſiue ex creaturis pluribus, ſiue partibus:ex eo tamen indiſſoluta perdurãt: quòd nullo alio corpore interiecto immortali animæ copulantur: lib.12.li.C 198

Opinio Platonicorũ atque Auerrois:vnum quiddam fieri ex potẽtia intellectus:formąq; rei intelligendę:quoniam ſtabilior ex his prouenit compoſitio:lib. decimo quarto li.G 234

Opinio Platonicorum : maximam impietatis cauſam in genus infimorum dæmonũ referre : qui tanta quadam perſuaſione vel propter ambitionem in falſam, vel propter inuidiam in nullam religionem non impellunt:li. 14.li.I 247

Opinio Platonicorum : quòd vitarum irrationalium ſpecies tanquam vmbræ quædam mentis ſequuntur per corpora procedentes:lib.15. li.I 256.257

Opinio Platonicorum : quòd phantaſia memoriam ppriã poſſidet:li.15.li.G 282

Opinio Platonicorũ:quot ſtellæ ſunt,totidẽ eſſe exercitus animarum : talẽq; naturam inde, denominationemq́ue habere:lib.15.li.C 283

Opinio Platonicorum: mẽtes ſupernas ſicut ideas rerũ materialiũ in materiales,generabiliũq; ingenerabiliter cõtinẽt:ita& particulariũ rerũ ideas dumtaxat vniuerſales habere:lib.16.li.H 294

Opinio Platonicorũ:quòd animæ æthereum corpus ſemper habent: ſecundum verò chriſtianos tale quidem corpus ſemper habebunt: li.16. li. F & li.G 298

Opinio Platonicorum & Dioniſij Areopagitæ : naturale diuinarum mentium officium eſſe:vt in natura ſua maneant, vt prouidendo agendoq́ue procedãt, vt ſe ſuamq́ue originem agnoſcendo conuertantur ipſe, ſequentiaq́ue conuertant:lib.16.li. B 301

Opinio Platonicorũ:dæmonũ

illusiones & violentiã posse per philosophiã & sacrificia expugnari:lib.16.li.H 306

Opinio Platonicorum:animas angelicas secundum intellectualem virtutem à deo ꝓcedere: dæmoniacas secundum opificium:atque prouidentem, ideoque fabricare mundana:heroicas secundũ conuersiuam ꝓcipue facultatem:& alia multa pulchra per totum capitulum: li.17. li.E 313

Opinio Platonicorum aliquid esse:quòd infinitũ ex se vitã habet:aliquid quod ex alio: aliquid quod ex nihil:&alia multa pulchra:li.17.li.H 313

Opinio Platonicorũ & Plotini : quòd quẽadmodũ ab vno vultu multæ per specula multa diffunduntur imagines : sic ab anima sphęræ in corpora brutorum:lib.18.li. E & li.F 324

Opinio Platonicorum: animã tribus vehiculis vti: & quid vnumquodque sit: lib.18.li. L 328

Opinio Platonicorum,Zoroastri,Plotini, Auicennæ, Hebræorum, Christianorum, & Mahumetensium hisdem quandoque redeũtibus causis,eosdem numero prorsus homines redituros,auctoritatique diuinæ resurrectionem asseueranti esse creden dũ : & alia infinita pulchra: li.18.li.D cũ plu.sequẽ. 338

Opinio Platonicorum: quòd quando anima sentit quidpiã, dicitur operari per corpus ,non tamen quia simul & corpus sentiat:sicut enim anima fons est viuendi secũdum Platonem:ita & sentiendi:li.9.li.D 136

Opinio Plotini:quòd deusipse intellectio est non in aliquo intellectu tanquam potẽtia: non veritatis velut obiecti: sed in seipsa:suiq; ipsius existens:lib.1.li.D 15

Opinio Plotini : deum non ita esse vt forte obtigit : vel vt coegit necessitas:sed vt vigilat,agit,atque vult ipse: li.2. litera M 34

Opinio Plotini & proculi,arbitrantium animã fieri ab angelo,secus tamen Dionisius areopagita,Origenes & Augustinus qui ipsam putant à solo deo procreari:lib.5.li.B 71

Opinio Plotini: atque Porphyrij : quòd anima vegetatiua quantitate caret: quoniã æquè clauditur minimis , & implet amplissima li.6.li.E 90

Opinio Plotini,Proculiq;e,ꝙ consultatione fiat:vt nõ animũ reb⁹:sed res animæ nostræ subiiciam⁹:& alia multa de hoc:li.9.li.I 132

Opinio Plotini, Proculi, & Auicennæ: cælestes motus nõ esse inferiorum causas: sed instrumenta potius diuinis motoribus velut artificibus obsequentia, & alia multa pulchra de ista materia: li. 9. li. G 134

Opinio Plotini quid quum sit: lib. 11. li. B 177

Opinio Plotini: Theodoriq; Asinij: & Iamblici: hominis mentem, quæ non humana est: sed diuina in mundo intelligibili viuere & operari cõtinue per cõtinuũ intuitũ idearum: li. 12. li. B 196

Opinio Plotini de mẽtibus humanis per comparationẽ ad sphæras cælestes: lib. 12. li. C 197

Opinio Plotini, Iãblici & theodori: quod quemadmodum materiã perficit semper quãtitatis interminata dimẽsio: sic mentem diuinæ amplitudinis virtus immẽsa: per huius vim in huius luce ad huius finẽ cõtinue ęternis formatur ideis: lib. 12. litera G 198

Opinio Plotini Proculiq;: quo modo anima Platonis ab anima Socratis distinguatur: li. 15. li. C cũ sequẽ. 277

Opinio Plotini seu Porphyrij: animam sępius mala hæc expertam tandem omnino hęrere parenti: nunquam adhęc vlterius redituram: li. 16. li. G. infra 297

Opinio Plotini: animam per actiones pspicuè vires suas: naturamque perspicere: ac nisi omnes edãtur se suaque perfecte nõ cognituram: li. 16. li. A 297

Opinio Plotini: quamobrem animæ breuis est hîc habitatio: lib. 16. li. B 298

Opinio Plotini: quòd quemadmodum vnius mundi circulus multos complectitur, saturnios, iouios, martios, solares, alioſque deinceps: sic vnum animæ mundanæ per species suas circuitũ intimũ multarum animarum particularium continere: li. 16. li. E 298

Opinio Plutarchi demetriiq; philosophi Emilianiq; rhetoris de dæmonibus, humanisque spiritibus: quòd, scilicet sempiterni existant: & alia multa de hoc: lib. 10. li. D 147. 148

Opinio Porphirij & Platonis: quod hominis animus deum inquirendo purus efficitur: deum imitando fit deus: lib. 14. li. D 249

Opinio Proculi: quòd tria tantum corporum genera esse dicantur: lib. 1. li. B 7

Opinio Proculi: quòd tria tantum formarum genera esse dicantur: li. 1. li. C 7

Opinio Proculi: ꝙ anima cum sit generationis principium seipsam generet, atque viuificet: vt à se ipsa essentiam habeat: & alia multa de hoc lib. 8. li. E 123

Opinio Proculi: quòd mundi opifex dum se animaduertẽdo seipsũ gignit: in se simul generat omnia: lib. 11. lite. K 173

Opinio Proculi seu paradoxõ: composita ab elementis neque sempiternitatem habere, neque statum: sed puras mentes vitamque possidere, & alia multa de hoc: lib. 11. li. I 183

Opinio Proculi: quòd anima ab vnitate in multitudinem dissonantem: à statu in mutationẽ omnis ferme quietis expertem dilabatur: li. 16. li. A infra 303

Opinio Proculi: cæleſtes animas etiam intelligendo discurrere: & alia multa de hoc lib. 17. li. I 313

Opinio Ptholemei concedentis particulares effectus circa materiam, haud quanquam absolute sequi cælestia: quæ vniuersales remotæque causæ sunt: sed quatenus mediæ causæ tribuunt: & mobilis dispositio materiæ continuis subditæ causis: & alia multa de hoc: li. 9. li. D 133

Opinio Salomonis: quòd vanitas vanitatum & omnia vanitas: libro vndecimo litera C supra 184

Opinio Serapionis, Auicennæ & antiquorum philosophorum: dæmones atræ bilis incitamento homines decipere: libro decimosexto litera H 306

Opinio Sixti pithagorici: hominis animum dei templũ effici: dei verò æterni templum nunquam ruiturum: & alia multa ad hoc: lib. 14. li. C 241

Opinio Socratis: super formas quę in subiectis formatis iacent: quoniam imperfectæ sunt, esse formas in seipsas atque perfectas: vnde à forma subiecta formentur: li. 6 li. I 82

Opinio Speusippi, Xenocratis Numenij, Plotini formam irrationalem animationẽ, viuificationemque corporũ dici: & ipsam esse immortalem: licet Porphyrius & Proculus negent: lib. 5. li. E & se quen. 75

Opinio Stratonis & Chrisippi cõfitentiũ vitã mundo infusam: sed ipsam esse summũ deũ: quod ipsi Platonici negabant: lib. 4. li. D 48

Opinio theologorũ aliquorũ dicentium deum eligere aliquid secundum contingen-

tiam euenire:nihil tamen ita præuaricatur:vt vel ordinem vniuersi perturbet: vel ordinatoris effugiat prouidentiam:lib.2.li.G 35
Opinio theologorum ponentium cælum Empireum tan quam prorsus mobile in æternitate:cæteras autē sphęras ęternitate simul & tempore: compositа denique in tempore:lib.3.li.H 43
Opinio theologorum priscorum:quibus Aristoteles con senſit: supremum terminū vltimamque formā esse rationalē animā:li.10.li.B 150
Opinio theologorū antiquorum:animas in corporibus dormitare:&quęcunque hic agere:pative videmur: nihil aliud esse quàm somnia: & alia multa de hoc: lib.14.li. D 240
Opinio theologorū priscorū: quòd deus gloriosus colit ar bores,ducitque & pascit bel luas:lib.14.li.E 242
Opinio theologorum priscorum: ꝙ animæ multæ sunt: quæ hęc,aut illa:hic aut ibi: non affectu:sed prouidentia quadam à deo distributa gu bernant:li. 16.li.A 296
Opinio theologorum christia norum:quòd deus sit intelli gibile primum:totiusque in tellectualis virtutis & actionis principium mediumque & finis:li.18.li.C 334
Opinio theologorum christianorum de statu animæ post mortē:li.18.li.B 345
Opinio Thomæ:quòd diuinæ voluntatis actus secundum conditionem positionemve quandam dici potest,rē hāc aut illā necessario velle:li.2. li.B 34
Opinio Thomę:animā ad statum motumque alterius in diuersisquiescere simul atq; moueri:&alia multa de hoc lib.15.li.E 276
Opinio Timæi,Locri &Platonis dicentiū essentiā quandā constare ex indiuidua diuiduaq; natura:li.3.li.E 45
Opinio Timęi:super inquinatas & mancas materiæ formas esse alias meras integras atque separatas: lib.11. li.G 183
Opinio Timęi & Proculi:mūdū intelligibilē semp quidē esse:nūq verò fieri,sensibilē verò fieri certesemp:esse nū quā:aut recrearī:l.11.li.B 184
Opinio Timæi qui Moysem imitatuseſt:deum in principio igneum cælum:terramque creasse: quasi vt præcipua mundi membra: atque vt duo hæc aptiꝰ inter se vin ciret: aërem mox aquamq; interiecisse,quasi nō sui: sed illorum gratia sint inuenta: lib.18.li.F 300

Opinio Timæi: rationalem animam à solo deo esse:irrationalem verò vitam sub ea corpori mancipatam à diis cælestibus:deo iubente pendere:li.18.li.C infra 325

Opinio Xenocratis,Speusippi, Iamblici & Plutarchi:putantium ab ipsa sempiternitate vim procedere sempiternã: non solum vsque ad mentes vltimas,quę reflectuntur in ipsam:sed etiam vsque ad animas bestiarũ. Numenius insuper vsque ad plantas ꝓducit:Plotinus denique etiã ad naturam,& alia multa de hoc:lib.10.li.F 148

Opinio Xenophanis,Parmenidis,Zenonis,Melliſſi,Stilponis,Anaxagoręi,Empedoclis quòd nihil veri sensibus cõprehendatur:li.11.li.C 184

Opinio Zoroastri:quòd mundus habeat intellectuales rectores immobiles:libro primo litera L 12

Opinio Zoroastri:quod intelligibile ipsum extra mentem sit:li.1.li.A 14

Opinio Zoroastri : ꝙ omnia sunt ex vno igne genita:lib. 2.li.F 24

Opinio Zoroastri sectatorum, deum quodammodo agere semetipsum : libro secundo litera K 33

Opinio Zoroastri: quòd pater deus non incutiat metum: sed persuasionem inducat: lib.2. li.L 38

Opinio Zoroastri:quòd omne deus perfecerit:& menti secundæ tribuerit:libro tertio litera A 40

Opinio Zoroastri : quòd deus per seipsum rapuit : neq; in mente quidem, quæ illũ sequitur, proprium inclusit ignem: quasi dixerit nullam habere cum cęteris cõparationem:lib.3.li.D 41

Opinio Zoroastri , à quo omnis manauit veterum theologorum sapientia dicentis: cælum sempiterna voluntate ferri:semperque necessitatis opera currere:li.4.li.G 55

Opinio Zoroastri : animã esse quodammodo omnia, cum dicit,mundanorum sinuum multas plenitudines cõprehendit:lib.4.li.I 56

Opinio Zoroastri , Orphei de Protheo formas mutãte: li. 4.li.B supra 56

Opinio Zoroastri: quod-hisdẽ aliquando causis omnino re deuntibus: eosdem effectus reuerti putat:li. 2.li.B supra 56

Opinio Zoroastri : quòd cælum nobis assidue voluatur: li.4.li.B 58

Opinio Zoroastri:ꝙ anima immortalis manet,ac vitæ domina est:libro quinto litera A 74

Opinio Zoroastri:quòd ascendendū est homini ad lumen ipsum:& patris radios,vnde infusa est ipsa anima multo mētis lumine circunfusa:li. 10.li.B 160
Opinio Zoroastri:quòd paterna mens instruit animabus hominum coniecturalia signa: & huius dicti pulchra declaratio:li. 10.li.B 167
Opinio Zoroastri:quòd homo non debet augere fatū:quasi in eius arbitrio sit:cedere fato,atque enim cedere:li.13 li.F 213
Opinio Zoroastri & Platonis: quòd homines complexione temperata præditi:& diuinis moribus educati,quid quid volunt à diis impetrāt: li.13.lite.H 224
Opinio Zoroastri:ꝙ anima hominum deum quodammodo cōtrahit in seipsam: quā do nihil retinens mortale: tota diuinis haustibus ebria tur:& alia multa de hoc lib. 13.li.B 225
Opinio Zoroastri: ꝙ anima ꝑ patris potentiā ignis splendidus fiat: & alia quę ibi sequuntur:lib.13.lite.H 226
Opinio Zoroastri:quòd sit aliquid intelligibile,quod hominem intelligere oportet mentisflore:vbi etiam quid mentis flos secundum Platonem & Paulum appelletur:lib.13.li.G 227
Opinio Zoroastri:quòd homo sit naturæ audentissimæ artificium:lib. decimoquarto litera B 229
Opinio Zoroastri : ꝙ nihil à paterno principio prōgredi tur:aut voluitur impfectū: lib.14.li.A 237
Opinio Zoroastri,Moysi, Platonis & Plotini:animam cū antecedat corpus,eíque dominetur:non tam àcorpore corporeum effectum habere,quàm effectum huiusmo di suū sese in corpus immergere:libro decimo sexto.li. B 305
Opinio Zoroastri de mūdi regeneratione: quā plato posuit futuram in fine munda næ reuolutionis,deo iubente,ac dæmonibus ministrantibus:libro decimo septimo li.A 314
Opinio Zoroastri& Mercurij: quòd anima ex āplo demittitur ambitu mundi: & alia multa de mente Aristotelis: quæ sequuntur:li.18.li.B 316

P

PAulus theologus tres cælestium hierarchiarum cęlos in diuina omni abstractione conscendit. li. 13. litera G, 228
Perfecta semp imperfectis anteponenda sunt:lib. primo li.E 10

Peripatetici diuinas mẽtes nusquam designant, nisi vbi accommodatè regunt aliquid atque mouent: li. 15. li. A 271
Persarum Magi, Egyptij sacerdotes, Pythagorei philosophi: vt venerem eneruarent: mero & carnibus abstinebant: sacerdotes magnę matri consecrati castrabant se, & excarnificabant: lib. 9. li. D 129
Pherecides syrus, Pithagoras, Plotinus & alij quàmplurimi propter quid moderate vixerint: lib. 13. li. F 218
Philolaus, cum deum vnitatem more Platonico nominasset cur extensam materiã duali tatem cognominauerit: lib. 17. li. G 311
Philosophia Zoroastri, Platonis, Mercurij, Trismegisti, Orphei, Aglaophemi, Pytha goræ quid erat, & vnde inchoabat: libro duodecimo litera B infra 191
Philosophię totum studiũ Platonis sententia est meditatio mortis: quandoquidem mors est anima à corpore liberatio: lib. 16. li. B 307
Physicorum opinione quomodo qualitas in partes plurimas extendatur, & diuidatur: lib. 3. li. A 44
Pinxit Zeusis ita vuas, vt aues ad eas aduolarent: apelles equam ita pinxit & canem, vt prætereuntes equi hinnirent, latrarẽt canes: Praxiteles in quodam indorum tẽplo venerẽ marmore adeo venustam expressit: vt vix à libidinosis transeuntiũ conspectibus tuta & pudica seruaretur: lib. 13. li. O 219
Pithiæ sacerdotes cum succedebant in Iouis aut Apollinis templum, cur vaticinabantur: li. 13. li. I 218
Planetarum omnium effectus qualis: lib. 18. lite. A cum sequen. 328
Plantas ostrea vno tantum superant: quod sensum habẽt: li. 10. li. G 146
Plantarum augmentum: atq; saxorũ est ab anima terræ: ideo solum quandiu hærent terræ, crescunt: libro quarto lite. B 53
Plato non nisi purgatam mentis aciem in ipsum solem diuinum scilicet deum gloriosum dirigere iussit: lib. 1. lite. D 1
Plato vir cęlestis domandi corporis gratia academiam insalubrem Atticæ habitandam elegit: Xenocrates dilectus Platonis discipulus, & Origenes eorum sectator sibi virilia exusserunt: quo libidinisincendia prorsus extinguerent: libro nono litera D 129
Plato diuine dicere solebat: q

nõ floreſcit virtus animi, niſi virt⁹ corporis defloreſcat: non acuitur mentis acies, niſi corporis acies hebetetur: & alia quę ibi ſequuntur: li. 9. li. B 139

Plato vocat deum pluribus nominibus: videlicet principium, finem, ſphæram: & alia quæ ſequuntur: lib. 12. li. C 193

Plato cum frequenter contẽplationis intentione longe ſeceſſiſſet à corpore, tãdem in ea abſtractiõe à corporis vinclis deceſſit omnino: eius diſcipulus Xenocrates ſingulis diebus integrã horam abſtrahebatur à corpore: lib. 11. li. G 210

Plato per ſe moueri quid multories appellet: li. 9. li. B 135

Platonis documentum: ne iuuenes de diuis temerè ſententias ferant: ſed credant ipſis legibus: li. 14. li. I 246

Platonis documenta Dionyſio data de diuinis myſteriis: & alia multa ad hoc: lib. 14. li. L 246

Platonis omnia ſcripta ſecundum Carneadem, Archeſilaum, Xenocratem, Ammoniũ: an poetica, vel vera ſint: lib. 17. li. A 316

Plato Pithagoricam ſapientiam, quæ à Zoroaſtre manauerat ab Archita, Curtio, Philolao didicit, Pithagoricãque ſectã p̃ cęteris elegit: lib. 17. li. E 317

Plato: vt ex tribus ſignis apparet Pythagorica nequaquã affirmauit: libro decimoſeptimo litera E 317

Plato. 9. legum libro tradit eorum, qui occiſi ſunt animas interfectores hoſtiliter inſequi: libro decimoſexto litera M 299

Plato proculdubio affimauit, deum ſcilicet humana curare, atque animæ immortali operum prędmia reddere, vel ſupplicia: aliud autem nihil: lib. 17. li. G 317

Plato ratione qua ante ipſum Moyſes: deinde Mercurius mundum generauit: libro decimoſeptimo litera G infra 317

Platonem nihil aliud eſſe Numenius dixit quàm Moyſem Attica lingua loquentem: lib. 17. li. H 317

Platonis mens quænam ſit de modo: quo cognoſcendo hominis anima operatur: li. 9. li. C 135

Platonicorum in numero non ſunt admittendi illi, qui animas in planetarum ſphæris: igneóque & aëre puro viuentes eſſe inter inferos opinantur: lib. 18. li. A 345

Plotinus mores hominum, errata, euentus perſentiebat: & cum porphyrius eius

discipulus seipsum interficere cogitaret: id ipse pspexit diuinitus atque prohibuit: lib.13.li.F 218

Plumbum, ferrumque sunt ꝓpinqua lapidibus: argentum & aurũ propinqua sunt plãtis: lib.10.li.F 146

Polemon ex intẽperato factus est continens eo die quo audiuit Xenocratem de pudicitia disputantem: quod & Diogenes fecit, cũ audiret antistitem de libertate disserentem: li.13.li.A 210.211

Porphyrius Plotini discipulus scribit: plotinum sępe solitum solui à corpore: mutare vultus: tunc mira quædam inuenire, quæ postea scribebat: quater autem fuisse se asserit his Plotini miraculis: seipsum verò, cum ageret octauum & sexagesimum ætatis annum à numine correptum semel inter contem plandũ affirmat: & alia multa de hoc: li.13.li.G. infra 210

Possibile medium est inter necessarium & impossibile: li. 5. lite. C 69

Potentiæ diuinæ subiiciuntur quæcunque contradictionẽ non includũt: libro secundo li.E 35

Potentia ad non esse nunquid in anima reperitur: quoniã immortalis est: lib. 5. litera B 69

Præcipitium quem locum Magi nominant: & quid Zoroaster de miraculis quæ possunt fieri ab anima scribat: lib.13.li.B 217

Principes super mundum præcipuè tres sunt: vt Magi putant scilicet, deus, mens, anima, lib.4.li.G 54

Principia prima quęnam sint: lib.11.li.N 105

Principium rerũ cur vnitas nominetur. li.12.li.G 194

Priuationes rerum per habitus cognoscuntur: li.11.li.G 185

Prodigia multa quæ plutarchi tẽporibus euenere: magnũ scilicet dęmonem, aliosque multos dæmones eiulasse: deinde obiisse: li.10.li.E 148

Proportiones omnes musicales quemadmodũ nascãtur: li.17.li.I infra 312

Pulchritudo aliud est q̃ res pulchra: similiterque dicẽdum de cæteris specieb⁹: quas Plato ideas vocat: li.11.li.C 171

Pulchritudo ipsa pulchrorum omniũ est mensura: & quomodo pulchritudo mẽsuretur: li.11.li.C cum seq. 176

Punctus secũdum pithagoram motu suo lineã facit: linea verò superficiẽ, superficies autem simili modo profundum: lib.15.li.D 259

Purgatorium sicut Christiani, an plato posuerit: & alia multa vana figmenta: lib. 10.li.

B & infra 318

Q

Qualitatisbeneficio in angustum coactæ quonampacto actio proueniat:lib.1.li.I 5
Qualitas cui corpus esse non possit:lib.1.li.L 5
Qualitas secundum Platonem appellatur omnis forma in corpore diuisa:lib.1.li.P 5
Qualitates omnes,quia formę sunt in alio quotiens generant,formasin alio generãt: li.1.li.D 6
Qualitas quonã pacto quãtitati ꝓxima sit:li.1.li.G 6
Qualitate tria esse reperiuntur scilicet essentia,virtus, & actio,quę in motu versantur lib.1.li.L 8
Qualitatescorporum agunt in se inuicem absque consilio: li.2.li.F 26
Qualitas quomodo non generat extrema:lib.3.li.I 43
Qualitates contrariæ se inuicem non suscipiunt: nam se vicissim & fugant &fugiũt: li. 5. li.B 74
Qualitatum quinque genera homo naturaliter appetit: scilicet rubra,&visu viridia, auditu lęta,dulcia gustu,tẽperata tactu, atque olfactu: lib.11.li.A 179
Qualitas quæ alicui subiecto inhæret inseparabilis: subiecto sublato disperditur:li.11. li.I 185
Quãtitas nihil aliud est quàm extensio ipsa materiæ:lib.1. li. E 6
Quantitatis ratione tantum diuisio fit:lib.1.li.N 3
Quantitatis extensio vbicunq; reperiatur:talem vim & prę sentiã prohibet:vt & res extensa per quantitatem tota esse simul in pluribus neque at:li.3.li.B 44
Quantitatis extẽsio partes corporis disiunctas manere cõpellit:li.6.li.E 89
Quantitate materia ipsa potiusquam anima indiget siue antecedit quantitatẽ:aduenienti tamẽ quantitati ne quaq̃ subiiciẽ:li.15.li.C 275
Quisque propriusordo rerum, sicut par est, ad propriũ sui principium vnum dirigitur: sic vniuersus ordo rerum ad vnum vniuersale principiũ refertur:li.2.li.I 18
Quotuplex omne sit: li. 4.li.G 55
Quotuplex essentia sit:&nũqd operatio ab esse differat:sicut ab essentia differre monstratur:li.5.li.L 72

R

Ratio dictat:id quod vbiq; nominatur : nihil esse aliud q̃ vniuersam naturam rerũ:eamq; esse deũ: li.2.li.E 21

Ratio fortis Olimpiodori Platonici: quòd ipsa mẽs viuat: lib.8.li.C 110

Ratio vniuersalis quod sit in anima, qua sentimus & viuimus: propterque illam nos rationales cognominari, est sententia philosophi in lib. de motibus animalium: lib. 15.li.G 264

Ratione ipsa ordo procedit: ratio in vita consistit: vita in virtute quadam indiuisibili: lib.1.li.H 6

Rationalis vis est ipsa ratiocinandi virtus: quæ consequentia cernit: libro vndecimo litera H 185

Rationalitas in homine nihil aliud est, quàm immortalitas ipsa in rationis actu educta: lib.8.li.C 116

Regiones aliæ aliis exercendo ingenio secundum Aristotelẽ aptiores sunt: licet in qualibet regione complures in omni arte mirificè claruerint: libro decimotertio li. L 221

Res quælibet appetitum rationis boni, quæ qualitas est semper mouet: non autem ratione magni aut multi, li. 1. litera K 5

Res mobilis ex se termino caret: quoniam in semetipsa non quiescit: licet necessarius est aliquis in rebus status: vt etiam motus ipso statu non careat: libro primo litera G.H 10

Res quæque quo potẽtior est, eo largius operatur: libro.1. litera F 15

Res quælibet semper aliquid agunt: atque eo tẽpore magis, quo meliores in specie sua sunt: lib.2.lite.E 24

Res vnaquæque propriè non agit in aliam: neque alia ratione: nisi vt suam formam exhibeat: lib.5.lite.F 63

Res composita: vt ignis & aqua tunc interit, quando à sua forma disiungitur: libro 5 lite.E 64.65

Res omnis prẽter ipsum deum ab ipsis theologis creatura dicitur: & ex quatuor quibusdam necessario componitur: lib.5.li.I 72

Res quæque secundum modum suæ substantiæ operatur: libro decimo litera A 156

Res vnaquæque in proprio sui fine quiescit: & proprius finis eius est causa propria: li. 10.li.L 159

Res nulla supra sevnquã attollitur: nisi à superiore trahatur: nõ enim aqua in aërem volare potest: libro duodecimo litera C 190

Rerum tres ordines ad humanam animam pertinere videtur: scilicet, puidẽtia, fatũ, natura, & quid vnũquodq;

horum sit: lib.13.li.I 212
Rerum in quolibet ordine ita natura comparatum est: vt actio in summo illius ordinis & passionis expers: passio in infimo actione priuata:in mediis autem cõpositio media.li.16.li.A 294
Rerum ordo quisq; proprius: sicuti par est ad sui principium vnum dirigitur:sic vniuersus ordo rerum advnum refertur vniuersale principium:lib.2.li.I 18
Ruffo Curtio, dum affricam obtineret, & inclinato die in porticu spaciaretur oblata est mulieris figura,humana grandior, pulchriorque, quæ prædixit eum venturũ romam, honoresque gesturum &c.lib.13.li.F. 218
Rusticus quidam,vt refert beatus Augustinus,suis temporibus secedebat à corpore& vigilare se sciebat: dum tamen videret mira quædam oculis non corporeis: libro decimotertio li.L 219

S

SAcerdos Calamensis,vt refert Augustinus solitus erat se suo arbitratu à corpore auocare:præsertim cum querula armonia demulceretur: & alia multa de hoc: libro decimotertio litera E 211
Sardanapali Xerxisque desideria:lib.14.li.I 239
Scientia quælibet secundum philosophos obiectum suũ habet:quod scitum vocant: lib.8. litera A 115
Scopus mentis est ipsum verũ bonumque, id est deus fol. 13.in.lib.2.cap. 6
Seminariæ vires in seminibus animantium nunquid summæ causæ sunt:li.vndecimo li.B 174
Sempiternitas ipsa quid sit:li.2 li.L cum sequen. 21
Seni secundum Aristotelem si præstes oculũ iuuenis,videbit penitus sicut iuuenis: li. 9.litc.C 139
Sensus circa corpora versatur: imaginatio circa simulacra corporũ:phantasia circa singulas simulacrorum intentiones: intellectus circa singularũ intẽtionũ naturas cõmunes ac rationes penit' in corporeas:li.8.li.D 107
Sentire & iudicare actus est animi:li.13.li.C 209
Singulari in quolibet tria requirũtur:scilicet natura speciei,accidentia quæ nõ sunt necessaria speciei, & ipsum ex vtrisque compositum: li. 11.li.F 166
Socrates quem Aristoteles melãcolicũ iudicauit: dæmonis familiaris inspiratiõe multa psentiebat:lib.13.li.

Socrates dum fugeretvnà cum aliis nonnullisimpetum hostium: vt ventū est in triuiū eadē qua cæteri fugere noluit:quia deterrebatur à dęmone:tum quidem hi qui alia via fugerant: in equitatum hostium inciderunt: li. 13.li.C 218

Socrati quādiu Aristides,Thucidides, alijque multi propinquabant: etiam Socrate ipso tacente,in philosophiæ studiis proficiebant dæmonis instinctu:quanto autem lōgius à Socrate recedebāt, tāto reddebātur ad philosophiā ineptiores:li.13.li.D 218

Socrates cū morti propinquaret prædixit Anito, filium eius qui tunc modestus videbatur, fore flagitiosissimū:li.13.li.D 218

Solis lux,colorum fons omniū lib.2.ca.10.li.B 16

Somnia sæpe sunt difficilis interpretationis & sæpe facilis:& qua de causa id eueniat:li.13,li.C 216

Species naturales ratione naturali:quia sempiternæ sunt,à causa mobili esse non possunt:li.8.li.B 107

Species an nobis inferatur ab integris cūctisque personis: li.11.li.G 166

Species duæ rerum cur æquè perfectæ inter se esse nō possunt:li.15.li.A 272

Species honorari iubet plato in his enim consistit mundi perfectio & scientię veritas: li.15.li.C 281

Spirituum aliqui sunt penitus immortales, alij mortales omnino, alij inter hos medij:li.9.li.K 143

Spiritibus qualē Platonici ordinem ponunt:li.17.li.K 314

Sphæræ vita angelus est:naturalesque formæ ab ideis mētis angelicæ proficiscuntur: lib.4.li.G 48

Sphærarum animæ.12. cur ad principes.12.reducantur:li.4 li.D 50

Sphæræ mundi apud priscos quot sint:li.4.li.I 50

Sphæras cælestes habere animas nō modo Platonici,sed etiam peripatetici confitentur:lib. 4.li.I 54

Sphæras elementorum viuere: & si plane constat apud Platonicos:de his tamen Peripatetici veteres nihil disseruerunt:lib.4.li.K 54

Sphærę octauæ concaua superficies est locꝰ naturalis sphæræ Saturni,ibique deuexum saturni Sphæræ conca uū tāgit octauæ:li.4.li.A 58

Sphęra ignis qualitatē triplicē possidet:scilicet colorem,lumē, & leuitatē ad superiora vergentē:li.10.li.F 155

Sphæræ cælestes secundū Plotinum,Porphiriū,Iamblicū, Proculum,

proculum, Theophrastum, Algantelem, Auicennã, Zaelem, Manilium, Ptolemeũ & albumasſarẽ ſunt animatæ:lib.15.li.D 263
Sphęra ſecundum Ariſtotelem ſicut mouet ſphæram:ſic cõ cupiſcentia voluntatem:lib. 15.li.A 269
Stare quid aliud eſt q̃ in naturæ ſuæ vuitate perſeuerare: li.3.li.E 41
Status ſtultorum,ſiue à natura ſeu à caſu, an ſicut infantium: vel alio modo eſſe debeat, & qualiter ſecundum opinionem peripateticorũ & Platonicorum dicendum eſt: lib.18. litera A infra & ſupra cum plu.ſequen. 346
Subiectum omne ſecũdum Auerroem nudũ oportet eſſe ſpecie qualitatisillius quam ſit ſuſcepturũ.lib.12.li.B 188
Subſtantia per naturam prior eſt quantitate:ac reliquis accidentibus:lib.1.li.K 7
Subſtantiæ incorporeæ ſecundum generis ſui naturã magis conuenit, vt extra corpus ſit quàm in corpore: li. 1.lite.F 11
Subſtantia in re qualibet præſtãtior eſt quàm duratio: li. 18.li.D 322
Surgere & abire quid aliud eſt quam ad deũ ſe mente conferre: iuxta illud euangelicum:vigilate & orate,ne dominus dormientes vos deprehendat:lib. 18.li.C 345

T

Tabernaculũ Germani opificis, Marſilij tempore florentiæ viſum: li.2.li.H ſupra 37
Tarius Mercurij filiuspaternis expurgationibus purgatus exclamabat: eſſe ſe in corpus mortale tranſlatum, ac intueri mirabilia & audire: lib.18.li.I 328
Tactus eſt duorum corporum proprius:li.15.li.B 256
Temporis celeritas linguæ celeritatem ſuperat: lib. 11.li. B 282
Tempus ſemper dicitur falſo eſſe:cũ eſſe eius ſit non eſſe: lib.11.li.C 282.
Theologia Orphea Protheus appellat eſſentiam tertiam animalium rationalium ſedem:lib.11.li.C 167
Theologus Ioannes euangeliſta mentem hominis quando verum aliquid attingit, non dicit,vt ſolent alij:videre rem aliquam veram: ſed facere veritatem:lib.12.li.E 192
Theologi conſummati mentẽ aurum ignitum appellant: li.12.li.F 192
Theologus Paulus mentem diuinorum contemplatricem affirmat, tum quotidie renouari, tum in eadem cum

deo imaginem transformari,tum vnum cum deo spiritum fieri:lib.12.lite.F infra 192

Theologus Trismegistus inquit:ex mente pura & diuinitate quodam modo vnum spiritum coalescere: & Platonici omnesprobant in rationibus contemplandis diuinam rationem tactu quodam mentis substantiali potiusquam imaginatione tangi:vnitatemque mentis propriam deo rerum omnium vnitati modo quodam inest timabili appellari: lib.12.li.F infra 192

Theologus secundum Platonem idoneis demonstrationis fundamẽtis & gradibus ascẽditvsque ad principium vniuersi : tangit ipsum,&c. lib.12.li.A infra 193

Theologus tum agendo, tum disputando purgat à corporeis affectibus animum, segregat rationem à fallacib⁹ rerum sensibilium coniectu ris:& alia multa de hoc:lib. 12.li.B 193

Theologos in Timæo Plato dei filios appellat: lib. 13.li. C 225

Theologi prisci:magi, egyptij sacerdotes,prophetę:hebręi Orphici, Pythagorici, Platonicię; philosophi,qui mirabili sapientia pollebant, deum coluerunt, & non tantum homines rudes:lib.14. li.D 245

Theramenes, Socrates,hodius quidam, Calanus indus,phe recides syrus morti propinqui:cur & qua de causa multa vaticinati fuerunt: lib.9. li.E 127

Terra secundum Platonismem tem quamobrem rotunda sit:lib.2.li.I 32

Terræ globum aqua & aëre, suoque igni quasi volumini bus suis circunuolutũ sphæram mũdi vnam ac stellam quandam Pythagorici nominauerunt:lib.16.li.D 300

Terram vocat Plato deam antiquissimam deorum omnium,quę intra cęlum sunt: lib.16.li.D 300

Terris seu humana vita Theramenes, Theodorus, Cirenęus, Cleombrotus, omnes Egesij Cirenaici auditores, Gymnosophistæ,& Thracię populi,non inuiti:sed sponte decedebant:li. 16.li.A306

Thimarcus quidam cũ ab eo conuiuio discessisset:vbi Socrates discumbebat: socrates dęmone prohibente,inde ea perpetrauit: quorum causa est occisus:Carneades in Nemea certauit:vertente Socrate : ac certasse pœnituit : Critoni contra Socraticum consilium rusticanti,

ramulus aliquis percussit oculum:& alia multa de Socratis mirabilibus: li.13.li.B 218

Timęus Platonis tradit deum mundi opificem iecisse in pateram quandã cuncta rerum semina,eaque inuicem musicis modulis temperauisse:lib.17.li.B 314

Tiresias solus secundum Homerum apud inferos sapit: cęteri vero omnesvelut vmbræ volitant:lib.14.li. G infra 241

Trãsmigrationem animarum in bestias qui philosophi & theologi antiquorum negauerunt:& qui concesserunt: lib.17.li.D cum plu.sequen. 318

Tribali & Illirij homines:cum sunt irati: si diutius attentiusque hominem intueãtur, eum perimunt, qui & gemi nas habent pupillas in oculis.Idem quoque faciunt feminæ nonnullæ in Scithia: lib.13.li.G 224

V

VAticinio Hercules Arabesque multi excellue re:qui comitiali morbo rapiebant:lib.13.litera K 224

Vaticinij specie adeo Albigerius carthaginensis præcellebat:vt quidquid egisset quisque aut cogitauisset, vt Augustinus testatur,dęmonum afflatu respondebat: lib. 13. ji.K 219

Vaticinium naturale excellentissimorum pręsertim ingeniorum:ex Platonis sententia oberrare non potest:lib. 14.li.K 235

Verbo siue ratione diuina:quã mundum intelligibilem plato vocat,affirmat:mundum sensibilem exornatum fuisse:lib.11.li.F infra 172

Veritas quidẽ validior est quã falsum:cum veritas esse sine eo possit:falsum absque veritate consistere nequit:lib. 1.li.B 4

Veritas quid proprie esse dicatur:lib.1.li.B 14

Veritatem super nihil est: li.2. li.B 16

Veritas corporea non est:alioquin rebus incorporeis non inesset:puta deo,angelis, numerisque:li.8.li.E 109

Veritas nunquid in anima esse dicatur:lib.11.li.C 184.186

Veritas est naturę cuiusque pura integritas & integra puritas:li.11.li.H 185

Veritas rei secundum Platonẽ in hoc versatur: vt ideæ suæ vndique respondeat: scięntia vero in hoc pręcipue:vt ipsa mens veritati cõgruat:li.12. li.A 189

Verum vnde originem trahat: lib.1.li.D 4

Victoriæ tragicæ nũcio Sophocles & Dionisius siciliæ tyrannus repente obiere: mater viso filio è Canensi pugna redeunte expirauit: & alia multa de hoc: lib. 13. lite. F 208

Videndo actus triplex concurrit, motus scilicet, coloris aspectus, fulgor luminis connectens actus reliquos inuicem, & sic & an intelligendo: lib. 12. li. F 191

Violentum neque diuturnius est: nec semper idem & ordinatum: lib. 4. li. A 51

Virtus ipsa efficax, quatenus virtus est: certum graduum numerum non includit: lib. 2. li. B 20

Virtus superior debet esse quid quid est inferior: & aliquid vltra: li. 2. li. G 28

Virtutum duo genera esse dicuntur: lib. 8. li. F 110

Virtutum discrepationes secũdum platonem quę sint: lib. 8. li. G 111

Virtus speculatiua quid aliud est nisi claritas intellectus: lib. 8. li. H 111

Virtute nunquid operatio differat: & virtus ab essentia atque esse: lib. 5. li. M 72

Vita mortaliũ quomodo corporibus iũgatur: li. 3. li. K 44

Vitam agunt homines, per rationem cerebro assignatam per iram cordi: per concupiscẽtiam iecori attributam: lib. 4. li. F 50

Vitæ quot sint, & quonam modo ipsis vtamur: & alia pulchra de hoc: lib. 4. lite. G cũ plu. seq. 50

Vita ipsa corporalis nihil aliud est quam actus continuus animæ transfusus in corporis huius complexionem ab anima non recedẽs: lib. 12. li. D 196

Vitam humanã Euripides vmbræ somnium appellat: lib. 14. litera G 241

Vitia tria Olimpiodor⁹ ex Platonis mente ponit: quę sunt siue sanabilia, siue non, & quid vnumquodque sit: lib. 18. li. H 344

Vnitas principium vocatur: veritas principij ratio: bonitas denique principij rationalis amor: lib. 2. li. M 20

Vnitas secundum potentiam numerus omnis. lib. 2. cap. 10. N 29

Vniuersi ab ordine ordo infimæ mẽtis originem habet: lib. 1. li. A 5

Vicissitudines: quibus plato tribus modis vtatur: libro decimoseptimo litera F cum sequen. 313

Voluntati quando aliquid offertur vt bonum: potest in illum inclinari voluntas: nulla inclinatione naturali in contrarium prohibente: li-

bro nono li. G 131
Voluntas ab intellectu in quo differat: libro decimo quarto litera C 234
Vultus animæ nostræ superior diuini vultus imitatio à Platonicis nominatur : libro duodecimo litera B 196

ERRATA

Fol. 20. pagina 2. linea 32. lege infinitus
Fol. 24. pagina 1. linea. 18. lege semper
Fol. 38. pagina 1. linea. 13. lege genitor
Fol. 74. pagi. 2. linea. 29. lege se

FINIS.

¶¶¶¶¶ iij

MARSILII FICINI FLORENTINI proœmium in Platonicam theologiam de animorum immortalitate, ad Laurentium Medicem.



Lato philosophorum pater, magnanime Laurēti, cum intelligeret quēadmodum se habet visus ad solis lumen, ita se habere mentes omnes ad deum: ideoque eas nihil vnquam sine dei lumine posse cognoscere: merito iustum piumque censuit, vt mēs humana sicut à deo habet omnia, sic ad deū omnia referat. Igitur siue circa mores philosophemur, animū esse purgandum: vt tandem factus serenior, diuinum percipiat lumen, deumque colat: Siue rerum causas perscrutemur, causas esse quærēdas: vt ipsam denique causarum causam inueniamus: inuentamque veneremur. Neque solùm ad id pietatis officium Plato noster cæteros adhortatur: verùm etiam ipse maxime præstat. Quo factum est, vt & ipse sine controuersia diuinus: & doctrina eius apud omnes gentes Theologia nuncuparetur, cū nihil vsquam siue morale, siue dialecticum, aut mathematicum, aut physicum tractet, quin mox ad contemplationem cultumque dei summa cū pietate reducat. Quoniam vero animum esse tanquam speculum arbitratur, in quo facilè diuini vultus imago reluceat: idcirco dum per vestigia singula deum ipsum diligēter indagat, in animi speciem vbique diuertit: intelligens oraculum illud (nosce te ipsum) id potissimum admonere, vt quicunque deum optat agnoscere, seipsum antè cognoscat. Quamobrem quisquis Platonica (quę iamdiu omnia latina feci) diligentissime legerit, con-

sequetur quidē cuncta, sed duo hæc ex omnibus potissima, & pium cogniti dei cultum, & animorum diuinitatem: in quibus vniuersa consistit rerum percep tio, & omnis institutio vitæ, totaque felicitas: præsertim cum Plato de his ita sentiat, vt Aurelius Augustinus eum tanquam Christianæ veritati omnium proximum, ex omni philosophorum numero elegerit imitandum, asserueritque Platonicos mutatis paucis Christianos fore. Ego verò cum iampridem Aureliana auctoritate fretus, summaque in genus humanum charitate adductus, Platonis ipsius simulacrum quod dam Christianæ veritati simillimū exprimere statuissem, ad illa quæ dixi, duo præ cæteris diligenter incubui: ideóque vniuersum opus Platonicam theologiam de immortalitate animorum inscribendum esse censui. In quo quidem componendo id præcipuè consilium fuit, vt in ipsa creatæ mentis diuinitate, ceu speculo rerum omnium medio, creatoris ipsius tum opera speculemur, tum mentem contemplemur atque colamus. Reor autem (nec vana fides) hoc prouidentia diuina decretum, vt & peruersa multorū ingenia, quę soli diuinæ legis auctoritati haud facilè cedunt, Platonicis saltem rationibus religioni admodum suffragantibus acquiescant: & quicunque philosophiæ studium impiè nimium à sancta religione seiungunt, agnoscant aliquando se non aliter aberrare, quàm si quis vel amorem sapientiæ à sapientię ipsius honore, vel intelligentiam veram à recta voluntate disiunxerit. Denique, vt qui ea solum cogitant, quæ circa corpora sentiuntur, rerumque ipsarum vmbras rebus veris infeliciter præferunt, Platonica tandem ratione commoniti, & præter sensum sublimia contemplen-

tur, & res ipsas vmbris feliciter anteponant. Hoc in primis omnipotens deus iubet. Hoc omnino humana res postulat. Hoc cælestis Plato quondam suis facilè, deo adspirante, peregit. Hoc tandem & ipsi nostris Platonem quidem imitati, sed diuina duntaxat ope cõfisi, operoso hoc opere moliti sumus. Sed vtinam tanta veritate id perfecerimus, quãta veritatis diuinæ veneratione tractauimus: adeò vt non aliter quoduis apud nos probatum esse velimus, quam diuina lex cõprobet. Opus autem ipsum tibi Magnanime Laurenti iudicaui præterts dedicandũ: non vt philosophica tibi aperiam, de quibus iamdiu ita disputas, vt non tam tibi, qui hæc iam videris miro quodam ingenio consequutus: quàm cæteris priscorum arcana videar editurus: sed quod & nos beneficio tuo id ocium quo facilius philosophari possemus, cõsecuti simus: & Plato noster hęc nostro erga te officio gratulaturus admodum videatur: quoniam quod ille in magnisquondam viris potissimum exoptat, ipse philosophiã vnà cum summa in rebus publicis auctoritate coniũxeris.

THEOLOGIAE PLATONICAE, DE immortalitate animorum, Marsilio Ficino Florentino auctore,

LIBER PRIMVS.

Si animus non esset immortalis : nullum animal esset infelicius homine. Cap. 1.

CVm genus humanum propter inquietudinem animi, imbecillitatemq; corporis, & rerum omnium indigentiam, duriorem quàm bestiæ vitam agat in terris : si terminum viuendi natura illi eundem penitus atque cęteris animantibus tribuisset, nullum animal esset infelicius homine. Quoniam verò fieri nequit, vt homo, qui dei cultu propius cunctis mortalibus accedit ad deum beatitudinis auctorem, omnino sit omnium infelicissimus: solum autem post mortem corporis beatior effici potest: necessarium esse videtur, animis nostris ab hoc carcere discedentibus lucem aliquam supereesse. At si lucem suam humanæ mentes nequaquam respiciunt, clausæ tenebris & carcere cæco, vnde sæpenumero cogimur propriæ diuinitati diffidere : soluamus obsecro cælestes animi cælestis patriæ cupidi, soluamus quamprimum vincula cõpedum terrenarum: vt alis sublati Platonicis, ac deo duce, in sedem ætheream liberius peruolemus: vbi statim nostri generis excellentiam feliciter contemplabimur. A

Cæterum vt euidenter appareat qua ratione potissimum mentes hominum mortalia claustra resoluere, immortalitatem suam cernere, beatitudinem attingere valeant: cona-

bimur sequenti disputatione pro viribus demonstrare, præter pigram hanc molem corporum, qua Democritiorum:
B Cyrenaicorum, Epicureorum consideratio finiebatur, esse efficacem qualitatem aliquam atque virtutem, ad quam Stoicorum Cynicorumque inuestigatio sese contulit.

Supra qualitatem verò quæ cum materię dimensione diuiditur & mutatur omnino, formam quãdam præstantiorem existere: quæ licet mutetur quodammodo, diuisionem tamen in corpore non admittit. In ea forma rationalis ani-
C mæ sedem veteres theologi posuere. Hucusque Heraclitus, Marcus varro, Marcusque Manilius ascenderunt.

Super animam rationalem extare mentem angelicam, non indiuiduam modo, sed etiam immutabilem: in qua videntur Anaxagoras & Hermotimus quieuisse. Huius denique mentis oculo, qui cupit veritatis lumen, & capit, solem ipsum præesse diuinum: in quem Plato noster purgatã mẽ-
D tis aciem dirigere iussit, docuit, & contendit. Proinde cum huc ascenderimus: hos quinque rerum omnium gradus, corporis videlicet molem, qualitatem, animam, angelum, deum, inuicem comparabimus. Quoniam autem ipsum rationalis animæ genus inter gradus huiusmodi medium obtinens, vinculum naturæ totius apparet, regit qualitates & corpora, angelo se iungit & deo: ostendemus id esse prorsus indissolubile, dum gradus naturæ connectit: præstantissimum, dum mundi machinæ præsidet: beatissimum, dum se diuinis insinuat. Ita verò nostrum animum se habere, atque esse talem, rationibus primò communibus, secundò argumentationibus propriis, tertiò signis, quartò solutionibus quæstionum asseuerabimus.

Corpus natura sua nihil agit. *Cap. 2.*

E QVoniam corpus apud Platonem ex materia quadam constat & quantitate: atque ad materiam extendi & affici pertinet solum: & ipsa extensio affectioque pas-
F siones quædam sunt: Quantitas autem aut nihil est aliud quàm extensio ipsa materiæ: aut siquid aliud est, est tamen res quædam talis, vt & diuisioni subiecta sit semper, & materiam sequentibus omnibus subiiciat passionibus, & nihil

effundat in materiam alienam: consequens est, vt corpus ipsum quatenus corpus, agat quidem nihil, sed soli passioni subiiciatur. Idem quoque ex eo patet, quod ad actionis cuiusque naturalis perfectionem tria potissimum exiguntur. Primum, vt agens in seipso potentissimum sit. Secundum, vt ad motum promptissimum. Tertium, vt facilè penetret patiens, atque ipsum patiens agenti proximè vniatur. His omnibus moles corporis impedimento esse videtur: primum, quia cùm in partes plurimas porrigatur, virtus agens in ea dispersa est, & à seipsa distans & distracta quamplurimum. Virtus verò sicut vnione augetur, ita dispersione minuitur. Idcirco siccitas vim tum caloris tum frigoris auget, quia vnit: humiditas verò debilitat, quia dispergit. Deinde quo maius corpus est, eo secũdum seipsum pigrius est, ineptiusque ad motum. Igitur quanto magis augetur corpus, tanto magis retardat motum: ac differt diutius actionem. Nempe vis leuitatis sursum tollit scintillam velocius, quàm flammam. Vis grauitatis celerius deorsum trahit lignum si acutum fuerit, quàm si latum. Postremò, cum corpus quodlibet suum impleat locum, ac locus vnus duobus corporibus nequaquam sufficiat: commigrare in vnum corpora nequeũt: ac etiam solidĩtate densitateque sua penetrationem mutuam prohibent. Itaque distantia partium virtutem agendi debilitat: molis amplitudo retardat motum: crassitudo penetrationẽ corporum impedit. Et quod deterius est, si distractas corporis alicuius partes natura coarctet ad augendam ex vnione virtutem, interim crassius corpus ipsum euadit, & ineptius ad ingressum. Ac si rarè faciat ipsum ad acquirendam motus penetrationisque facilitatem, statim virtus agendi dispergitur. Quapropter cum tres esse debeant perfectæ actionis conditiones: corpus aut habet tres alias illis aduersas: aut vnam illarum accipiendo, nõ accipit aliam. Oporteret quippe breuitatem simul habere leuitatem, & raritatem. Quæ quidem tria ad incorporalem quendam habitum corpus ipsum reducunt: vt omnis agendi virtus sit ad naturam incorpoream referenda. Nónne ex ipsa quantitate multitudo partium est tum in agente, tum in patiente, tum in medio horum spatio? At propter primum illud remissior actio est, quæ aliter esset admodum

G

A

B

vehementior. Propter secundum paulatim transigitur, quod subitò impleretur. Propter tertium serò peragitur, quod cito consummaretur. Quapropter ad vim quamdam incorporalē pertinere videtur vehemens, cita, & subita operatio.
Idem nobis ostendit ignis: qui sua tenuitate prę cęteris elementis naturæ spiritali appropinquat, est autem efficacissimus omnium: momento enim penè facit, quod alia corpora longo tempore. admixtionem in se aliorum non patitur, qualem cætera corpora patiuntur. Scintilla ignis, si detur materia, totum ferme occupabit orbē. Reliqua elementa non tantum, non tam cito, non tam vehementer seipsa diffundunt. Hic autem quia tenuis est, fit potens. Quia potens fit, latus euadit potius quàm conuerso. Fit etiam luminis quod incorporale dicitur, capax: cuius actio fit momento: & modicꝰ aër in vasis summo, vas in aquæ summo sustinet, etiam si multorum lapidum pondere oneretur. In fulgure quoque & bōbarda planè perspicitur, quantum ignis aerque valeant. Denique cælum quanto minus crassum est quā cętera: tanto luce, motu, effectu est mirabilius. Si igitur corpus quanto propinquius sit incorporeis: tanto ad agendum fit efficacius: quis non videat agendi vim in natura incorporali consistere? Quod hinc etiam intueri licet: quod sicut primum in natura, qui deus est, agit in omnia, nihil patitur: ita vltimum, quod est materia corporalis, pati oportet ab omnibus: agere verò per se in aliud minime, cum nihil sit infra ipsam quod ab ipsa patiatur. Ac si in summa infinitaque vnitate infinita est agendi virtus: in multitudine infinita nulla est virtus agendi: sed infinita patiēdi natura. Infinitā multitudinem corpus esse Pythagorici arbitrantur: quoniam absque fine diuiditur. Siquid igitur agere corpora videantur, non ex ipsa sui mole, vt Democritei, Cyrenaici, epicurei putauerunt, sed ex aliqua vi & qualitate illis insita operantur. Nec iniuria. Vbi enim contrariorum oritur oppositio, ibi naturalium corporum editur actio. Oppositio illa nascitur in genere qualitatum. Adde quod materia sub omnibus his corporibus vna est: vna quoque interminata dimensio. Si igitur actio à materia peruenireṭ, aut dimensione: vna esset omnium operatio. Nunc vero cum diuersę appareant diuersorum corporum actiones, non per materiam dimen-

sionémue vnam, sed per varias ipsorum qualitatesque operantur. Merito: quoniam qua ratione sunt eadem, agunt. Sũt autem non per molẽ in specie hac aut illa, sed per hanc formam aut illam: per formam igitur operantur: præsertim cũ agens patienti propinquet per formę qualitates prius quàm per terminos quantitatis, ac per formę vim transeat in materiam alienam, potius quam per quantitatis dimẽsionem: & singula materię puncta non dimẽsione attingat: sed qualitate. Sic per frigiditatem aqua frigefacit, ignis per caliditatem calefacit potiusquam per molem. Ignis enim non quia amplissimus, sed quia feruentissimus vrit. Ac si totius eius calor quasi ad punctum sui redigatur: propter maximam vnionem potentissimus erit ad comburendum. Sic beneficio qualitatis, præsertim in angustum coactè prouenit actio. Hinc fit vt causæ naturales effectus producant suos qualitate similes causarum potius, quàm æquales quantitate. Ac si contingat interdum æquales prouenire, necesse est prius apparuisse persimiles: quasi per qualitates actio per agatur, postquam necessariò in eis atque per eas effectus causas referunt. Ideo filij statim nati penè omnes complexione & figura parentum similes sunt: æquales autem magnitudine rarius, & posterius. Sed quis hæc non viderit? Neque enim si corpori magno propinquas, magnus efficeris: at si calido, certè calescis: neque vllo sensu percipis quantitatem, nisi prius sensum qualitas mouerit. Quis enim quã magnus sit paries iudicabit, nisi hanc ipsam magnitudinem color lumenque ad oculum vsque perduxerit? Ad iudicium quantitatis magis prius que propter distantiam perditur, quã luminis & coloris: quasi sit efficacia motionis in qualitate. Quod hinc perspicuè confirmatur, quod res quælibet appetitum ratione boni (quæ qualitas est) semper mouet, non ratione magni aut multi. Alioquin semper quæ maiora pluráve sunt, eligeremus: nunc vero in iis quę mala putamus: minora paucioráve eligimus. Qualitas autem ideo corpus esse non potest: quia duo corpora eodem in loco sine mutua offensione omnino conflari non possunt: qualitates vero plures in eodem pariter confundũtur. Siquidem in mellis materia color flauus, dulcedo, & odor, tres qualitates vbique simul reperiuntur. Quæque enim guttula mellis, fla-

H I K L M

ua,dulcis,naribusque suauis est. Accedit ad hæc,quod omne corpus natura sua in longum,latum, profundū extenditur: qualitas autem non sua natura videtur extendi. Nulla enim esset qualitas alicubi non extensa. Insunt tamen puncto, vnitati,numero,harmoniæ,virtutibus,qualitates aliquæ non extensæ. Qualitas igitur non est corpus: præsertim quia si naturalis ipsi esset extensio,quanto latior fieret,tanto fieret & robustior. Fit autem dispersione debilior. Igitur qualitas
N per se quodammodo indiuidua, in corporis dimensione diuiditur. Siquidem de ratione quantitatis solum fit diuisio: cū diuisio ex vno semper diducatur in plura. Seruat tamen qualitas etiam in corpore quandā indiuisibilis naturæ pro-
O prietatem. Nam vt Platonici arbitrantur, albedo quę est in parte quauis corporis albi, non propriè dicenda est pars albedinis illius quę est in corpore toto: immo partis albedo dici debet potius quàm pars albedinis. Nempe si albū corpus plures in partes diuiseris: in singulis partibus eadē restabit albedinis ratio,vis quoque & actio similis:non tamē amplitudo eadem vel æqualis:ideo non ad qualitatem propriè,sed ad corpus ratione quantitatis diuisio pertinet. Ad qualitatem pręcipuè in exiguum redactam pertinet actio. Hæc vtique corpus non est:ac maximè cùm ad punctum colligitur,fit incorporea. Quo fit,vt incorporalis naturę virtute,non ex materia corporum proueniat operatio.

Supra formam diuisam in corpore extat forma indiuidua,id est anima. Caput 3.

p IAm igitur à corpore ad qualitatem ascendimus. Qualitatem verò more Platonico omnē formam diuisam in corpore appellamus. Sed nunquid in ea Stoicorum Cynicorumque more sistendus est gradus? Minime. Qualitas
A forma quædam est. Formę natura simplex,efficax,agilis ad agendum. Vnde forma à physicis actus sępe vocatur. Natura huiusmodi in materiæ inficitur gremio:ex simplici diuisibilis impuraque,ex actiua passioni obnoxia,ex agili fit inepta. Ideo neque mera forma hæc est,neque vera, neq; perfecta. Non potest hæc prima forma esse,si mera non est. Vnumquodque enim prius sit saltem secundum genus opor-

tet quam inquinetur. Item non potest esse forma prima, si non est vera. Vnde enim mens hanc formã arguit non omnino verã esse? nisi inde, vbi ipsa cernit aliquam veriorem: ad quam comparata hæc deficit, & falsa quodammodo esse cõuincitur. Vbinam mens veram ipsam videt formam? Profecto aut extra se, aut intus eam conspicit. Si extra se prospicit: certe alicubi in natura est forma quędam vera superior qualitate. Si in se ipsa mens intuetur eam, non deest menti vera forma: non ergo deest mundo. Præterea validior quidem veritas est quàm falsum: cũ veritas esse sine falso possit, falsum absque veritate consistere nequeat. Non enim falsum quicquam dicitur, nisi saltem verũ sit illud esse falsum. Neque valet quicquam, nisi verum sit ipsum valere: neque vere intelligitur esse falsum, nisi per veritatem. Neque falsum dicitur, nisi quod fallit: neque fallit, nisi per imaginem veritatis. Si igitur veritas est falso validior: & forma minus, vera videlicet qualitas, in ordine rerum est aliquid: multo magis vera forma in rerum ordine reperitur: præsertim cũ quanto intellectus præstantior veriorque est quàm sensus, tanto intelligibilis forma præstantior veriorque quàm forma sensibilis esse debeat. Per hæc patuit qualitatẽ non posse esse primam formam, tum quia mera non est: tũ quia non vera. Constat idem quoque quoniam non perfecta. Primũ enim in quolibet genere, totius generis est principiũ. Quod est aliorum principium: sequentia continet. Nihil igitur sui generis deest illi quod est in suo genere primum: quemadmodum sol si inter lucida primum est, nullo caret luminis gradu: Cętera sub eo lucida, vt sidera atque elementa, non totam capiunt luminis plenitudinem. Quoniam igitur prima forma omnes formarum perfectiones cõplectitur, atque idcirco imperfecta esse nequit: recte concluditur, formam illam quæ dicitur imperfecta, primam esse non posse. Adde, quod qualitas quia ita inhæret materiæ, vt cum ea dilatetur & diuidatur, materialis (vt ita dixerim) prorsus euadit: Ac si à materia separetur, corrũpitur. Quocirca seipsam nõ sustinet, sed à materia tanquã subiecto sustinetur. Quod verò seipsum sustinere non potest, multo minus ex seipso subsistere. Itaque cum in alio iaceat, ab alio certè dependet. Oritur enim qualitas aliquando, cũ mutetur & pereat. Ni-

B

C

hil autē aliquando oritur à seipso. Quod enim genito præstat initium: generato prius sit oportet. Nihil autē seipsum præcedit. Qualitas igitur cum ab alio oriatur, & nihil oriri nisi à superiori aliquo valeat: non potest esse naturæ principium. Verum vnde trahit originem? Nunquid à materia?
D Nequaquam: quoniam cum materia commune & informe subiectum sit, atque idcirco (quantum in se est) semper & vbique ad omnes formas æquè se habeat: vndénam id prouenit, vt aliàs & alibi aliis formis ornetur, nisi ab aliquo superiore, quod eam & alibi & aliàs aliter afficit? Præterea si materia sibiipsi datura sit formam, quærimus vtrū ipsa virtute sua prius habeat eam formam, quàm sibi sit præbitura, an non habeat? Si non habet: neque concipere quidē potest. Sin habet, non est vtique materia prima, sed aliquid ex materia & formæ virtute compositum. Atque de hac ipsa virtute similiter inquiremus, nunquid eam habeat à seipsa, an ab alio? Quòd si habet ab alio: ab alio quoque habet formam. Sin à se: nunquid hanc similiter habet per aliam virtutem sibi itidem propriam (atque ita in infinitum progrediemur) an potius virtutem illam non per aliā possidet virtutem, sed per essentiam? Si ita est, essentia materiæ idem erit ac virtus siue substantia effectiua formarum, & fons erit formarum potius quàm subiectum: immo erit forma potius quàm materia, & forma omnium præstātissima, forma
E omnis diuisionis impatiens: neque fluctuabit (vt nunc) labentium varietate formarum, sed per essentiam sempiternam formis erit prædita sempiternis. Ex his colligitur materiam non habere suapte natura vim vllam formarū procreatricem: quia formare seipsum non potest informe subiectum, cum nihil omnino agere queat: siquidem actio à forma prouenit: à qua prouenit esse. Ac si materia quæ subest arti, quamuis forma non careat, non tamen à se ipsa, sed ab artis forma ad formam ducitur artificij: certè materia quæ naturæ subiicitur, cum sit informis, non à seipsa, sed à natura formæ ad formam ducitur naturalem.

Vnde igitur erit qualitas? forsitan ab alia qualitate, puta quod ignis alius alium generet? Neque id quidem. Nam qualitas quia esse nequit absque fomēto materiæ, ideo materiæ suæ nō dominatur, multo minus dominabitur alienę.

Non igitur potest corporis alicuius qualitas corpus aliud sola sua potestate formare. Corpus quidem naturale, per ipsam molem, quæ soli passioni subiicitur, agit nihil: per qualitatem verò non agit sufficienter. Hæc enim quandoquidem non habet sufficientiam existendi, non præstat corpori sufficientiam operandi. Profectò quia ignis prius genitus fuit ab aliquo quàm ipse aliud generaret: prius sibi conuenit vt sit effectus, quam efficiens. Effectui conditio hæc innata est: vt pendeat aliunde. Quapropter quoties ignis aliquid operatur, agit tanquam superioris causæ instrumentũ. Si enim ignis hic aut ille esset causa generandi, ignis prima id est summa: cũ à causa alicuius generis prima genus profluat vniuersum: totum vbique ac semper ignem efficeret: itaque faceret cum se ipsum, tum ignem quemlibet qui ante ipsum fuit, & qui pòst erit. Cum igitur ignis hic aut ille non sit prima generationis huiusmodi causa: quærimus cuius sit causæ instrumentum. Nunquid ignis alterius? Nequaquam. Primo, quia æqua est illa causa, non superior. Deinde, quia vel extinctus est iam ignis ille vnde hic ante manauerat, vel remotissimus. Aũ forte instrumentum est aliorum elementorum? Neque id quidem. Non est enim in dissimilibus & contrariis elementis vlla ignis generandi ratio: cui ignis hic alium generaturus tanquam instrumentum, subiiciatur. Num igitur instrumentum sit cæli? Minime. Non enim ignis hic remotissimi illius corporis instrumentũ fieri potest aliter quam per medium. Media vero hæc corpora sunt inepta. Ac potius inter cœlum, siue ignis spheram, atque dissimilia elementa, ad ignem hunc in terra gignẽdum interponendus est ignis aliquis hunc ignẽ generaturus, quàm conuerso. Similiter in singulis rerum naturalium speciebus argumentabimur. Quamobrem præter omnes huiusmodi formas inesse oportet omnibus & præesse substantiã quandam incorporalem per corpora penetrantem, cuius instrumenta sint corporeæ qualitates. Quo enim pacto qualitates singulæ, quę suapte natura instabiles inordinatęque sunt aut stabilem ordinem in generationis successione seruarẽt, nisi per ordinem altioris causæ stabilem regerentur: aut ad eosdem effectus statutis temporum curriculis semper reuerterentur, nisi vna eademque causa esset quæ illas quouis

I tempore ducens: statutis temporibus similiter duceret.

Mens humana quotidie à particularibus formis ad vniuersales absolutasque se confert. Item super naturales formas certis adstrictas materiis, p mathematicas (quibus incerta materia sufficit) ad metaphysicas (quę neque certa neque incerta materia indigent) ascendere solet. Preterea à dimensionibus quæ tam situ quàm partibus egent, ad punctū sine partibus, sed quodammodo circa situm: rursus à pūctis ad numeros, qui partibus quidem indigent, situ verò nequaquam: demum à numeris ad vnitatem, cui neque situ neque partibus vllis opus est, sese attollit. Atque vltra vnitatem indiuiduam, sed accidentalem, ad substantialem se vnitatem id est formam transfert, indiuiduamque essentiam: accidentium fundamentum simul atque originem, tanquam ad fixum quendam & in seipso manentem accidentium per se mutabilium, alterique semper hęrentium, cardinem. Si tantam ad ascensum rationalem mens humana potentiam habet, quæ & pars quædam est vniuersi, & corporeis vinculis impedita: multo certè maiorem ad idem in seipso possidet

A vniuersum: præsertim cum infimæ mentis ordo ab vniuersi ordine trahat originem. Vbi vero ad agendum potētia maior viget, ibidem naturaliter & magis & citius proditur in actum. Accedit ad hæc, quod si quelibet rerum genera ad vnum quiddam in suo genere quodammodo indiuisibile reducuntur, cuius simplicitate consistunt: vt puta motus tempusque ad momētum, forma naturalis ad gradum minimū naturalem, geometricæ dimensiones ad signum, numeri ad vnitatem: cur non etiam substantiæ genus ad indiuisibilem substantiam redigatur? Vt quemadmodum figuræ omnes quæ inæqualitatis participes sunt, ad circularem omnium æqualissimam referuntur, circularis ad indiuisibile centrum totius æqualitatis initium: ita formæ accidentales diuisibilesque, ad substantialem diuisibilemque formam, forma hu-

B iusmodi ad substātialem & indiuisibilem reducatur. Atque vt vltra qualitatem, quæ non decremento solum, sed etiam remissioni subiecta est, substātialis corporalisque forma est, quę à remissione est libera, quanuis decrescat: ita super hanc esse debet substantialis forma, quę neque remittatur, neque decrescat: vt ascensus qui in melius proficit, pficiatur in op-

timo. Talis erit substantia incorporea, quæ in primis hoc habet, vt natura sua minui nequeat: quã oportet alicubi secundum propriam formam in natura subsistere. Indiuidua siquidem & simplicia diuiduis necessariò priora sunt atque compositis. Vnumquodque enim antè sit oportet, quã protẽdatur & tumeat. Indigent quoque hæc illis, non conuerso. Ab illis enim hæc sumunt exordium, & terminantur ad illa. Quapropter si hæc secundum propriam formam in rerum natura subsistunt, multo magis oportet illorum quo- C
que genus alicubi secundum formam propriam reperiri. Nempe ex eo quod natura efficacius meliusque materiam suam mouet quàm ars suam, coniicimus principalem formam in natura materiæ suę magis dominari, quàm principalem in formã arte materiæ suę. Si dominatur magis, duo concluduntur: tum quod propius quàm ars adest materiæ secundum situm: tum quod magis quam ars secundum sub D
stantiam excellit materiam suam, magisque potest per se sine illa existere. Mouet autem ad idem me talis ratio plurimũ, quod qualitates omnesquia formę in alio sunt quoties generant, formas in alio generant: Non enim possunt liberiorem prolem quam ipsæ sint gignere. Generant ergo formas in materiæ gremio: materiam verò ipsam, quæ in alio minimè iacet, sola illa facit seruatque forma, quę non iacet in alia. Materia enim neque ex se est, cum imperfecta sit, & non agat ex se: neque ex qualitatibus, quas antecedit ipsa: sed ex forma quadam quæ materiam antecedit. Talis est penitus incorporea. In talis formę virtute operationéque fundantur qualitatum virtutes operationesque, postquam in illius opere opera super fundantur illarum. Sed de hoc aliàs.
Nunc autem meminisse oportet, materiam ipsam, vt Mercurius trismegistus, Timæusque putant, esse informem, nõ- E
nihil: nihilo proximam, quòd primò infinitéque sit patiens. Vnde sequi Plotinus existimat, vt propinqua ipsius materię dispositio, id est dimensio, qualitasque, & vanissimum quiddam sit: & quantulumcunque est, totum sit passio quædam. Dimensiones enim nihil esse aliud quàm materię ipsius extensiones: qualitates verò nihil aliud prẽter eiusdem, affe- F
ctiones videlicet vmbratiles, & labentes, tanquam vmbras quasdam eminentium arborum in torrente. Demum con-

cludit,neque materiam,cum sit primum patiens: neque dimensiones,qualitatesue: cum sint primi patientis passiones primæ,esse prima actionum principia posse. Ita Plotinus. Alij verò quiddam aliter,quanuis ad eundem finem,ita distinguunt. Profectò aiunt materiam ipsam agere nihil posse: quantitatē quoque,si est extensio ipsa passiua materiæ proficiscens à causa quadam materiam extendente, agere nihil:cum sit primi patientis perpetua passio. Sin autem est quasi forma quædam per quam causa materiæ motrix extendit materiam, agere forte nonnihil in materiā propriā, quia sit medium quo causa illa materiam videtur extendere:sed in materiam alienam nihil penitus operari,quoniam semper distare cogit agens à patiente: quod impedit actionem. Qualitatem verò in materiam tam alienam quā propriam secundū Peripateticos aliquid operari. Quod si à materia quæ in neutram agit materiā,ad qualitatem,quę quodammodo mouet vtranque,per mediam quantitatem,quæ solum in alteram scilicet propriam quodāmodo operatur, nos ratio ducit:nunquid à quantitate,quæ nullo modo mouet materiam alienam,absque medio vllo ad rem illā transibimus,quæ omnino moueat alienam?nequaquam. Qualitas autem est proxima quantitati.Itaque non est omnino sufficiens qualitas ad extrinsecam actionem.Si ergo claudicat ad agendum,à substantia superiore dirigitur,quę omnino sit potens.Merito autem qualitas claudicat: quoniam eo ipso momento quo nascitur,spargitur per materię latitudinem profunditatemque,& quasi letheo flumine mergitur. Quo fit : vt antequam ipsa agat quicquam à materia quasi inficiente quodammodo superetur . Nunquā ergo vis eius vincit per se materiam . Idcirco nunquam per se mouebit, nisi à superiore causa roboretur.Roboratur profectò & ducitur à vita quadam: quæ etiā ex luto non viuente , quando ranæ generantur & muscæ,vitam gignit ac sensum : ex vna deformique materia simi varios speciosissimósq; procreat flores per varia & speciosissima semina: quæ cum sæpe non inueniātur in fimo,necessariò in vita ipsa sunt.Sparsas quoque materias cogit in ordinē.Ordo à ratione procedit. Ratio consistit in vita.Vita in virtute quadam indiuisibili. Siquidem mors diuisione & resolutione contingit:Rursus e

frigidorum corporum collisione generat ignem. Et quando reflexio radiorum in speculo, aut calens ferrum per qualitatem ignis accidentalem calefacit lanam: vita illa per vitalia ignis semina substantialem ignis speciem producit in lana. Quid denique in nobis putamus esse quod nutrimentum haud violenter consumit, sed suauiter & ordinatè concoquit & digerit? Quod tam mirabiliter ad viuam redigit formam alimenta non viua? Quod grauia sursum, leuia deorsum, absque manifesta violentia, præter, immo super illorum naturam, prout vsus vitæ postulat, continue transfert? Quod pugnantia inter se conciliat, vincitque in vnum? Certe non simplex calor igneus, non alia qualitas vlla pugnantium, non natura diuidua non nuda naturæ proprietas: immo verò superior quædam & indiuidua & viuifica virtus. Sicut autem in nobis, ita & in vniuerso considera. Atque ex I
his collige, formas corporales non habere ex se inuicē generationem sufficientem, sed causam postulare insuper aliquam altiorem. Quæ quidē superior causa si rursus forma esset similiter iuncta materiæ, ab alia iterum substantia superiore descenderet. Tandem, ne fiat in infinitum progressio, ad formam aliquam perueniendum est, quæ nullis sit mixta corporibus. Tanta verò est in genere formarum virtus ad id, vt à materia separatæ esse possint, vt etiam siquis illas esse quidē coniunctas ex se dixerit, verùm ex ipsa mentium contemplatione seiungi: hinc saltem fateri cogatur, K
mentes ipsas esse seiunctas: quandoquidem ipsæ alia separant. Quod hinc rursus apparet, quia substātia per naturam & dignitatem prior est quantitate, ac reliquis accidentibus. Et quia quod prius est, potest esse à posteriore seorsum: potest esse substantia quædam sine quantitatis diuisione: & si potest, vtique est aliquando: ne desit naturæ ista perfectio, ne frustra sit ista potentia. Nam in his quæ ad præcipuum
vniuersi ordinem pertinent, ita se res habet, vt quicquid po- L
test esse, aut iam sit, vt physici opinantur, ne contingat in æternis mutatio: aut saltem futurum sit aliquādo: ne aliquid sit semper inane. Ac si vita, quæ sola origine naturali antecedit sensum: iam nunc per se exiſtit alicubi sine sensu, multo magis substantia, quæ quantitati tam dignitate quam origine præstat, consistit nunc in rerum ordine seorsum à quā-

titate:præsertim cum perfectius sit vniuersum si substantiæ
A quædam sint solutæ à vinculis quantitatis,quàm quod sint
vitæ quædam sensus expertes. Auerrois ex Aristotelis sen-
tentia probat corpoream substantialemque cæli formã ca-
rere materia:quia videlicet ibi nulla sit ad diuersas formas
potentia,quę propria est natura materię.Ibi tamen dimen-
sio est: & eiusmodi formam inter naturales formas atque
diuinas esse mediam arbitratur:quia naturales formæ cum
materia simul quantitatéque sint:diuinæ ab vtrisque peni-
tus absolutæ:cæli verò forma vtrarumque media sit:ne ab
extremo ad extremum sine medio transeatur. Quapropter
eam cum quantitate quidem esse,sed sine materia, consen-
taneum esse censet.Hinc nos hunc in modum argumenta-
mur.Cum substantialis forma soleat in materia potius quã
in quantitate iacere,atque habeat secundum generis natu-
ræque ordinem,maiorem cum materia quàm cum quanti-
tate proportionem: si alicubi absque materia potest esse,
multò magis alicubi seorsum à quantitate cõsistere potest.
B Præterea,vt Proculo placet,tria sunt genera corporũ. Sunt
enim quędam(vt eius verbis vtar)materialia simul atque
composita,qualia sunt quę ex elementis quatuor cõponun-
tur.Sunt vlterius elementorum sphære:materiales quidem
C sed quodammodo simplices. Sunt denique cælestia corpo-
ra,& simplicia & immaterialia simul.Tria quoque forma-
rum genera ponit, haud aliter quàm Auerrois. Vult enim
generalem formarum definitionem eiusmodi esse. Forma
est id quo aliquid distinctè & actu est,& agit. In hac autem
definitione dimensiones omnino nullas includi:subiectum
tamen quodammodo fortè significari: dum videlicet dici-
tur,quo aliquid:& cætera quæ sequuntur.Vnde concludit,si
quę formæ sine subiecta materia sint,sicut cælestes:multo
magis & multo plures absque dimensione esse posse simul
D atque debere. Item sic Proculus & Sirianus ad idem argu-
mentantur.Quod ab alio semper extenditur,necessariò di-
mensionibus est adstrictum: quod vero extendit, minime.
Materia igitur cũ semper ab alio extendatur, necessario di-
mensionibus obnoxia est.Quia tamen vnumquodque pri-
us in se est quodammodo quàm extendatur:materia potest
indiuidua cogitari.Quapropter principium illud à quo ex-

tenditur, multo magis potest sine dimensionibus non modo cogitari, sed etiam esse. Præterea omne diuiduũ est quid dam totum vnum ex pluribus partibus constitutum : quæ partes nisi haberent in se vnum aliquid atque idem cunctis commune, nunquam totũ illud conficerent. Non enim fit vnũ nisi ab vno. Rursus, nisi essent participes vnitatis, nulla partium esset vnum, sed plura in infinitũ, & quælibet pars innumerè infinita. Vnum autem illud partibus insitũ, non est diuisum singulatim in singulis. Egeret enim ipsum quo que alio copulante. Ergo est idem totũque in singulis. Tale quiddam incorporale esse necesse est. Item cum omne corporale sit vnum quiddam totum ex partibus, quidnam illius vnionis causa est? An totum ipsum vnit partes, vel partes totum vniunt? Vel superius aliquid, quod neque pars sit vllius, neque totum ex partibus partes vnit inuicem, & ad totum? Totum partes sequitur potius, quàm vniat. Ac si admittatur quod vnit partes: incorporeum erit? Si enim sit ipsum quoque diuiduum: eget alio similiter vniente. Si partes vniunt totum, absurdum id quidem, quòd à multitudine vnitati opposita fiat vnio, quæ fieri debet ab vnitate. Reliquum est, vt præter partes singulas atque totum adsit aliquid vnum conspirationis illius causa, quod quidem sit incorporeum: ne cogatur ipsum quoque copula indigere, atque ita abeamus in infinitum. Quapropter non est putandum formam aliquam diuisam in corpore, apicem esse naturæ, rerumque principium: præsertim cum oporteat principium rerum vi sua sempiternum fuisse, & fore. Fuisse quidem semper: nã neque potuit ex se aliquãdo prodiisse (fuisset enim ipsum ante seipsum) neque ex alio: nihil enim ante primum. Reliqua verò non essent vnquam nisi prius fuisset primum. Fore quoque semper: quoniam extincto principio, corruunt vniuersa, neque ipsum amplius, neque aliud quicquam renasci potest. Habeat ergo necesse est vim infinitam, per quã ex se infinitè viuat: hanc non habebit, si fuerit corporale. Nam si dimensiones habuerit infinitas: nihil erit in rebus aliud prẽter ipsum. Si finitas, vim quoque finitam habebit. Mitto (quod aliàs ostendemus) neque corpus, neque corporeã formam, & indignam & mutabilem, sufficiens motionis principium esse posse, sed omne corporeũ

ab alio agitari, atque opificem, qui opificio miſcetur inficiturque, nō poſſe operi dominari: opificemque eſſe perfectū, primúmve mundani operis architectū. Ergo formam corpoream tranſcendamus: & conſideremus nunc primā quæ deinceps occurrit: vt ſicut à corpore tanquā infimo aſcendimus ad formam corpoream quaſi mediam, quia habet corporis aliquid, dū dilatatur in corpore: aliquid verò non habet, ſiquidē ipſa non eſt aliquid ex materia & forma cōpoſitum: ita nunc ab hoc medio ad formam ſublimiorem incorpoream ſcilicet, prouehamur, quæ nihil habeat corporis, ſed corporibus diſtribuat qualitates. Quæ quoniam per ſe ſubſtiſtit, vera forma & eſſentia nominatur: tertia inquā eſſentia: quam etiam ſuo loco rationalem animā appellabimus. Quā ita irrationalis anima comitatur, vt corp⁹ vmbra. Eſſentia illa, & vera & immortalis à Platonicis ideo iudicatur, quia neque partibus indiget, in quas aliquando diſſolui poſſit, & per quas diſperſa virtus debilitetur: neque ſubiecto adſtringitur, à quo deſerta aliquando euaneſcat: neque contrariæ formæ miſcetur, qua infici poſſit: neq; vel loco clauditur, vel tempori vel motui ob indiuiduā & in ſe manentē ſimplicitatem ſubſtantiæ ſubeſt.

H

I

Anima rationalis per ſubſtantiam immobilis eſt, per operationem mobilis: per virtutem partim immobilis, partim mobilis.
Capit. 4.

K

TErtiæ huius eſſentiæ naturam qualē eſſe dicemus? Immobilem ne prorſus, an potius mobilem? Certe non omnino immobilē: quia ipſa fons eſt qualitatū fluentium in materiam, quæ omni quiete carent. Omnis autem cauſa ſecundum naturam propriam agit: ideóque oportet in opere vim aliquam & imaginē cauſæ reſeruari. Si eſſentia illa quæ eſt cauſa qualitatū, eſſet proſus immobilis, quia per naturam ſuam omnino immobilē ageret: qualitas inde deſcendens immobilem in ſe naturam aliquam retineret. Contrà verò contingit. Nam tria in qualitate ſunt: eſſentia, virtus, & actio: hæc omnia verſantur in motu. Eſſentia eius generatur atque corrūpitur: generatio & corruptio per motum efficiuntur. Virtus quoque naturæ ſuæ intenditur atque

L

que remittitur: puta calor magis minúsve feruet. Quod autem magis minús ve diuersis tẽporibus calet, proculdubio permutatur. Actio quoque idem patitur. Ignis siquidem actio, calefactio est. Aquam non momento calefacit, sed tempore. Actio tẽporalis motus ab omnibus nominatur: ideo qualitas omni ex parte subiicitur motui. Quod hinc rursus apparet perspicue, quòd affectio corporis quæ per qualitates efficitur, non potest per aliquam temporis moram eadem penitus & similis permanere, ac semper tum in aliam atque aliam graduum proportionem, tum in melius vel deterius permutatur. Nempe siquis dixerit adultam corporis affectionem permansisse per horam, Platonici ita interrogabunt illũ: hora finita, nunquid par sit tunc in illa affectione virtus, ac in horæ principio? Si non sit par virtus, certè non stetit horam: cum in ea hora sit secundum potentiam permutata. Si par virtus dicatur inesse, affectio illa horam rursus aliam perdurabit. AEquales enim vires æqualia faciunt. Igitur si per tantam vim permansit horã, per æqualem rursus aliã permanebit. Hora secunda expleta, similiter de virtute illa interrogabunt, par ne sit, an impar. Si impar: nõ stetit. Sin par: stabit quoque tantundem. Deinceps in infinitũ similiter procedent: monstrabuntque naturam illam corporis, si modò horam, aut horæ dimidium steterit, perpetuò permansuram. Perpetuò verò nonviget corporis secundum se vllius complexio: cum breui omnes extinguantur & pereant: itaque vix momentum temporis eædem perseuerant. Et quia in eodẽ momento incipiunt atque desinunt, in incipiendo autem & definendo integerrimus existendi habitus minime possidetur, integro verò existendi actu opus est ad agendum: ideo confirmari videtur quod in superiori disputatione probauimus, non esse in qualitatibus sufficiens agendi principium. Sed vt ad quæstionem hic propositam reuertamur: si est in qualitatibus, quantũ ad eas attinet, motio status omnis quodammodo expers: quonampacto ab ea causa gigni proximè possunt, quæ tãto ab ipsis interuallo distet, vt statum habeat omnis motionis expertem? Si ab extremo ad extremũ omnia per media transeunt, vt ab hyeme per ver in æstatem, ab æstate in hyemẽ per autumnũ: certe inter qualitatẽ penitus mobilem, atque essentiã pror-

M

A

sus immobilem, necessariò ponendū est aliquid quod partim immobile sit: partim etiam mobile. Itaque substantia illa qualitatum proximè genitrix, omnino immobilis esse non potest. Quid ergo dicemus? An istam quoque substantiam omnino mobilem asseremus? Minime. Nam vel esset in genere corporalium qualitatum: in quo tamen genere sistere gradum non possumus. Vel causa quæ in genere superiore locatur, effectum suum sufficienti perfectione non excederet: si substantia quæ qualitatis est causa, non minus quā qualitas vacillaret. Quocirca substantia illa partim stat, partim verò mouetur. Tria quidem in se habet & ipsa: es-
B sentiam, virtutem, operationem. Quid horum stabit? quid mouebitur? operatio quidem stare non potest, si duo præcedentia permutentur. Neque moueri essentia, quin sequētia moueantur. Stabit ergo primū, scilicet ipsa essentia: mutabitur vltimum, videlicet operatio. Sed mediū vtrorunque virtus, quid? Stabit & ipsa partim, partim quoq; mutabitur.

Super animam mobilem est immobilis angelus.
Cap. 5.

C HActenus formam quandam supra corporis cōplexionem inuenimus, quam rationalem animam appellabimus cuius essentia semper eadem permanet: quod significat stabilitas volūtatis atque memoriæ. Operatio autem ex eo mutatur, quòd non simul cogitat omnia, sed gradatim: neque momento alit, auget, & generat corpus, sed tē pore. Naturalis virtus manet: quia naturalis ei⁹ vigor viget
D perennis, neque intenditur neque remittitur. Virtus acquisita mutatur: quia ex potentia in actum, ex actu transit in habitum: atque conuerso. Hucusque ascendit Heraclitus, Varro: atque Manilius: cæterum altius ascendendum. Siquidem forma hæc non potest esse totius naturæ principium. Perfectior enim est operatio stabilis, quæ vno momento perfectissime suum opus absoluit, quam quæ indiget tēpore. Integrior est vita, quæ tota simul est vnita secum, à seipsa non distans, quam quæ per diuersa temporum momenta porrecta, secundum actus affectusque intrinsecos quodāmodo à semetipsa distrahitur. Igitur super hanc formam, cuius ope-

ratio extrinseca vagatur per tẽpora: cuius vita, id est intrinseca operatio quasi quodam fluxu dispergitur: ponenda est alia quædã forma sublimior, cuius operatio stabilis sit: cui⁹ vita tota simul vnita. Siquidé perfecta semper sunt imperfectis anteponenda: propterea quod sicut perfecta in aliquo genere sunt illa quę per suam naturam sunt talia: sic imperfecta sunt, quę per se talia non sunt: alioquin essent integerrimè talia. Si itaque imperfecta non sunt per seipsa, per superiora coguntur esse. Item quod mouetur, ex potentia & ocio prorumpit in actum, & terminum aliquem sui motus ac finem expetit: quasi sibi ipsi minus sufficiet, sed illo egeat ad quod motione sua se confert. At verò super id quod ex ocio migrat in actũ, existit aliquid semper quod actus plenus est, atque perennis. Super id quod propter indigentiam transmutatur, existit aliquid necessariò, quod quia vel nullius vnquam indigum est, vel iam pleniſsimum, non mouetur: præsertim cum id quod mouetur, per appetitum proficiendi mutetur, neque possit aliter quàm melioris præstantioriſsque naturæ adeptione proficere: neque habeat rem illam quam quęrit, per motionem, sed post motum adipiscatur: non quidem à seipso (quid enim mutari oportuisset?) sed ab alio quodam vberiore. Quod enim sui natura caret termino, ab alio perfectiore terminandum est: Res mobilis ex se caret termino: quia non quiescit in semetipsa. Ac si res quædam talis sit rerum principium, quia per operationem suam mutabilem efficiet omnia: nullus erit status in rebus. Nunc verò vsqueadeo necessarius est aliquis in rebus status, vt etiam motus ipse statu non careat: Nisi enim res quę per motum aliter atque aliter affici dicitur, maneat in substantia per aliquod tempus: eadem nec mutabit affectiones, nec variabitur paulatim, sed momento tota cessabit. Et ipsa ordinatiſsima cælorum circa idem centrũ eosdemque polos reuolutio. Motionum æqualitas, syderum restitutio, alicuius status est particeps. Atqui quemadmodum quod stat, stat propter vnitatem, & vnitur in statu (quod aliàs declarabimus) ita quod mouetur, mouetur propter statum: & stat in motu. Mouetur inquã propter statũ id est propter quandã motricis virtutis stabilitatẽ: quę nisi in suo vigore maneret, non seruaretur ordo vllus in motu: immo neq; motus

vel parumper continuaretur. Rursus stat in motu, id est perseuerat in norma eadē vel æquali vel simili motionis. Multa
I etiā sunt quæ & si secundū aliquā speciē motus mouentur, tamē secundū species alias non mouētur: partim ergo mouentur, partim verò quiescunt. Adde ꝙ cū prima rerū materia sit sempiterna, quod per substantialē mutatur formā: interea tamen ꝑmanere cogitur ꝑ materiā. Itaq; multo magis quod secundum quantitatem, qualitatem, locum mutatur, manere potest, immo & debet interim per substantiā. Quid plura? quod nullo pacto manet dum admittit statum, totum simul & motum amittere cogitur. Si itaque est aliqua in rebus stabilitas, non potest rerum principiū mobile esse. Quare quod mobile est: non est naturæ principium. Igitur est aliquid super animā, vt anima quę natura sua ad intelligendum & non intelligendum est indifferens, cum vicissim ab altero permutetur in alterū, per eius influxum ad intelligendū determinetur, quod in tali genere semper est actum. Tale est, quod est semper intelligens, siue semper
K intelligibile actu quod est idem. Præterea quicquid secundum partē tale est, per illud duntaxat tale est, quod tale secundum se totum existit: sicut lignum ex parte calidū, per ignem calescit, qui ex toto calet: quia quod tale est per naturam suam, puta calidum: sicut totū à natura propria cōprehenditur, ita totum ab huiusmodi qualitate. Atque contra, quod per partē est tale, non est tale per semetipsum. Tertia vero essentia illa, scilicet anima, non est secundum se totam intelligentia. Habet enim alias quasdā naturas præter intelligentiam, expertes intelligentiæ. Ergo mēs in anima, pars quidem est animæ. Pars quoque est mentis quodāmodo: mentis inquā altioris, quę tota solaque mens est. Quippe si anima mentē haberet à semetipsa, in animę substantia ratio propagandæ mentis inesset: vnde & tota anima esset mens, & mens quidem tota atque perfecta & omnis anima mentem haberet: quia in qualibet anima ratio animę reperitur. Et sicut mouere corpus, quia per naturam suā animæ conuenit, animabus singulis inest: ita intelligendi facultas animabus inesset omnibus, etiam bestiarum: si per naturā suam competeret animæ. Ac si super naturā minimè efficacem, esse efficaciorem aliquam necesse est: & mens quæ

est in anima, neq; solo sui actu vllũ extra se opus efficit, neq; efficaci suæ animæ potentiæ imperat: oportet super eã esse mentẽ suo actu alicuius operis effectricẽ, & efficacis potentiæ dominam. Merito ergo sicut animæ caput est mens, hæc pars eius excellentissima: sic mentis huius, quę non suiipsius est sed animæ, non absoluta, sed ad animæ huius tracta capacitatem: non clara, sed obscura, & quodãmodo dubia: huius inquam mentis caput est mens quędam, quæ in seipsa est, liberaque & lucida. In quo sanè illud Magorũ enodatur enigma: Est res vndique lucida: est res vndique obscura: est media, lucida partim, partimque obscura. In ordine corporũ res vndique lucida est stella quælibet super lunam: obscurus vndique est aer: media luna. In ordine verò spirituum mens est lumine plena: anima irrationalis vacua: rationalis tenet medium: partem habet intellectualis luminis, parte caret. Ac partem quam habet à deo, ceu luna à sole: aliàs aliter accipit, mutatque figuram. Ideo merito super eam est angelus: qui tanquam stella quælibet super lunam, & totus semper & eodem pacto sui solis luce refulget. Profectò vbi natura superior tangit inferiorem, ibi ex infimo sui gradu supremum inferioris attingit: puta infimũ ignis, aëris attingit supremum. Natura verò intellectualis corporali est natura superior: tangitque illam adeò, vt quod inter corpora præstantissimum est, intellectualis sit animæ particeps: inferiora vero quæ plurima sunt, nequaquã. Præstantissima vero corpora sunt apud Platonicos cælicolarum, dęmonumque, & hominum. Sed nunquid mentes quę corporibus huiusmodi tributę sunt, mentium altissimę sunt? Nequaquam: alioquin natura inferior, superioris absque medio summum consequeretur. Ergo quemadmodũ sub corporibus mente prędĭtis quàm plurima corpora sunt expertia mentis: ita super mentes corporibus insitas quàm plurimæ mentes sunt nullis attributæ corporibus: atque etiam multo plures sunt quam corporum species: quoniam (vt aliàs ostendemus) rationales animæ inter æternitatem tempusque sunt constitutæ. Æternitatis verò excellentia videtur exigere, vt plures in ea quodãmodo species perfectionesque quàm in tẽpore sint. Mitto (quod aliàs demonstrabimus) interuallum inter animas primumque principium,

A Magorũ enigma

B

C

infinitum esse, sed spatium inter ipsas atque materiam, esse finitum: vt nemini mirum videri debeat, super animas plures admodum angelorum gradus, quàm gradus formarum infra animas esse posse. Præterea quando ex duobus fit vnũ, & alterum illorum quod minus perfectum est, reperitur alicubi per se manere seorsum ab altero: multo magis alterum illud perfectius, & minus egenum, esse alicubi sine altero poterit. Fit autem animal vnum ex intellectuali substantia, id est anima rationali, & corpore. Corpora multa videmus sine huiusmodi intellectu esse ac viuere. Quid igitur prohibet esse mentes plurimas corporibus non vnitas? Tales quidem erunt super animas quæ sunt vnitæ corporibus. Proinde mẽtes coniunctæ corporibus, quatenus tales sunt, speciem animalis solæ non complent, sed compositę speciei sunt partes: atque (vt plurimũ) vt intelligant, in ea quæ sensibilia sunt, aspiciũt: quare & imperfectæ quodãmodo sunt, & imperfectè agũt. Si igitur ab imperfectis in quolibet genere, ad perfecta quæ priora natura sunt, est ascendendum: consequens est vt super coniunctas mentes ad separatas ratio nos perducat, quæ & species ipsæ sufficienter suas compleant, & intelligendo ad illa quæ per se intelligibilia sunt, aspiciant. Mens ipsa, quia per intelligentiam & voluntatem, non necessariò dependet à corpore, & naturaliter formas separat, atque circa separatas versatur, & quiete potius quàm motu proficit: per naturam est à corpore motuque libera. Idcirco magis naturæ suæ conuenit vt viuat seorsum à corpore motuque, quàm vt viuat in corpore atque motu: Multæ tamen mentes in corporibus mobilem vitam ducunt: quare multò magis, & multò plures immobilem vitam agunt absque corporibus. Quis neget incorporeę substantię secundum generis sui naturã conuenire magis vt extra corpus sit, quàm vt in corpore, ideoque plures illius species à corpore seiunctas quàm coniunctas esse debere? Quod enim generi cuilibet naturalius est, id in eo existit vt plurimum. Tales quidẽ sunt angeli: qui si corpora mundi mouent: ipsi, motis corporibus nullo modo mouentur. Animæ tamen dum corpora transferunt, ipsę quoque feruntur. Motor qui vna cum moto corpore peruagatur, perpetuum stabilemque tenorem & ordinẽ mouendi non seruat: nisi prę-

sit illi motor immobilis. Ideo mundanæ reuolutionis perpetuus ordo testatur esse aliquos super animas motores immobiles. Elementa quoniam ex fluitante materia constant, seque mutuò semper inficiunt, nullum ex se ordinem obseruarent, nisi à lege cælestis motus ordinatissima regerẽtur. Cum verò & cælum per se sit perpetuò immobile, ideoque indigum: ordo in suo motu stabilis non ex ipso prouenit, sed à superno motore prorsus immobili, atque indiuiduo. Non enim in rebus tam diuersis mobilibúsque stabilis vnio perseuerat nisi à stabilissimo & vnitissimo cardine: qui tandem ad vnitatem ipsam statúmque refertur. Sanè sicut mobile se habet ad mobile, ita motor etiam ad motorem. Ergo sicut elementum quod mouetur mobiliter, ad cælum quod mouetur stabiliter: sic motor cæli mobilis variusque ad motorem stabilem vnitumque: stabile denique & vnitum ad statum ipsum vnitatemque reducitur. Profecto motorem sequitur actio illa quæ mouere dicitur: actionẽ hanc sequitur illa passio quæ moueri: neque fit contra. Non enim priora à posterioribus ducuntur, sed conuerso. Potest igitur multo magis esse alicubi actio illa quæ dicitur mouere, sine passione illa quæ est moueri, quàm passio huiusmodi seorsum ab actione. Tamen passio talis in corporibus est seorsum ab actione. Igitur alicubi erit actio procul à passione: vt sicut corpora mouentur quidem, non mouent: sic angeli moueant, non moueantur: de quibus inquit Zoroaster.

ὦ πῶς κόσμος ἔχει νοερὰς ἀνοχὰς ἀκαμπεῖς,

id est, Mundus habet intellectuales rectores immobiles.

Igitur sicut qualitates omnino mobiles antecedunt animę, partim mobiles, partim immobiles: sic animas antecedunt omnino immobiles angeli. Angelos esse, atque esse multos Aristoteles in libro 11. diuinorum ita probat. Motum cæli continuum, ordinatum, & quantũ in se est, indeficientẽ oportet à motore fieri: qui neque in se neq; per accidens moueatur. Cũ verò motus huiusmodi in cælo sint multi, inter se discreti, specieque & virtute diuersi, oportet eos à pluribus eiusmodi motoribus fieri: qui videlicet neque corpora sint, ne cogantur dum mouetur, ab alio interim ipsi

moueri: atque ita in infinitum necessariò procedatur. Neque rursus formæ in corpore: ne eas vnà cum moto corpore moueri contingat. Oportet enim ad motorem perfectissimum id est immobilem peruenire: ne in motibus vlla vnquā transgressio fiat. Motores eiusmodi, mentes sunt: siquidem in formis à materia omnino solutis intelligibile atque intellectus est idem. Hec Aristoteles. Hebræi, posterioréſq; philosophi mentes illas angelos, nūtioſque nominant: quorum præcipuos non esse pauciores quam decem, alicubi disputat Auicenna: alibi verò multo plures significare videtur. Aristoteles autem haudquaquam pauciores esse quam cælestes motus: eumque numerum probabili se ratione computauisse fatetur, quòd autem necessarium sit sapientioribus se dimittere. Quasi qui suspicabatur, ne forte mentes illæ secundum actionem suam propriam pręcipuamque id est intelligentiam, potius quàm secundum actionem communem atque posteriorem, id est motū essent dinumerandæ. Præterea cum illæ sint motionum fines, forte vaticinabatur non esse ad motionum numerum numerādas. Atque posse mentes esse quamplurimas: quæ non sint mouendis
A corporibus distributæ. Quamobrem non iniuria angelos esse penè innumeros & suprà significauimus, & in pręsentia sic ostendimus. Si species rerum naturaliū in materia, quāuis in subiecto, angustęque sint, tamen inter se non per subiectum sed per se distinguuntur, atque in numerum quamplurimum dilatantur, multo magis substantiæ ipsæ quę super materiam in seipsis viuunt, per seipsas distinctæ sunt, atque mira quadam absoluti generis sui fœcūditate in species quasi innumeras prorsus amplificatæ. Præterea intelligibile genus suapte natura magis multiplicabile quàm corporeum esse videtur. Siquidem numeri, dimensiones, figuræ, proportiones, raritas corporum, velocitas motionum, in ipsis corporibus semper terminata sunt: in mente autē absque termino pro arbitrio protenduntur. Rursus quę in materia particularia sunt, in mente vniuersalia fiunt. Denique intellectus vltra corpora cuncta, alia pro arbitrio innumera tam incorporea quàm corporea cogitat. Cum ergo intelligibile genus magis admodū quàm sensibile amplificari possit, potentiaque tam bona in vniuerso semper inanis

esse non debeat: proculdubio iam actu sunt substantiarum
species seperatarum, multo plures, quàm species corporali-
um: præsertim cum potentia præstantior, & magis & prius
in vniuersō actum sibi suum adsciscat: quàm debilior. De-
nique vniuersi ordo cum sub infinito bono quàm optime
dispositus sit, exigere omnino videtur, vt quæ in ipso sunt
meliora, quatenus fieri potest, super deteriorum quantita-
tem multiplicentur: præcipuè cum inferiora superiorum,
gratia sint constituta. Quod quidem in ipsis mundi sphæris B
manifestè videm⁹. Quo enim mobilior sphęra est, eo &am-
plior: adeo vt terra & aqua si ad superiora conferantur, quasi
punctum ad circunferentiam sese habere putentur. Quod
autem in corporibus est dimensio, id in rebus incorporeis
numerus esse videtur. Quapropter consentaneum est, vt in-
tellectuales substantiæ, vtpote quæ optimę sunt, ac per se ex-
istunt, finesque sunt corporalium omnium quæ illarū gra-
tia sunt procreata: longè plures numero sint, quàm & sphę-
rarum motus, & corpora omnia, quod Dionysius Areopa-
gita testatur, dicens plures esse intellectualium species sepa- C
ratas, quàm corporalium. Meritò potētissimus vniuersi cre-
ator opus sibi suum quàm simillimum reddere & potuit &
sciuit & voluit. Simillimum verò in huius imperio potissi-
mum procreauit, quod absolutas mentes (quę ipsi omnium
simillimæ sunt) vltra coniunctas materiæ formas, immen-
so (vt ita dixerim) spatio dilatauit. Hinc illud Danielis pro-
phetæ: Millia milliū ministrabant ei: & decies centena mil-
lia assistebant ei. In distinguendis autem ordinibus angelo-
rum Dionysius ternario nouenarioque numero in primis,
necnon interdum septenario vtitur. Quin etiam duodena- D
rium in Christianorum mysteriis reperimus. Idem & Iam-
blichus Proculusque Platonici post Dionysiū obseruarunt.
Supremos enim & medios angelos, ternario, & nouenario
diuidunt, sequentes autem septenario, postremos denique
duodenario ordinum numero partiūtur. Quoniam verò a- E
pud Platonicos gradus corporum sunt rationalium anima-
rum vmbræ, animarum verò gradus sunt imagines ange-
lorum: idcirco nonnulli angelorum ordines secundū ordi-
nes corporū simul animarūque distingunt. Sed de his aliàs.

Super angelum est Deus: quoniam anima est mobilis multitudo, angelus multitudo immobilis, deus immobilis vnitas.
Cap. 6.

F Angelum prorsus immobilē esse Platonici arbitrantur essentia, virtute, actione: quoniam semper fit idem, æque posſit, intelligat semper: omnia simul, & velit eadem: & quantum in se est, agat subitò quicquid agit. Hæc Platonici. Quid verò dicant alij, aliàs dicam. Nondum tum quiescere hic cū Anaxagora & Hermotimo ratio nos permittit, sed altius iubet ascendere. Porrò anima: quia mobilis est, ab alio pertransit in aliud. Igitur aliud in se habet, & aliud. Quod hæc habet: habet & multitudinē. Quapropter anima in seipsa multitudo quædam est: multitudo inquam mobilis. Angelus qui proximè hanc antecedit, esse nequit immobilis vnitas: quia duæ quædam huiusmodi res, quarū vna fit mobilis multitudo, & altera immobilis vnitas, longissimè inter se distare videntur. Vnitas siquidem multitudini opponitur, immobile mobili. Quoniam ergo res illæ ab omni parte inuicem opponuntur, proximè sibi non succedunt, sed medio quodam indigent copulante. Animā verò ipsam, quę est mobilis multitudo, angelus absque medio
G antecedit. Ideo non potest angelus esse immobilis vnitas: ne duo extrema sine medio coniungantur. immobilis certè
H est: vt supra probauimus: Ergo non vnitas: Restat vt sit angelus immobilis multitudo, vbi cum anima conuenit in eo, quòd ipse multitudo est, sicut & illa. Discrepat autem: quia illa est mobilis, hic immobilis. Multitudinem certè aliquam ponere in angelo cogimur. At qualem? Qualis conuenit intellectui: hoc est, vt essentiā habeant, atque esse, vim intelligendi, intellectionis actum, rerumque intellectarum species plurimas. Cum verò angelus non fit simplex omnino, sed habeat numerum, super numerum autem vnitas esse debeat, quia vnitas est numeri totius origo, & vnione non indiget: multitudo autem natura sua indiget vnione: necessarium est super angelum esse aliud quiddā, quod non modò immobile sit, sed vnum penitus atque simplex. Ille quidem est deus: tanto rerum potentissimus omnium, quanto est omnium simplicissimus. Siquidem in simplicitate con-

Angelus multitudo

Deus super angelum

sistit vnio, in vnitate potestas. Deum nemo dicere audeat ex pluribus esse compositum: quia si modo rectè compositus fuerit, ex aliquo constabit quod erit tanquam subiectũ, & aliquo quod erit tanquam forma. Itaque non erit deus vndique perfectissimus, cum in eo sit pars altera imperfectior ipso toto. Non erit agens summum: quia non per se totum aget quicquid aget, sed per partem alteram id est, formam. Non erit beatissimus: quia non fruetur vbique seipso. Non enim se totum in membro quolibet complectetur. Videbit autem in se aliquid aliud præter deum: quoniam non idem pars est, & totum. Beatior certè futurus est, si quicquid ipse videbit in se, sit ipse: nusquam sibi desit: sed sibimet totus occurrat vbique. Denique pars illa quę ponebatur in deo quasi subiectum, quia secundum se cogitatur informis, seipsam formare non potest. Pars insuper altera quæ vicem formæ gerebat, quia non consistit in se, multo minus ex se potest existere. formabitur ergo deus iste compositus à forma quadam superiore: atque illa potius erit deus. Hæc autem est prima discursio per quam probamus super angelum esse deum. Præterea quemadmodum se habet tuus oculus ad corpus tuum, sic tua mens ad animam tuam. Est enim mens tua animę tuæ oculus. Rursus: quemadmodum se habet lumen solis ad oculum corporis, sic veritatis lumen ad animæ oculum. Itaque sicut oculus corporis non est lumen, sed virtus luminis capax: ita mens quę est oculus animæ, non est veritas, licet capiat veritatem. Mens enim tua veritatem quærit. Non tamen quærit seipsam veritas: neque admittit veritas falsum, per quod sępe tuus animus fallitur. Finge animo, oculum tuum vsque adeò excrescere, vt totum occupet tuum corpus: & sublata varia mẽbrorum specie, vniuersum corpus vnus sit oculus. Si amplius hic oculus videbit quicquam: non aliud certè videbit, quàm lumen idem solis, quod angustus dum erat, prospiciebat: verum accipiet lumen idem vberius: & colores corporum in ipso lumine conspiciet vndique vno prospectu simul omnes: neque vertetur huc aut illuc vt videat: sed quiescendo omnes pariter contuebitur.

Aliud tamen adhuc lumen erit, aliud oculus. Si enim visus ad lumen comprehendendum est institutus, aliud visus est:

aliud lumen. Et lumini nihil est opus visu: cum ipsi lumini nihil sit luminis capiendum. Finge iterum mentem tuam
L vsque adeò super animam inualescere, vt deletis reliquis animæ partibus ad phantasiam, sensum, generationemque pertinentibus, tota anima mens vna sit atque sola: hæc mẽs sola puraque relicta, angelus erit. Hæc inquam mens ampla eandem veritatem intuebitur, quam angusta mens viderat, sed accipiet illam vberius, atque in ea res omnes veras vnico intuitu conspiciet, vt platonicè loquar: neque modò vnã aucupabitur, modò aliam. Aliud tamen adhuc mens erit, aliud veritas. Quod sic aperit Zoroaster.

A Μάνθανε τὸ νοητὸν, ἐπὶ νόᾳ ἔξω ὑπάρχει,

id est, Scito intelligibile ipsum esse extra mentem. Quippe si ad veritatem percipiendã instituta mens est, aliud est mẽs indiga veritatis, aliud veritas. Neque ipsi veritati opus est mente, per quam capiat veritatem. Atqui si ipsa mens idem esset atque ipsa veritas, mens quælibet veridica esset, & omne verum particeps foret mentis. Nunc autem & mentes humanæ falluntur, & multæ res veræ sunt quodammodo, quæ mente carent. Veritas non modò aliud est quàm mẽs, sed & superius aliquid. Eget quippe mens veritate, veritas
B mente non indiget. Ac latiùs se fundit veritatis quàm mentis imperium. Ars enim intellectualis in formis singulis inuenitur, in materia verò informi nequaquam. Verè tamen materia dicitur, & omnium naturalium reuera subiectũ. At verò si veritas est supra mentẽ, & quod superius est, non caret bonis inferioribus: non deest mentis perspicacia veritati. Neque tamen duo quædam sunt in ipsa, perspicacia videlicet, atque veritas: sed simplicissima veritas seipsam minimè latens, perinde ac si lumen quanuis non habeat oculum à se distinctũ, tamen non lateat semetipsum. Est enim
C deus perspicacissima veritas, & verissima perspicacia siue perspectio: lux seipsa videns: visus seipso lucens: intellectualis perspicaciæ luminisque fons: cuius lumine, & cuius lumen duntaxat mentis perspicacia perspicit. Et sicut lignum per participationem quandam calidũ dicitur, ignis verò secundum formam calens: sol denique excellentiori modo secundum eminentem virtutẽ, causamque caloris: sic anima mea

tis partem,angelus mentis formam habet. Deus est efficacissima mentis origo:atque,vt more Plotini loquar,deus ipsa intellectio est: nõ in aliquo intellectu tanquam potentia: non veritatis velut obiecti, sed in seipsa, suiq́ue ipsius existens:quemadmodum si visio neque esset in visu aliquo,neque luminis alieni visio esset,sed in seipsa maneret, suiq́ue ipsius visio foret. Vbicunque enim intellectus,quasi intelligendi potentia ponitur:etiam si intelligat semetipsum, tamen qua ratione intelligibilis est,prior quodammodo seipso dicitur:qua ratione intellectualis consideratur. Intelligibile enim tanquam prius atque præstantius,intellectualem virtutem quasi posteriorem inferioremq́ue mouet, & formatet perficit. Idcirco quidã Deum potius siue intelligibilis siue intellectionis quã intellectus nomine nuncupant: quãquam hæc etiã nomina Deo haud propria omnino ratione conueniunt. Sed de his aliàs. Accedit ad hæc: quod animę opus est vitalem motum præbere(siquidem ipsa,vita quædam est)mentis autem,opus ordinare per formas. Ipsa enim species quędam est,& secundũ species operatur:quod in nostra mente conspicimus. Vitalis ille motus per omnia viuentia funditur:rebus carentibus vita,non competit. Ordinatioverò per formas,conuenit rebus etiam non viuentibus. Hæ siquidem ordine specieq́ue non carent. Tanto autẽ interuallo mens animã superat,quanto latiùs funditur formarum ordo quàm vita. Quoniam verò vltra formarũ ordinem,est prima illa in formis rerum materia,in qua latent quædam(vt ita loquar)formarum pullulantiũ semina:mẽtis munus,quod terminatur formis, hæc informia non cõplectitur. Ipsa tamen materia bona est quodammodo:quia boni id est formæ appetens: quia ad bonum suscipiendum expositia:quia bono necessaria mũdo. Semina quoque sunt bona:quia sunt formarum bonarum incohationes. Tanto saltem interuallo bonitas mentem superat,quantò longius boni quàm speciei tendit largitio. Quo enim res quæque potentior est,eo longius operatur. Accedunt ad hæc, huiusmodi rationes. Omnia bonum appetunt: mentẽ verò non omnia possunt:ideoq́ue multa sunt quę eam non appetunt. ne frustra appetant. Si omnia appetendo conuertuntur ad bonum non ad mentem omnia:& quò conuerso rerum est,

illinc est & profectio: omnia à bono procedunt, non à mente. quare bonum potius quàm mens est causa prima rerum. Rursus: quæ mentem habent, nondum tamen cessant: sed adhuc bonum quærunt. Mentis enim proprium est nixus quidam ad intelligendum. Aut post hunc nixum deterius se mens habet, aut melius, aut æqué. Non deterius: quia operatio ipsa perfectio quædam est: & ad deterius nihil nisi aut vi aut insciti labitur: quorum neutrum in ipsam cadit mentem puram & liberam. Non æqué. Frustra enim nititur, quod nihil proficit: & nihil ad id quod habet, adnititur. Ergo vt melius se habeat, conatur: non igitur ipsum bonum
G est: nihil enim bono melius. Sic mens intelligendo haurit bonitatem: aliunde autem haurit. Si enim in se haberet, nõ esset nixu opus, vt operando proficeret. Illud vnde haurit bonitatem, ipsum bonum est: quod & super eam extat, cum
H in eam perfectionis suæ liquorem infundat. Quinetiam sapientiam mentemque solo petimus rationis impulsu, bonum verò etiam ante omne rationis incitamentum: omnisque noster appetitus semper est ad bonum, non omnis semper ad mentem: & intelligentiam ratione boni appetimus, non conuerso. Pluris ergo natura facit bonum, quam mentem: cum & prius & sæpius & potius trahat ad bonum. Vnde nonnulli satis in philosophia habere se putant, si sapientiam videantur habere, etiam si non habeant: non tamen satis in vita, nisi revera id possideant quod sibi præcipuè iu-
I dicant esse bonum.

Si bonum naturali instinctu precioſius mente censetur, censetur & eminentius. Hinc fit, vt id quod intelligere est, non sufficiat nobis, nisi & bene & bonum intelligamus. Sæpe enim ad tempus cognitionem respuimus, si eam suspicamur nobis malam fore atque molestam: Bonum verò ipsum respuere nunquam possumus. Sæpe etiam rerum speculationi anteponimus voluptatem: ipsi autem bono, qua ratione bonum est, nihil vnquam possumus anteponere. Nihil magis necessarium est, quàm incitamentum boni,
K cum bonum ipsum nullus possit nolle. Nihil magis voluntarium est, quàm boni incitamentum. Nam propter bonum omnia: immo bonum in omnibus vbique volumus, tam libenter, tamque iucundè, vt velimus insuper non pos-

se nolle. Cum ergo in bono summa necessitas cum summa libertate concurrat, boniq́ue imperiũ summopere necessarium sit subiectis, & summopere voluntarium: constat hinc omnia tanquam à patre originem ducere, atque huc omnia tanquam ad patriam adspirare.

THEOLOGIÆ PLATONICÆ De immortalitate animorum eodem Ficino authore,

LIBER SECVNDVS.

Vnitas, veritas, bonitas idem sunt: & super ea nihil est. Cap. 1.

IRibus iam argumentis ostendimus esse aliquid super angelum. Primo quidem esse monstrauimus super ipsum, simplicissimam vnitatem: secundò veritatem: tertiò bonitatem. Tria hæc vnum sunt. Nihil enim aliud est summa vnitas quàm summa simplicitas. Propter hanc vnitatis simplicitatẽ: res quælibet pura veráque est. Verum quippe vnum est, quod purum est vinum. Sic veritas rerũ in simplici illa vnitate consistit. Atque propter eandem simplicem puramq́ue vnitatẽ res quælibet sunt bonæ. Quodlibet enim tunc se habet bene, quando sibiipsi atque principio suo vnitum est, purumq́ue manet: neque rebus deterioribus commiscetur. Ac si in rebus circa idem consistit vnitas rerum, veritasq́ue, & bonitas: meritò super ipsas idem est primum ipsum vnũ, verũq; & bonũ. Quòd in iis sit rerũ principiũ, illud argumento est, quod horũ vestigia in cunctis reperiuntur, quasi ab his cuncta manauerint: & omnia hæc cupiunt: vtpote quæ suũ principiũ repetunt. Singula enim vnitatis, veritatis, bonitatis, & participia sunt, & auida. Super vnitatem nihil est aliud: quia nihil est vnitate potẽtius: quãdoquidẽ vnio perfectionẽ cũctis præstat, atque potentiam. Verum super eam si vis vt sit aliquid, duo statim sequẽtur absurda. Si enim vnitas sub aliquo est superiore principio, certe superioris illius particeps.

L

M

Super vnitatem nihil est

A

Inferiora enim à superioribus causis semper aliquid capiũt. Sic non erit hæc vnitas ipsa, sed aliquid ex vnitate quadam & vi supernè accepta compositum: eritque multitudo quędam, non vnitas. Ac etiam quod vnitati præponitur, nullius erit particeps vnitatis. Nam superius principiũ ab inferiori quo ad naturam suam suscipit nihil. Igitur erit aut nihil, aut multitudo omniũ penitus vnione priuata: cuius nulla pars vnum aliquid erit. Neque tota multitudo erit vna, neque vl
B la inerit cõmunio partibus vel ad se inuicem, vel ad totum.
Rursus super veritatem est nihil. Nã simili ratione hæc non
esset veritas ipsa, sed verum aliquid ex veritate quadam &
superioris illius portione compositum. Et illud quod super
eam locatur, cum neque sit veritas, nec particeps veritatis,
falsum est penitus, atque nihil. Neque esse potest veritate
præstantius, nisi per veritatis vim verum proculdubio sit il-
C lud esse præstantius. Similiter super bonitatem non est ali-
quid. Nam & hæc non pura esset bonitas: sed bonũ aliquid,
ac bonitas quædam commixtione alterius inquinata. Et il-
lud quod bonitati præponitur, penitus erit malum. Non e-
nim bonum erit, cum sit vltra terminos bonitatis. Neque
melius bonitate: cum nihil nisi per maiorẽ bonitatis por-
tionem fit melius. Quomodo autem malum excedat boni-
tatem, non video: cum excessus atque imperium ad boni-
tatem pertineant. sunt enim appetibilia tanquam bona. Ergo
malum per naturam bonitatis superabit bonitatem, Et bo-
nitas malo vim præstabit imperij. Præterea si est aliud re-
rum principium super ipsam bonitatẽ, ipsum certè aliquod
ex se munus rebus impertiet: sicut omnis causa superior so-
let. Porrò bonitas ipsa munus suum impertit omnibus, id
est vnicuique aliquam bonitatem. Quærimus autem de il-
lo munere quod à superiore descendit principio, vtrum sit
bonitate donata melius, nécne. Melius quidem esse nequit.
Quicquid enim melius dicitur: maiori bonitatis portione
melius appellatur. Tamẽ absurdum est, superioris principij
munus non esse melius inferioris causæ munere. Accedit
quod cum omnia bonum appetant: si sit aliud principium
D super ipsum bonum, interrogamus vtrum ipsum appetant:
an non. Si appetere dicantur: sequitur quod aliquid expetũt
vltra & plusquam bonũ. Si negentur illud expetere, stultũ
id

id quidem dictum, quod effectus causam primam, qua seruantur, non appetant. Quinetiam ipsa bonitas superius principium cupere cõpelletur: quod absurdum est. Nam omnis ratio appetendi ipsa clauditur bonitate. Nihil igitur super bonitatem extat, quod amari queat. Nullum ergo est principium super ipsam. Quamobrem ipsa vnitas, veritas, bonitas, quam inuenimus super angelum, ex mente Platonis omnium est principium: Deus vnus, verusque, & bonus. D

Non sunt dij plures inter se æquales.
Cap. 2.

PRofectò dij plures non sunt: quia nequeunt plura esse principia. Verùm sint (si placet) dij gemini: duo scilicet totius mundi principia, hoc, & illud. Quærimus nunquid hoc sub illo sit: an sub hoc illud: an æqualia vtraque? Si alterum sub altero sit: quod prærit, planè erit principium: alterum minime. Si æqualia sunt: interrogamus, vtrum omnino inter se differant, an omnino cõueniant: an partim differãt, partim verò cõueniant: Primũ non cõcedetur. Nã saltẽ in eo cõueniunt, quod vtraq; sunt, aguntq;, & rerũ principia æquè dicuntur. Ac si nullo pacto congruerẽt: nulla esset in machina mundi concordia. Si secundum illud admittimus, quod omnino conueniant: non duo sunt iã, sed (vt cupimus) vnum. Sin detur tertium, quòd partim cõgruant in natura, partim discrepent: tunc sanè quia nequeunt per idẽ consentire & dissentire, vna quædam inest natura communis vtrisque, per quam conueniunt: duæ præterea in duobus illis naturæ propriæ vltra communem naturã, per quas discrepant. Ergo neutrum illorum erit simplex: sed vtrunque ex communi natura & proprietate compositum. Neutrum erit primum, quia pendet ex illo qui partes inter se diuersas conciliauit in vnum. Neutrum per se sufficiens: cum & totum egeat partibus, & alia pars egeat alia. Neutrum potentissimum: cum non sit prorsus vnitum. Atqui illa natura communis per quam vtrisque æqualẽ vtraque habent hoc, vt sint æque principia: principiũ erit potius quàm illa duo. Immo illud erit principium: quod illis inter se diuersis naturam dedit communem. Nam vna hæc natura quæ in aliis E

iacet,& aliorũ angustiis circunscribitur:ab ipsa profluit vnitate,quæ in seipsa consistens nullo limite coarctatur.Sic ergo natura illa communis & vna, vtrisque,prouenit aliunde, & ab altiori principio.Quin etiam naturæ illæ duæ propriè per quas differunt,extrinsecus illis adueniunt.Nam præter illas nihil reliquum est in vtrisque, nisi natura cõmunis & vna: à qua si absolutè nascantur naturæ illæ propriæ quæ duæ adiiciuntur,non amplius erunt diuersæ,vt Metaphysici arbitrantur:sed vna eadémque erit vtriusque proprietas,eadem vena scaturiens. Scaturiet enim per absolutum meræ naturæ modũ:& refluet intro.Si itaque duæ illis insunt absolutæ proprietates:necessariò accedunt extrinsecus. Quapropter vtrunque essentiæ suæ proprietatem accipit aliunde. Et quia propriam sui naturã aliunde sortitur vtrunque, neutrum per se existit,sed fit à principio altiore.In quolibet rerum genere autem illud quod est generis illius summum vnum est duntaxat.Si enim sunt duæ summæ luces:vtraque in eo quod summa lux est,conuenit,atque est vnum.Quòd si etiam duo quędam sunt:per aliam naturam potius quàm per lucẽ differunt. Ergo alia insuper adest natura à luce diuersa,cuius contagione lux fiat opaca,neque sit summa.Sic & summus calor est,qui frigori aut aliis non miscetur:quia si miscetur,vtique impeditur:& vehementior fieri potest, si modo purgetur.Itaque summum in quouis genere, & vnũ est solummodo,& vnius duntaxat illius naturæ. Puta summa lux,& vna est,non duæ luces: & sola lux est:non lux simul &aliud quiddam.Deus summum est rerum omnium. Vnus ergo est deus, & simplex:nempe vna summa vnitas, vna summa veritas,atque bonitas:deus vnus.Vnus inquam apud Platonicos triplici ratione.Primò,quia summa est vnitas.Nã si quodlibet summũ est vnicum, quid magis vnicũ est quàm summa vnitas? Propria quælibet rerum innumerabilium multitudo ad propriam redigitur vnitatem:multitudo innumerabilium hominum ad vnam humanã speciem:equorum,ad vnam equinam:similiter aliorum.Accipe deinde omnes proprias vnitates,quę certo sunt numero terminatæ id est,rerum species, easque ad vnam communẽ collige vnitatem,scilicet deum principem specierum: vt sicut multitudines singulariũ infinitæ ad finitas vnitates spe-

cierum, sic vnitates specierum finitæ ad vnicã super species vnitatem referantur. Par est:vt sicut proprius quisque rerũ ordo ad proprium sui principium vnũ dirigitur: sic vniuersus ordo rerum ad vnum referatur vniuersale principiũ: & sicut singulæ materiæ ad materiam vnam, omnia membra mundi ad vnum corpus: sic omnes mundi naturæ ad naturam vnam: omnes mundi vitæ ad vnam vitã: omnes motus ad vnum motum: omnes motores ad vnũ mundi motorẽ. Porrò quãdo plura quædã, & inter se secũdum naturã diuersa, ordine quodam vno mutuoque conspirant: necessarium est vt ordo huiusmodi in illis sit propter ordinem quẽ ad vnum aliquid habeant: qualis est ordo partium exercitus inuicem, quæ est propter ordinem totius exercitus ad ducẽ vnum. Nam quòd aliqua quæ diuersa inter se sunt, nanciscãtur hoc, vt communione mutua vniantur: non prouenit ex propriis eorum naturis, per quas sunt diuersa. nam ex iis potius disiunguntur. Neque etiã prouenit ex diuersis quibusdã ordinatoribus. Hi sanè per naturas eorũ discrepantes: prout discrepant, ad vnum ordinem non incũbunt. Atque ita ordo ille plurium mutuus, vel casu contigit, vel ab vno ac primo ordinatore est institutus ad vnum finẽ omnia dirigẽte. Omnes verò partes mũdi, quamuis diuersæ, ordine mutuo conciliantur: quia vnum constituunt corpus: mutuant inuicem naturas, & mutuantur. Inferiora corpora per superiora mouentur: superiora per naturam incorporalem. Neque casu contingit hic ordo: quia idem semper & similis est: quia similem semper retexit telam, atque similiter. Deus igitur mundi vnius ordinator, est vnus. Vnus inquam prima Platonicorum ratione, quia est vnitas. Est etiam vnus secunda eorundem ratione, quia est veritas. Summa enim veritas vna est. Nam si duæ summæ veritates esse dicantur: aut vna earum habet quicquid habet altera: aut non. Si primum detur, vna est, non duæ. Si secundum: neutra est summa. Deest enim isti illud veritatis quod in illa est, & illi quod est in ista. Iterum est vnus deus tertia ratione Platonicorum: quia summa est bonitas. Summa quippe bonitas, quicquid boni reperiri vsquam potest, complectitur. Ergo si duas induxeris bonitates summas: quicquid boni in vna est, est & in altera: alioquin neutra esset summa: & secundum boni ipsius

I

A

naturam vnum sunt, non duo. neque est aliquid aliud illis admixtum præter bonitatis naturam: quia alioqui summæ
C non essent, sed inquinatæ. Vnum igitur sunt omnino. Denique si dij duo sunt: & vterque potest æquè mundū hunc totum efficere: aut neuter faciet mundum, ac frustra erit in vtroque potentia, neque vsquā mundus erit: aut alter creabit mundum, ac frustra erit in altero potentia generandi. Aut generabit vterque totum, atque ita duo erunt mundi æquales omnino inuicem & simillimi: quorum alter sufficiet, superfluus erit alter. Sin alter totum valet conficere, alter verò solummodo partem: qui non valet totum conficere, non est deus: & frustra generabit mundi partem, quā alter simul cum toto fabricat mundo. Si autem vterque ad dimidiam mundi partem creandam vim habet: neuter cunctorum erit principium. Et quia illæ partes in vno toto ad vnum finem concurrunt communione naturæ, oportebit binos illos deos ad deum vnum referri superiorem: vt motus ad vnum, qui fit per duos, ducatur ex cōmunione duorum ab vno quodam superiore deducta. Quod si quis asserat, à diis geminis duos construi mundos omnino inter se diuersos atque dissimiles, cogetur fateri tum deos illos tum mundos nullo modo inter se conuenire. Quo igitur pacto aut vterque illorum est, atque est deus vnus? viuit: intelligit: operatur? aut vterque istorū est mundus vnus, opus, & corporale? Itaque conuenient mundi gemini inuicem. At vna
D natura in qua conueniunt: ab vno tandem principio trahitur, non duobus. Rursus si dij ambo eundem semper finem appetant: aut alter erit ab altero, aut vterque ab vno superiore, aut saltē in vna substantia ambo. Nisi enim ita congruerent, ad eundem finem minime conspirarent. Vtcunque sit, vnus solus est deus. Sin opus idē semper alter vult, alter non vult: sequitur opus illud & fieri simul, & non fieri: esse, atq; non esse, si modò æque valet huius dei velle, atque illius nolle. Ille enim solus esset deus, cuius semper prævaleret affectus. At si modo consentiant inuicem, modo dissentiant: &
E nunc huius, nunc illius conatus exuperet: est vterque mutabilis. Neque assentiendum est Manichæis Gnosticisque philosophis duos esse deos asseuerantibus, quorum alter sit bonorum omnium author, alter verò malorū. Nam sicut deus

qui bonorum est author, summum bonum est, mali totius expers: ita contrarius summum malum, omni bono priuatum. Hic igitur neque aget quicquam neque cognoscet: neque viuet, neque erit omnino. Siquidem esse, viuere, cognoscere, bona expetendaque sunt.

Non sunt dij plures alius super alium sine fine. Cap. 3.

CAEterum concedet forsitan in nobis aliquis esse quidem deum super angelum, & vnũ esse deũ, ita vt non sint dij plures æquales inuicem: esse tamen deum alium super alium sine fine. Hoc licet arbitremur ex superioribus confutatũ: aliis tamen rationibus clarius refellemus. Si dij sic innumerabiles sint, erũt rerum causæ infinitæ, sed gradatim innumerè superantes: siquidem ipsi dij rerũ causę sunt, & innumerè alij aliis prępononuntur. Si ita: erunt quoque effectus in mũdo innumerabiles. Quælibet enim causa suum aliquem in rerum ordine producit effectum: atque sicut causæ se inter se superant, ita se superant & effectus. Igitur infiniti erunt effectus in descendẽdo, & innumerè deficient sub se deinceps, si causæ sint infinitę innumerè se superantes. Et, cum superior causa semper longius virtutem suam in producendis effectibus iaciat quàm inferior, in infinitum erit iactus effectuum, si causarũ fuerit infinitus ascensus. Hoc quàm absurdum sit, quis non viderit? Primò quidem: si non sit in rebus primum aliquid, non erunt sequentia vlla. Cuncta enim trahuntur à primo: quod quidẽ si nusquam extet, non erit vnde effluxus rerum aliunde fluẽtium vnquã exordiatur. Deinde videmus in rebus alias esse aliis perfectiores: perfectionisque virtutẽ ascendendo crescere, decrescere descendendo: quo fit, vt vis naturalis rerũ descendendo sensim debilitetur. Vnde cogitur alicubi omnino deficere, postquam minuitur paulatim. Ideóque non potest res alia esse sine fine sub alia. Itaque non erunt effectus innumeri. Non erunt igitur innumeræ causæ. Siquidẽ eo ipso quòd ascendendo crescit perfectio, perspicuè constat illam quandoque ad summum venturam fore. Cur iudicamus animam corpore meliorem, nisi quia sit summæ bonitati propinquior? Si nusquam esset bonitas summa, sed

in infinitum de bono ascenderetur in bonum : per infinitū interuallum omnino distaret à summa bonitate corpus, per infinitum similiter anima. Infinitū alterum non est aut amplius aut angustius altero infinito. Neque erit vsque ratio mensuraque idealis per quam alia aliis præferantur. Quare nihilo vel propinquior vel conuenientior esset anima ipsi bonitati quàm corpus: igitur neque melior neque angelus
K melior anima. Proinde quicquid fluit ab alio, natura sua fluitat: quoniam & secundum se nihil est, & per fluxum quendam prodit in esse. Si non sit in rebus primum aliquid, res quælibet emanabit ab alia. omnes igitur fluitabunt: quapropter nusquam erit vnitas, æqualitas, similitudo, status, ordo, & restitutio. Nunc verò quia hæc rebus insunt, oportet rerum ab alio manantium fluxum duci & cohiberi statu cardinis alicuius ab alio non manantis : perinde vt interminatum fluxum corporum liquidorum terminat: necesse est non alio corpore liquido similiter diffluente, sed corpo-
L re solido. Denique superior quilibet gradus in inferiorem aliquid operatur, & à superiore accipit aliquid. Si nullus sit gradus in rebus primus, nullúsque sit vltimus: quilibet gradus medius à gradibus infinitis superioribus depēdebit, ac rursus gradus infinitos producet inferiores: quapropter accipiet à superioribus perfectiones innumeras, cum accipiat à qualibet sui causa boni nonnihil. Et infinita munera inferioribus exhibebit. cuique enim aliquid largietur: quapropter erit immensæ virtutis: & perfectionum plenus infinitarum. Sic res omnes æquè erunt infinitæ : non erit res alia præstantior alia : non erit causa suo opere melior. Vel forte res quælibet innumerè finita erit : quia innumerè ab antecedētibus excedetur. Rursus erit quelibet infinita, quia sequentia innumerabilia superabit. Nec erit vsquā vlla vera scientia: cum nequeant infinitę rerum causæ comprehendi. Neque erit in vniuerso quod appetitum moueat, aut sistat, si non sit principium primū, vltimusque finis. Huius enim virtute mouetur appetitus omnis, atque firmatur. Vnum igitur omnino sit rerum principiū vocetur Vnitas: quia per
M excellentissimam simplicitatem supereminet omnia. Veritas, quia producendo esse dat omnibus. Bonitas, quia producta ad se reuocando, præstat & bene esse. Atque vt tradit

Ioannis apostoli theologia, theologorum omnium diuinissimi: (quem Platonicus Amelius libenter amplectitur) vnitatem vocat principium: veritatem, principij rationē: bonitatem denique, principij rationalis amorem. Atque hęc ipsa substātia, scilicet vnitas, vera bona, seu veritas vna bona, siue bonitas vna vera, sit vnus bonus verusq; deus. Sed quia vnitas est, ideo sit veritas: quia vnitas vera, ideo bonitas in vnitate implicat cuncta, explicat in veritate, effundit per bonitatem. Cuncta verò postquam inde fluxerunt, refluūt per bonitatem, reformantur per veritatem, restituuntur in vnū per vnitatem.

Dei virtus est infinita. *Cap.* 4.

SIcut in summa dispersione est imbecillitas infinita, sic in vnitate summa infinita potestas. Actus natura sua ter A
minum non includit. Nam subiici termino, passio est, quę actui est oppositа. Actus ergo non patitur terminum, nisi quantum subiecto cuidā vbi aliquid passiuæ potentiæ est, innititur. Actus verò diuinus in seipso subsistit. Virtus B
ipsa efficax, quatenus virtus est, certum graduum numerū non includit. Quid enim prohibet in alio numero sicut in alio, virtutem ipsam vt virtus est & cogitari & esse? Quapropter non aliunde graduum accipit terminum, quàm vel à passiua potentia cui miscetur, vel à causa terminante. Diuina verò virtus pura est, atque summa. Esse ipsum prout absolutè cōsideratur, est immensum: quia & infinitis rebus & innumerabilibus modis communicari potest & cogitari. Igitur si alicuius esse sit finitum: oportet illud esse finiri vel per ipsius causam, vel per subiectum. Neutrum contingit deo. In ipso autē infinito esse ita est infinita virtus, sicut in esse finito finita. In ipso puro nihilo nullus essendi est habitus, siue verus, siue imaginarius. Quis enim sub essendi ra
tione definiat nihilū? Ergo in ipso esse puro nihil est vel pri C
uationis essēdi, vel potētiæ ad nō essendū, aut vera aut imaginaria ratione. Igitur neque potest vel cogi vel cogitari nō esse, quod ad eius spectat æternitatem: neque potest deesse illi virtutis gradus vllus, qui mente queat effingi. Alioquin D
mens, quæ dei effectus est, vltra deum sese posset extendere, quæ quolibet finito graduum numero valet semper am-

pliorem aliquem cogitare. Immo etiam fruſtrà ad infinitã progreſſionem eſſet mens ordinata, niſi inueniretur terminus aliquis infinitus. Et quia nihil veri boniq́ue veritati ipſi deeſt, & bonitati omnes in ea gradus inſunt quodcunque & intelligi tanquam veri poſſunt, & appeti tanquã boni. Ta-
E les ſunt gradus innumerabiles. Omne autem agens tanto eſt validius, quanto remotiorẽ ab actu potentiam patiendi producit in actum: maiore ſiquidem virtute opus eſt ad aquam calefaciendam quàm ad aërem. Sed illud quod omnino non eſt, infinitè diſtat ab actu: nec vllam ad eſſe ipſius actum ſuſcipiendum habet potentiã: de quo planius in ſequentibus diſſeremus. Siue igitur deus aliquid creat nuper ex nihilo, ſiue continuè materiam primam corporũ, atque eſſentiam mentiũ animorumq́ue ex nullo antiquiore ſubiecto edit & ſeruat, ſemper ab actu primo id eſt, diuino pen-
F dentem: proculdubio immenſam poſſidet agendi virtutem. Quid plura? Motus ordoq́ue tam æqualis per tot ſecula huius tam ingentis tamq́ue multiplicis machinæ docet infatigabilem eſſe, ideoq́ue infinitam in gubernatore potentiã.
G Finita nanque potentia, tempore infinito, immo etiã longo quanuis finito, fatigatur & claudicat. Ab infinita igitur potentia dei, intellectus omnes accipiunt vt ſemper firmitérque intelligant, animæ vt ſine fine diſcurrere valeant: materia vt interminatam habeat potentiam capiendi: motus tẽpúſque vt abſque termino fluere poſſint: generatio quoque rerum (ſicut placet phyſicis) vt alterna & interminabili ſucceſſione queant continuari. Actionem enim motionémque infinitam ab infinita putant virtute originẽ ducere: & quæcunque vel potentia vel quomodocunque aliter quodam-
H modo infinita dicuntur eſſe, per ſummã actúque exiſtentẽ infinitatem talia eſſe atque iudicari: Hinc diuina natura ab Orpheo ἀτελεύτητον, id eſt, infinitas finis cognominatur.

Deus eſt ſemper. Cap. 5.

I Si res quælibet tanto eſt diuturnior: quanto virtus p quã permanet ſeruaturq́ue, potentior eſt: deus per infinitam virtutem ſuam in infinitum & ipſe permanet, & cætera ſeruat. Item diuina veritas omne rerum antecedit initium:

omnium rerum fini succedit: nam & ante cuiusque initiũ, verum erat initium illud fore: & post omnem cuiusque finem, verum erit finem illum fuisse: quicquid autẽ aliquando verum est veritate verum. Si autẽ veritas ipsa incepisse dicatur aliquando, longe antea per eandem veritatem verũ fuerat veritatem illam aliquando incepturam. Ac si desinere fingatur: adhuc postea per eandem veritatem verum erit veritatem illam desiuisse. Veritas igitur neque incipere vnquam neque desinere cogitari potest. Rursum: si deus super motum tempusque existit omnino, temporalem mutationem à priore in posterius secundum esse atque non esse non suscipit. Accedit, quod si deus est summa essendi necessitas, quod in sequentibus ostendemus: nunquã potuit poterit ve non esse. Denique si quicquid aliquando nascitur, ab aliquo fit priore: & quicquid resoluitur, in aliquid quod antiquius est resoluitur: nõ potest incepisse aut desinere, quod est primum. Cogitamus sæpenumero mente durationem quandam simplicem absque principio atque fine: appellamúsque eam (vt ita loquar) sempiternitatem: quæ quidem ipse deus est, etiã si minimè discernamus. Omnis enim simplex infinitas deus ipse est. Discernere autem tunc prohibet phantasia, quę mox sempiternitatem ipsam simplicem atque consistentem fluxu quodam multiplici induit & confundit: itaque fallit nos, nimirum dum ad accidentalem tẽporis fluxum trahit, quod est substantialis status ęternitatis. Atque ita impellit, vt quod deus est, tempus esse putemus. Deus ergo æternus tunc se nobis offert, sed tempore inuolutus. Nemo verò dubitare debet deum semper esse: quando deus est ipsum semper: immo sempiternitas ipsa est ipse deus. Et quæ sempiterna dicuntur, illa sunt propriè, quæ deus propagat per seipsum, & in seipsum.

K

L

M

Deus est vbique. Cap. 6.

N

EX superioribus probare possumus vbique esse deum. Quemadmodũ corpus tangit illud in quo est, per quãtitatis dimensiones: ita incorporea substantia per virtutem. Quamobrem sicut si esset in natura dimensio corporis infinita, esset vbique: ita postquam est aliqua immen-

sa incorporalis subſtantiæ virtus, neceſſariò hęc eſt vbique.
Et quemadmodũ particularis cauſa particulari effectui ad-
O eſt, ceu ignis ignito ligno: ita vniuerſalis vniuerſali. Vbicun
que igitur reperitur vel cogitatur eſſe quod eſt vniuerſalis
effectus: ibidẽ eſt & deus: qui vniuerſalis eſt cauſa. Vbicun-
que eſt opus aliquod quod per certam cauſam ſolã & ſine
P medio fieri neceſſarium eſt, ibidem eiuscauſa debet eſſe. eſt
autem vbique aliquid quod per ſolum deum modo quodã
creationis poteſt ſubſiſtere. Id verò eſt materia prima in
corporibus, eſſentia in ſpiritibus. Appetibile eſt tanquã bo
Q num, vbiq; ſimul adeſſe, ferme nõ minus, quàm ſemp eſſe:
primo autem bono nihil deeſt boni. Non prohibetur deus
ab aliquo penetrare per omnia. infinitæ enim puritati virtu
tique reſiſtit nihil. Non patitur natura dei circa ſe loci ter-
minum, ſicut non patitur in ſe terminum dignitatis: quia ſi
ſumma ipſa infinitas nihil finiti patitur, fit vt deus ita non
habeat finitã præſentiã ſpatij, ſicuti non habet vim actionẽ
durationemque finitam. Nec putandum eſt ipſum bonum
minus toti adeſſe mundo, quàm toti corpori animã. Minus
enim eſt mundus ad deum, quàm corpus ad animam: ma-
R giſque eget deo mundus, quàm corpus anima. Bonũ latius
eſt quàm vita: quia pluribus conuenit, magis quoq; neceſſa
rium eſt mundo quàm vita. Vita enim ſublata ceſſaret qui-
dem mundus moueri: ſublato verò bono eſſe deſineret. Si
ergo in vno mundi corpore viuente vna quædam vita vbi-
que eſt, quod aliàs oſtendemus: multo magis vnum ipſum
bonum eſt vbique, etiam extra mundum. Si primũ patiens
quod eſt materia, & eſſentia, per omnia propagatur: multò
amplius per omnia & vltra omnia ſeſe propagat primũ a-
S gens, quod eſt deus. Non decet mentis machinationem vl-
terius quàm boni præſentiam progredi: Illa verò progredi-
T tur per immenſum. Ac decere Platonici putant, infinitum
bonum per immenſum exuberando ita ſeſe integrũ funde
re, vt nullam vel imaginariam immenſi particulam, ſiue in
mundo ſit, ſiue cogitetur extra mundum, relinquat ſua præ-
A ſentia deſtitutam. Quippe ſi natura boni eſt ſeipſum ampli
ficare: infinitum bonum amplificat infinitè ſeipſum. Diffi-
cile reperitur vbi ſit deus: quia nuſquam eſt, quod nullius
vel ſubiecti vel loci limite cohibetur. Difficilius reperitur

vbi non sit: quia in omnibus est illud in quo sunt, per quod fiunt, per quod seruantur quælibet vbique. Deus ideo est in omnibus, quia omnia in eo sunt: quæ nisi essent in eo, essent nusquam, & omnino non essent. Per deum hoc ipsum vbi est, diciturque vbique. Per deum tanquam ducem & tanquam lucem agit & quærit quodcũque agit quisque, & quę B
rit alicubi. Non desideratur vsquam nisi bonum, non reperitur vsquam nisi verum. Deus est omne bonum: deus est omne verum. Adde quod deus amplitudo & plenitudo ipsa est. Non video igitur cur non amplificet per cuncta seipsum, & singula impleat. Si visibile lumen, quod alicuius est, & in aliquo, atque finitum, per totum dilatare se mundum potest: certe lumen inuisibile, quod suiipsius est, & in seipso infinitum, per mundum se amplificat, & extra mundum. Lux enim finita sicut ab infinita nanciscitur vt luceat, & vt plurimum luceat: ita etiam vt latissimè luceat. Si ergo absente ad breuissimum tempus, siue per eclipsin, siue per noctem solis lumine, tam malè se res habent, quàm pessimè se res, si deus ab eis semper absit, habituras esse putamus, cur non potius si absit per momentum, id quod ipsum esse est, repentè in nihilum ruituras? Sapienter Orpheus in saturni hymno inquit:

ὅσ νάιεισ κατὰ πάντα μέρη κόσμοιο γενάρχα,

id est, Qui omnes mundi partes habitas generationis princeps. Cogitamus sæpe purissimam quandam capacitatem, C
quam nulli vsquam limites capiant: quæ capiat quæcunque possunt esse vel fingi. Quoniam verò pura ipsa infinitas nihil aliud est quàm deus: quando illam cogitamus capacitatem, tunc deum ipsum excogitamus: & si minus animaduertimus. D

Fallit enim mox suis nos præstigiis phantasia, subitò pro diuinis radiis adducens tractum aliquem linearum in longum, latum, atque profundum, atque ita compellens dimensionem nobis aliquam vel inane videri, quod diuinum est lumen. Fallit nos iterum quando consideramus deum omnia prorsus implere: tunc enim illa persuadet eum in rebus quodammodo collocari.

Sed reuera ille sic vbique est, vt in eo sit illud quod vbique

appellatur:immo vt ipse sit ipsum vbique:quod capit se ipsum,& reliqua,& quæ præter illud dicuntur vbique esse,ea
E sunt propriè quæ illud per seipsum amplificat in seipso.Ratio dictat id quod vbique nominatur,nihil esse aliud quàm vniersam naturam rerũ:eamque esse deum:ideoque quando dicimus deum vbique esse, intelligi debere eum in se ipso esse:atque econuerso.Nusquam præterea abesse deum si nusquam abest ipsum quod vbique vocatur.Phantasia verò cum putat naturam rerum esse solum hanc machinam corporalem,clamat id quod nominatur vbique, nihil aliud esse quàm totam corporalium rerum extensionem : quam cum opinatur esse amplissimam, diffidit deum hanc omnẽ posse replere.Ratio contra reclamat, corporalem machinã vmbram quandam exilem & exiguam esse,quæ innumerabiliter in paruas partes, partiumque particulas diuidatur: habeatque paruitatem interminabilem,magnitudinem terminatam . Magnum autem revera asserit esse illud, in quo nihil est paruum:in quo quicquid est,totum est,magnumque æquè . Et sicut totum replicatur per omne quod est intus: sic explicatur totum per omne quod extra . Consistens itaque deus in se,existit vbique.Nec per mundum deus,sed mundus per deum,quatenus potest,extenditur.Et sicut vim diuinam quæ infinita est,mundus assequitur modo finito: ita præsentiam eius quæ per immensum vndique fulget, finito quodam situ consequitur. Non progreditur per rectã lineam mundus vt attingat deum , qui nusquam abest : sed conuoluitur pro viribus circa illũ:immo reuoluitur in illo
F ibi dũtaxat, vbi diuina lege situs ei motusque præscribitur. Anebon & Abamon Aegyptij sacerdotes:Plotinus quoque Ambliciusque & Iulianus Platonici,nõ deum tantum , sed omnem quoque mentem,siue angelicam , siue animalem, per immensum se integram fundere voluerunt, ita vt huiusmodi spiritus absque mutua confusione sibiinuicem insint vbique,quemadmodum diuersi habitus virtutum in anima,&diuersa simulacra colorum in aëre quorũ sententia
G his fundamentis innititur.Formæ spiritu rationali inferiores,quia ex certis terminatisque materiis oriuntur , iisdem necessario cohibentur.Spiritus autem rationales quoniam nullo pacto pullulant ex materia,ideo neque in se certã ha-

bent dimensionē, neque dimensioni alicui alligantur. Quapropter cum æquè quamlibet spatij cuiuslibet partem respiciant, aut nusquam sunt, aut sunt in vniuerso. Non est dicendum omnino nusquam adesse, quæ revera existunt: nusquam igitur absunt. Mens omnis aliquo modo æterna est. Quod æternum est: quanuis indiuisibile sit sed tempus, tamen per omnem cursum temporis seipsum porrigit. Sic rursus quanuis indiuisibile sit secundum spatium, tamen per omne spatium dilatatur. Et sicut se habet tempus ad æternitatem, ita temporale ad æternum. At momenta temporis momentū æternitatis reperiunt semper: puncta igitur corporis temporalis punctum vbique spiritus æterni reperiūr. Aeterna res quemadmodum extra tēpus est semper: ita extra locum esse videtur vbique. Quocunque momenta temporis fluunt in punctum æternitatis incurrunt. Quacunque trahitur linea: punctum attingit. Quacunque tenditur spacium: reperit rem æternam. Quid est potissimum quod potest vbique esse? Id certè cui non repugnat quantitatis dimensio. Quid rursus quod potest esse semper? Id maximè & qualitatis actio non expugnat. Quoniā verò qualitas quantitate admodum efficacior est: quicquid non prohibente qualitate semper esse potest, multomagis potest non prohibente dimensione vbique esse. Localis motus, qui extrinsecus motus est: tanto in re qualibet perfectior apparet, quanto intrinseca rei natura est efficacior. Ideo propagare se per omnia quod motum localem imitatur, exigit: vt in re ipsa prius fit virtus ipsius perpetua conseruatrix: quæ quidē intrinseca perfectio dicitur: & cui hæc intrinseca perfectio cō petit, consequenter conuenit extrinseca per vniuersale spatium dilatatio. Præstantius autem est semper esse, quod est tanquam intrinsecum est. Idcirco quod potest esse semper: multo magis vbique esse potest. Facilius est enim pigras dimensiones excedere, quàm motionem qualitatis & tēporis efficacem. Mens tam sibi quàm aliis præ cæteris significat naturam, consilium, affectū dei. prodit ergo ex deo tanquam verbum, immo tanquā verbi significatio à loquente deo. Quoniam verò vbicunque est qui loquitur, illic est verbum: sequitur vt vbique sit mens, sicut vbique est deus. Mens cogitatione affectuque immensa est, prout immen-

sa machinatur & vult, perque immensum sua operatione discurrit. Non potest autem ibi lucere operariq; vbi nō est: neque potest operatio talis latior esse quàm essentia. Est igitur in immenso. Finis ignis est vltimi cæli concauum. Ideo flammula quælibet, si nihil prohiberet, illuc vsque euo-
M laret: & quando concauum illud attingeret, si dimensionem haberet sufficientem, se per totum illud amplificaret: vt toto eo quod sibi naturale est, frueretur. Quòd si esset indiuisibilis, conaretur esse in quolibet illius puncto tota: vt tota frueretur vbique. Scopus finisque mentis est ipsum verum bonumque, id est deus. Huc essentiali quodam instinctu ignis instar currit prius quàm vitali, & vitali prius quàm intellectuali. Nihil est autem, quod obsistat quin essentia mētis vsque ad deum penetret, corpus enim spiritui non resistit: multoque minus spiritus. Ac deus omnia penetrat. At-
N tingit ergo mens per instinctum essentialem semper deū: adde & vbique: nam & ad hoc ipsum nititur & non habet vel assignatam dimensionem, vel situs alicuius indigentiam naturalem, per quas vbique esse prohibeatur. Et quia vbicunque est, aliquid agit: sequitur vt viuat intelligatque vbique semper in deo. Quamuis autem sint mentes quælibet per immensum, videntur tamen aliæ ad aliam immensi regionem manifestius actiones quasdā dirigere: mentes quidem angelicę gubernando: animales viuificando: perinde ac si multæ candelæ in eadem aula accendantur, quarum singula numina totam impleant aulam, iuncta quidem inuicem, sed non permixta. potest enim lumen à lumine separari. Lumina hæc & si per totam aulam diffunduntur, singula tamen ad candelas singulas diriguntur. Fieri verò potest, vt mens aliqua putet in eo se tātum corpore esse quod regit, licet sit vltra corpus vbique: sicut mens nostra quanuis in toto hoc corpore sit, tamen apud multos philosophos
A in corde tantum esse se putat. Hæc illi de mente. Nos autē reuertamur ad deum.

Deus omnia agit & seruat, & in omnibus omnia operatur.

Cap. 7.

ESse deum,& esse vnum,primúmque, & infinitum virtute,duratione,spatio,per superiora monstrauimus: ex quibus confirmatum est illud quod in libro de veritate & opinione dixit de deo Parmenides Pythagoreus, ὅμ ἓν ἀκίνητον ἄπειρον id est ens vnum immobile infinitum. Hunc verò deum agere omnia & seruare,& in omnibus omnia operari,deinceps ita probabimus. Si deus est vnitas simplicissima,atque hæc vna sola in natura est,quia est summa:quicquid est præter deum, multiplex est & compositũ. Multitudo autem omnis ab vnitate, & omnis compositio à simplicium puritate descendit. Si deus est summa veritas, & sine veritate esse potest nihil: quomodo enim erit quicquam,nisi & revera sit id quod esse dicitur, & verum sit ipsum esse:à deo cuncta proficiscũtur. Si deus est summa bonitas,atque hæc per sui naturam summopere sese communicat:cunctis sese deus impartit. Ideòque bonum appetunt omnia:quoniam cum à bono sint nata, suam originem repetunt:vt vnde effecta sunt,inde perficiantur. Res quælibet super aliquid agunt:atque eo tempore magis,quo meliores in sua specie sunt:& illæ maximè, quæ in meliori sunt specie:& quælibet pro viribus sibi similia operantur:similia etiam,si possunt,in specie. Et boni gratia operantur. Quapropter à bono per bonum ad bonum fit omnis in rebus quibuslibet actio. Igitur summa bonitas,quia bonitas est,agit: quia summa,agit semper:quia non est in specie aliqua terminata,sed æquè communis est omnibus speciebus,agit in omnes. Præterea quoniam deus non miscetur alicui:nullius proprius dux,sed communis existit. Si est cõmunis:commune sibi competit munus. Esse ipsum rebus omnibus est commune. Esse igitur vbicunque sit,pendet ex deo. Quod mystice tetigit Zoroaster.

ἓξ ἑὸς πάντα πυρὸς ἑνὸς ἐκ γεγαῶτα,

id est,omnia sunt ex vno igne genita. Insuper inferiora mũdi corpora de nõ esse migrãt in esse:& de esse trãseũt in nõ esse. Superiora de alio esse mutãtur in aliud,seu de alio essendi modo mutãtur in aliũ. Propterea hæc omnia æquè se habent p naturã suã ad esse atque non esse. Si nihil aliud sit super huiusmodi corpora: vel nõ accepissent esse vnquam, vel si quando accepissent iam dudũ esse omnia desiuissent.

Non accepiſſent: quoniam ſi æquè ſe habent per naturam ſuam ad eſſe atque non eſſe: ſeipſa ad eſſe nequaquam determinant. Iam pridem deſiniſſent: quia cum fluant natura ſua: ſi non ab alio ſtabiliore detinerentur, iam dudũ in nihilum defluxiſſent. Præeſt ergo mobilibus mundi corporibus ſubſtantia incorporalis & ſtabilis. Hæc ſi æquè ſe habet ad eſſe atque non eſſe, vt corpora: rurſus indiget alio terminante. Tandem ergo vna quædã ſubſtantia ſit oportet, quæ ſit neceſſariò p ſeipſam: & hęc ſimplex erit omnino. Quippe ſi componerentur ex partibus, non per ſe eſſet quidem, ſed per partium conſpirationem atque per illum qui diuerſas inter ſe partes conciliauiſſet. Immo æquè diſſolutioni G partiũ ſubiecta foret, ac fuit ſubiecta connexioni: ideoque non eſſet ex neceſſitate, cum per diſſolutionem poſſet etiã quandoque non eſſe. Talis eſt vtique deus, ſubſtantia ſimplex, H neceſſariò per ſe ſubſiſtens. Quã ob cauſam Orphæus deum appellauit neceſſitatem.

Ἀνὴκ γὰρ ἀνάγκη πάντα κρατεῖ,

id eſt, Fortis neceſſitas omnibus dominatur. Si ſũma eſſendi neceſſitas deus eſt: & quod ſummum eſt in quolibet genere, vnum eſt duntaxat: nulla res præter deum erit talis eſſendi neceſſitas. Nempe ſi talem quoque eſſe vis angelum, ita vt duæ ſint ſummæ neceſſitates, deus, & angelus: declarare cogeris qua in re angelus differt à deo. Non enim in ipſa eſſendi neceſſitate. nam in hac vnum abs te ponuntur eſſe. Igitur erit aliquid aliud præter ipſam neceſſitatẽ in angelo, per quod à deo differre queat. quapropter non erit angelus ſumma neceſſitas, quando eſt nõ neceſſitas pura & ſola, ſed I mixta. Quicqd autẽ eſt in aliquo genere ſummũ, purã debet habere generis illius naturã, rebus aliis nõ immixtã, ne minuatur p̃mixtionẽ. Cogeris etiã reſpondere vnde habeat angelus illã neceſſitati additã proprietatẽ: vtrum à ſui ipſius neceſſitate, an aliunde? Si primum detur: eandem proprietatem habebit deus à ſimili ſui ipſius neceſſitate prouenientem. Ergo per illam à deo angelus non diſtinguitur. Si concedatur alterum: ſequitur vt aliunde propria angeli ipſius natura naſcatur, quàm ab angelo: quia proprietatẽ per quã diſtinguitur, extrinſecus adipiſcitur. Quod autẽ aliũde pender,

pendet, non est necessariò per seipsum. Non est igitur angelus, aut aliud quoduis, essendi necessitas, sed solus deus. Si nihil aliud præter deũ existit necessariò per seipsum: à deo cuncta accipiunt esse. Hinc physicorum quorundam prophana sententia condemnatur, qui materiam, mundũ, mentem, non solùm semper fuisse opinantur, verùm etiam nullo modo ex deo secundum essentiam dependere, quanuis secundum actum inde pendeant. moueri enim operariq́ue ad bonum omnia fatentur tanquam ad finem. Considerare debent, quicquid sibi in operando non potest sufficere, sed ab extrinseco fine sufficientiam exigit, multò minus in essentia sibi posse sufficere, vtpote quod ab extrinseco principio habet essentiam. Quippe si eiusdem est perficere cuius efficere, atque conuerso: sicut omnia bono perficiuntur tan quam fine, sic ab eodem tanquam principio efficiuntur. Et cum essentia in fonte suo perfectissima sit: si in quodlibet illorum trium essentiæ suæ fons esset, cuiuslibet illorum substantia æquè perfecta esset tum ad se inuicem, tum ad deũ: neque ad deum, sed ad seipsa tanquam ad finem perfectionemq́ue suam conuerterentur. Sicuti se habet ars ad naturam, sic & natura ad deum. Artium opera eatenus permanent incorrupta, quatenus vi naturæ seruantur: vt statua cõstat per naturalem lapidis aut æris soliditatẽ. Similiter naturalia quæque eatenus manent, quatenus dei seruantur influxu. Et sicut natura operibus suis infert motum, sic deus naturæ præstat esse. Tam diu opera naturæ mouentur, quãdiu natura mouet. Tãdiu igitur existit natura, quandiu deus seruat eam in existendo. Præterea vniuersum hoc opus dei vel fuit semper, vel aliquãdo incepit esse. Si fuit semper, primum momentum assignari non potest in quo prę cęteris esse à deo acceperit. Ergo aut in nullo accepit, quod est falsum: aut quolibet momento accipit inde: hoc autem nihil aliud est, quàm ab eo continuè conseruari. Si verò esse incepit aliquando, multò magis deo eget tanquam conseruatore: quo quidem egeret etiam si poneretur ęternũ. Omnino autem quod alicui secundum naturam suam conuenit prius conuenit, quàm quod aduenit aliunde. Sed operi secũdum se quidem conuenit non esse, postquam non accedente causa non fuisset: per causam verò conuenit esse. prius i-

K L M

gitur illi vt non sit conuenit, quàm vt sit. Quapropter prius illi competit vt à causa seruetur, quàm vt à seipso. Et quia quod naturale est, nunquã amittitur: semper tale est, vt submota causæ virtute non perseueret in esse: postquam tale fuit ab initio naturaliter, vt non proditet in esse seorsum à
N causæ actione. Causam verò propriè deum vocamus, qui solus rem quamlibet efficit totam: neque cogitur aut alterius auxilio indigere, aut aliunde materiam mutuari: sed cogitur res quælibet inde tota pendere semper, vt à corpore vmbra. Quippe quando causa effectum efficit ipsa totum atque effectus si ad substantiam causæ cõparetur, imaginariũ quiddam est & vanum potius quàm substantiale: tunc sanè effectus tanquam per se vanus cõtinuo causæ subsidio indiget: & causa quę fecit totum, conseruat totum. Mundus autem si comparetur ad deum, finitus videlicet ad infinitum: vanior est magisque vmbratilis, quàm si finiti corporis vmbra finita comparetur ad corpus. Denique summa causa rerum sic rebus penitus dominatur, si res non semel modo ab illa
A manauerint, sed & assiduè pendeant: sicut imagines à corporibus fiunt ac seruantur in speculo. Quoniam ergo deus agit seruátque omnia, ideo in omnibus operatur id est, causæ rerum sequentes deum nihil agunt absque virtute actionéque diuina. Si deus angelo esse actumque largitur, & seruat: largitur etiam agendi virtutem: largitur & actionem, atque conseruat. Ita quicquid angelus naturaliter operatur, dei operatur virtute: sicut instrumentum virtute agit opificis. Ergo deus agit non angelum solum, verum etiã ipsum angeli opus: & multo magis quam angelus opus efficit angeli, cum ipse sit prima actionis origo. Si opus hoc quod est factum ab angelo, agitet ipsum aliquid: per eandẽ agit dei virtutem, per quam & ipsum factũ fuit ab angelo. Quamobrem dei virtute fit, quicquid vbique fit: à quocunque fiat: præsertim cùm omnia quæ aliquid agunt, esse quodammodo suo operi præbeant. Esse inquam hoc, aut illud: Tale, vel tale. Ita cuncta quę sub deo sunt agentia, ad vnum communem scilicet essendi concurrunt effectum. Agentia verò plurima & diuersa, in vnum opus quod est esse, non conspirant, nisi quia ipsa sunt vnum: neque vnum sunt nisi quia sub vno sunt, atque ad vnum. Vnius itaque dei agentis pri-

mi virtute agentia reliqua operantur. Nónne secundum ordinem effectuum, ordinem causarum disponimus? Primum omnium effectum est esse : reliqui siquidem effectus nihil aliud sunt, quàm quædã ipsius esse determinationes & proprietates. Prius enim est vnumquodque secundum naturã: deinde est hoc, aut illud: tale, vel tale. Adde quòd & vltimũ quod amittitur, est esse: prius enim amittitur esse tale, q̃ simpliciter esse. Quare esse ipsum proprius est illius agentis effectus, quod est principium finisque omnium. Atque ad id cætera agentia siquid conducunt, primi agentis virtute conducunt. Et ipsa tanquam inferiora angustioríque imperij, nihil agunt aliud, nisi quod vniuersalem illã dei vim actionemque vbique ad esse vniuersale tendentem distinguunt passim, adiuuante deo: & affectiones quasdam esse ipsius inducunt potius quàm essendi naturam. Immo diuina virtus per varia media seipsam ad varios distinguit effectus: sicuti Solis lumen, quod per se ad quemlibet colorem æquè se habet, si per duas fenestras vitreas penetrauerit, quarum altera rubra sit, altera viridis: duos in pauimento splendores efficiet, rubrum scilicet atque viridem. Quòd quidem vterque fit splendor, simpliciter habebit à lumine: quòd verò alter rubeus sit, viridis alter, à lumine rursus habebit: sed quantum per tale vitrum penetrãs aut tale, aliter alitérque se format. Concludamus, primò, quòd causa prima vehementius agit in quouis effectu quàm reliquæ causæ: quia vestigiũ quod ab ea imprimitur, scilicet esse, & prius imprimitur, & posterius deletur, quàm reliquarum vestigia causarum, quasi fortius imprimatur. Deinde quòd cæteræ causæ super vestigium primæ causæ sua firmant vestigia: quæ sicut omnia sua opera necessariò in opere causæ primæ fundant, sic virtutes actionésque suas in illius virtute actioneque stabiliunt

B C D

Deus agit per suum esse quicquid agit. Cap. 8.

SEd ne quis epicureus deum dicat, si multa egerit, solicitari consilio, & opere onerari: meminisse oportet, deum quia per suum esse solum opus suum potest efficere, cõsilio & electione non indigere. Nam si ipsum esse diuinum non tanti esset, vt valeret per se operari, sed consilio quodã

E

quod ab ipso esse fit differens, indigeret: nullius certe rei es-
se per se quicquam operaretur. Nunc autem corporum qua
F litates agunt in se inuicem absque consilio. Nunquid sol il-
luminat mundū, & ignis calefacit, & anima alit corpus per
electionem potius quàm per esse? Proinde illa etiam, quæ
per electionem agunt: aliquid etiam per esse suum faciunt
naturale id est, per virtutē ipsi esse insitā naturaliter. Quippe
hominis anima licet multa per electionem agat: corpori ta-
men sine electione ipso esse dat vitam. Nōne etiam electio
G ipsa quodammodo opus est animi? Atque huiusmodi opus
ab ipso esse animæ est absque præcedente electione: ne si-
militer illa præcedens electio, electione alia indigeat præce-
dente, & alia rursus alia. Sic opus quodlibet animę require-
ret ante se electiones innumeras priusquam inciperet fieri:
neque inciperet vnquam fieri, quoniam infinita transire nō
licet. Colligamus ita: Si actio quæ per esse ipsum naturale
H peragitur, inest omnibus, non autem actio illa quæ fit eli-
gendo, quia corpora nihil eligunt: atque etiam actionem ip-
sam electionis consiliique antecedit semper actio, quæ fit
per esse ipsum atque naturam: constat planè actionem hanc
quæ ipso esse fit, causæ vniuersali & primæ, qui deus est, con
uenire: vt prima communisque actio primi sit & com-
munis agentis. Actio quę fit per esse: fit absque cura atque la-
bore. Sic sol vno actu facillimè illuminat quodāmodo infi-
nita, & gignit illuminando: Ignis plurima facillimè calefa-
cit: anima nutrit corpus, digeritque in ipso multa simul abs
I que solicitudine atque labore. Sic deus per esse suum, quod
est simplicissimum quoddam rerum centrum, à quo reliqua
tanquam lineę deducuntur, facillimo nutu vibrat quicquid
inde dependet. Hoc autem interest inter agens primum, &
K agentia reliqua, quòd primum agens ita per esse dicitur o-
perari, vt per esse purum agat: reliqua verò peresse id est, per
virtutem aliquam naturalem, siue vt ita loquar, essentialē.
Itaque operationem quę à consilio proficiscitur, antecedit
operatio quæ à virtute essentiali peragitur: hanc rursus illa
quæ à puro fit esse. Et quanto quæ virtute fit, facilior est
quàm quæ fit consilio: tanto quæ puro esse expletur, facilior
est quàm quæ virtute.

Deus intelligit se ipsum primò, ac etiam singula. Cap. 9.

INtellectus nunquam fieret rei intelligendę capax, nisi esset aliqua sibi cum re ipsa cognatio. Quapropter cum sit inter intellectum & rem intelligendam cognatio: qua via aliquid proficit ad hoc vt intelligibile fiat, eadem proficit vt sit intellectus. Sed discessus à materia vnica via est, per quam res quæque eum adipiscitur terminum, vt intelligenda intelligibilisque fit, id est talis, vt proprie possit intelligi: quia tunc propriè res intelliguntur, quando seorsum à materia ac materiæ conditionibus cogitantur. Itaque per eundem discessum ad id peruenire quis potest, vt sit intellectus. Sanè si separati à materia, causa est vt forma quælibet vnũ quiddam fiat cum intellectu: multo prius magisque semotum esse à materia, causa est vt res aliqua intellectus fit & intelligens. Quia verò nullus à materia remotior est quàm deus, exactius nullus intelligit. Rursus intelligentia appetibilis est tanquam bonum. per eam enim res quæque seipsa frui potest, ac cæteris omnibus: primo autem bono id est deo nihil deest boni. Adde quòd causa omnis per formam agit: & quanto amplior causa est, tanto per ampliorem agit formam. Amplissima causa deus est. amplissima igitur forma est in deo. Nusquam verò est forma amplior quàm in mente. Deus igitur habet mentem. Quod inde etiam probatur, quia non decet mentes instrumenta esse eius motoris qui mente careat. Omnes autem mentes, dei sunt instrumenta. Ad idem illud quoque confert, quod cum in deo idẽ sit essentia & operatio: consequens est vt eius operatio ex earum genere sit, quæ in externam materiam non transeũt, sed in agente manent tanquam ipsius perfectiones potius quàm materiæ. Talis est cognitio & appetitio. In deo igitur saltem cognitio est: intelligentia scilicet, vel eminentior q̃ ipsa intelligentia. Et quoniam intelligentia dei, prima intelligentia est: & quicquid est in aliquo genere primum, purum est & solum & in seipso: ideo idem est ibi penitus esse, & intelligere: ne si aliud esse sit, aliud intelligere, cogamur intelligẽtiam illam in alio id est, in essentia collocare. Item si prima ibi intelligentia est, est vtiq; perfectissima. Talis est planè, quæ illi obiecto quod est per ipsam comprehenden-

L

M

N

O

P

dum,quàm proxima est.Sic enim certa est prorsus, nullius indiga,atque plenissima. Illa verò intelligentia rei cognoA scendæ est proxima, per quam res intelligens intelligit semetipsam.Propria igitur intelligentia dei est,vt seipsum intelligat: præsertim quia si ab externo quodam obiecto intelligentia dei perficeretur, ab eodem perficeretur essentia dei,quæ eadem est cum illa:fieretque deus ab alio.Quis dixerit diuinam mentem externa sequi vt intelligat,cum externa diuinam mentem sequi cogantur vt sint ? Quis proprium diuinæ mentis obiectum posuerit extra deum: cum nulla virtus obiectum suum excedere valeat, deus autẽ excedat omnia in immensum ? Cũ deo intellectus & intelligẽtię nomẽ tribuimus,sic accipiendũ est,vt huiusmodi appellationes secũdum causam potius quam per formam intelligantur. Propriè nanq; angelum mentem esse putamus: deum verò supra mentium genus:ita vt mens sit mentium, luménque luminum. Intelligit vero deus quicquid intelligit modo quodam super intelligentiam:atque, vt ad rẽ nostram veniamus,intelligit singula.Nam quicquid intellectꝰ agit,sua agit natura:atque ita agit intelligendo.Ergo quæcunque facit, intelligit: quod patet in artibus & consiliis.
C Cum ergo deus per esse suum agat, idque esse non careat intellectu, immo verò esse & intelligere propter summam dei simplicitatem idem sit:oportet vt operetur intelligẽdo. Eatenus verò cognitio eius extenditur,quatenus operatio: cum in deo simplicissimo sit voluntaria cognitio & operatio idem. Operatio per omnia vsque ad res extenditur minimas. Ergo minimas res omnes deꝰ intelligit,eò maxime, quod quisquis rerum minimarũ causas omnes cognoscit, res intelligit minimas:deus autem nullas ignorat: cognoscit quippe seipsum.Ipse est omniũ causa: ergo primam &
D summam causarum,& rerum omnium causam noscens,noscit omnes.Noscit inquam distinctè atque clarissimé.Nam dum se videt,qui angeli causa est:videt clarissime angelum. Dum angelum intuetur:per eum,si opus sit, illius opera vt
E per causam propriam intuetur: per illa rursus opera illorũ planissime.Ita rerum infimarum causam summam, causas medias,atque proximas:ideoque illas clarè dinoscit.Quanquam non opus est vt extra se deus in causis sequentibus vl-

timos intueatur effectus: cum ipse sit prima ipsius esse origo,& causa essendi sequentibus omnibus. Idcirco dū se inspicit,totum esse rerum quarumlibet inspicit. Totū inquam esse,plane,atque distinctè:Nam si seipsum perfectè cognoscit,totam suam potentiam comprehendit. Potentia autem sua per singula dilatatur. Cognoscit itaque singula. Item dū videt essentiam suam,& bonitatem rebus communicandā: videt quot modis sua illa bonitas possit rebus communicari. Res autem tam variæ in natura fiunt,quam variis modis diuina essentia bonitásque communicatur. Igitur per distinctam bonitatis suæ cognitionem distinctas rerum singularum videt proprietates. Nullum enim deesse debet summæ F
intelligentiæ genus intelligēdi. Quapropter non solū intelligentiam deus habet generum specierumque,vt aliqui voluerunt,sed rerum etiam singularum. Cuiusque enim rei cognitio appetibilis est tanquam bonum aliquod:bonum ve- G
rò nullū deest deo. Adde quod virtus superior debet nosse quicquid inferior nouit,& aliquid vltra quod in animis nostris apparet. Quę enim singuli quinque sensus accipiūt singulatim,phantasia summatim discernit,& aliquid excellentius quod phātasia videt in pluribus imaginibus,intellectus in vna videt:& clarius videt singula quam phantasia: videt insuper rerum rationes vniuersales,quas illa nescit. Ita deus vnica virtute cognoscit quicquid nos tribus virtutibus id est sensibus,phantasia,& intellectu cognoscimus. Ergo & vniuersalia intuetur,& singula. Intuetur inquam omnes essendi modos,qui originem videt essendi, & totam comprehēdit ipsius esse naturam. Quod si ita est,inspicit vtique singula,quæ per varios essendi modos inuicē distinguuntur. hinc Orphæus.

ἡ δὲ Διὸς ὄμμα τέλεον, ἐπὴν γ' ὅσα γίγνεται ἡμῖν
μοῖρα, ἡ δὲ Διὸς ὄμμα νόος πάντας ἀπάντα,

id est Iouis perfectus oculus:quoniam quæcūque apud nos fiunt, fatum Iouisque mens per vniuersum inspicit omnia. H
Nemo igitur Epicuro & Auerroi fidem adhibeat dicentibus rerum vilissimarum notitiam maiestate diuina indignā esse. Deus enim res non in seipsis,sed in seipso: non per earū imagines,sed per suam essentiam intuetur. Non distrahitur circa plurima,sed cuncta conspicit tanquam vnum. Non la-

borat vnquam quia non quærit,sed possidet. Non diuertitur à grauioribus,vt cõsideret leuiora: quoniam eodem intuitu hæc videt & illa:instar oculi,qui vno intuitu stellas in cęlo plurimas contuetur. An ignoras Auerrois impie, bonũ ipsum ordinis vniuersi esse cuiuslibet partis qualitate præ-
I stantius? Quippe cum & Aristoteles tuus in libro diuinorũ 11.affirmet partes singulas referri ad bonum ordinis qui in toto est,tanquam ad finem. Si igitur deus aliam vllam cognoscit rem mobilem,quod tu non negas: maximè ordinẽ vniuersi cognoscet. Ordo huiusmodi non aliter intelligi potest, quàm si pretiosiora quælibet & viliora inter se discernantur:in quorum interuallis proportionibusque totus ordo consistit. Memento autem hæc ipsa quæ vulgo vilissima nuncupantur, singula exactissima quadam arte constructa fuisse: quemadmodum & illa quæ habentur pretiosissima: rursus quæ dum sola considerantur, minus formosa videri solent,in ordine tamen hoc toto,& in ipso totius ordinatore,tam sibi quàm cæteris aptissime consonare. Totum hoc ita in Apollinis hymno cecinit Orphæus.

ἔχῃς λίτι πίρατα κόσμε
K παντὸς, σοίσι ἀρχήτι, τιλιυτήτι δ' ἐπὶ μίλισσα,
παντοδαλὴς, σὺ δὲ πάντα πόλον κιθάρη πολυκρίκτῳ ἁρμόζεσ.

id est,Tu habes mũdi terminos vniuersi. Tibi curæ est principium,atque finis:per te virescunt omnia. Tu sphæram totam cithara resonante contemperas.

Deus intelligit infinita. *Cap.* 10.

L VEra nos ratio docet, deum non solum singula & infima quæque,verum etiam infinita cognoscere. Si deus potentiã suam perfectè cognoscit,nouit distincte omnia ad quæ potentiam habet. Nam potentiæ quantitas secundum eorum quæ potest quantitatem consideratur. Virtus autem dei cum sit infinita,ad innumerabilia se extendit. Innumerabilia igitur deus cognoscit. Dei cognitio per omnia illa se penitus porrigit,quæ esse dicuntur: quomodocũque sint aut esse dicantur. Itaque oportet vt planè intelligat non modo illa quæ actu existunt,verum etiam quæcunque potentia esse dicuntur. In rebus autem naturalibus sunt nõ-

nulla & si non actu, saltem potentia infinita: capacitas videlicet materiæ, progressio motus videtur ac temporis, generationis successio, diuisio continui, multiplicatio numeri. M
Deus igitur planè intelligit infinita: quemadmodum vnitas quæ est principium numerorum, infinitos videret numeros actu, si eos numeros qui in ea secundum potentiam sunt, videret. Est enim vnitas secundum potentiam numerus omnis. Deus per essentiam suam quasi quoddã exemplar, omnia cõspicit. Cum verò in hac essentia sit perfectio infinita, innumerabiles ad eius similitudinem res exprimi possunt: ita vt per innumerabiles perfectionis gradus in melius paulatim progrediantur: quia neque vna res quædam inde formata, neque quantalibet finita rerum huiusmodi multitudo, infiniti exemplaris integram vsurpare potest perfectionem. Atque ita semper absque fine vllo nouus supereſt modus quo aliquid aliud vltra exemplar ipsum valeat imitari. Deus igitur per innumerabiles infiniti exemplaris gradus, innumerabiles intuetur imagines. Esse in deo atque intelligere, idem est omnino: ideoque sicut esse eius infinitum est, A
ita intelligere infinitum. Cum intellectus humanus vim habeat ad ea cognoscenda quæ sunt potentia infinita, potest in infinitum species numerorum multiplicare: & in aliis multis absque fine pro arbitrio progredi. Quòd si intellectus diuinus res actu infinitas non intelligit, sed certum duntaxat numerum intuetur: quæro nunquid vlterius intelligere queat, an nequeat? Si potest: deus non intelligit illa actu omnia ad quæ intelligenda vim possidet. Si nõ potest: intellectus humanus plura cognoscere valet quàm diuinus. Vtrunque absurdum est. Res igitur actu infinitas intelligit. Quapropter diuina mens cum sit infinita, meritò no- B
minatur ab Orphicis ἄπειρον ὄμμα id est, oculus infinitus. Ex his eorum philosophorum impius error arguitur, qui finita duntaxat videre deum existimarunt: quia quæcunque videtur ab eo, comprehendantur: & quę comprehenduntur, necessariò finiantur. His in præsentia respondemus, idem esse deum, & quæ in ipso deo videntur ab ipso. Quisquis ergo dicit hæc à deo comprehendi, nihil dicit aliud quam hæc comprehendi à semetipsis. Absurdum quidem esset rem infinitã ab alio comprehendi. Comprehendi autem à seipsa non est

absurdum. Hoc verò nihil est aliud, quàm ipsam per se porrigi, & sibimet penitus adæquari. Nō ergo finit se infinitus deus, cum se modo infinito inspicit infinitum: immo suam confirmat infinitatem. Neque absurdum est deum innumerabilia cernere. Non enim cernit ea gradatim enumerando, sed intuendo summatim. Et sicut plura videt tanquā vnum, dum illa per vnam speciem actu vnico speculatur: sic infinitam multitudinem videt tanquam finitam, id est, tanquam rem quandam essentia omnino simplicem, sed quodammodo ratione multiplicem: quia formam suam revera vnam, vigore & respectu quodam cōsiderat omniformem, perinde ac si solis lux, colorum fons omnium, quæ (vt ita loquar) vnicolor est, se tanquam omnicolorem percipiat.

Deus voluntatem habet, pérque illam extra se efficit omnia. Cap. II.

C OMnis causa per aliquam agit formā: & agit effectum suum in forma quodammodo similem: ideoque oportet effectus formam à causa comprehendi. Cum verò deus sit omnium causa: necessarium est in eo omnium
D formas esse. Est ergo deus essentia omniformis. Vnde Orphicum illud ζεὺς ἰδέα πάντων, id est, Iupiter species omnium. quemadmodum verò in potentia pura, id est, materia, sunt omnes naturales formæ secundum confusam quan-
E dam potentiam: sic oportet in actu puro, id est, deo, omnes secundum actum distinctum formas esse. Sed nunquid hæ formæ in deo distinctæ sunt secundum quendam naturæ modum: quemadmodum in igne lux, calor, siccitas, leuitas: perque eas agit ductus quadam naturæ suæ necessitate? nequaquam.

Prima ratio: deus cum omnia faciat: si per formas huiusmodi operatur, multo magis multiplex compositusque erit, quàm quæuis alia causa: siue illæ formæ in eo essentiales sint, siue accidentales oportet autem illum esse omniū simplicissimum Proinde neque essentiales esse possunt. nulla enim essentia vsque minus vna in se esset, quā diuina: neque rursum accidentales. Nā quo pacto potest deus capere qualitates? Non aliunde: cum pati aliquid ab aliquo nequeat.

Non à seipso quippe si à se illas accipit: quantum eas dat, vicem gerit efficientis: quantum capit, gerit subiecti vicem. Conditionem verò subiecti subire non potest agens primũ F purúsque actus, cui subiecta sunt omnia. Item substantia nõ dependet ab accidente: quanuis accidens dependeat à substantia. Quod non pendet ex alio, seorsum ab alio quandoque existere valet. Igitur potest substantia quædam seorsum ab accidentium conditionibus limitibúsque existere. Quicquid libertatis boniáque esse potest vsquam id totum, per summi principis boniáque potentiam esse potest. Quamobrem deus iam actu illa ipsa substantia est, quæ potest esse: immo quę est ab accidentibus libera. Conducit ad idem quod effectus modo quodam præstantiore in superioribus causis quàm in seipsis esse reperiuntur: atque idcirco in causa summa modo aliquo præstantissimo. Cum verò effectus dei in seipsis substantiæ sint: nullo modo in deo tanquã accidentia G esse debent. Non tamen illic multæ substantiæ sunt: itaque sunt illic vna quædã, id est, ipsamet dei substantia: quandoquidem oportet in deo cuncta modo quàm perfectissimo inueniri, atque vniri illi, sibiáque inuicem, perfectissime. Nequeunt autem modo sublimiore in deo esse, atq; sublimius vniri tum deo tum sibi ipsis, quàm si in deo sint ipse deus. Non sunt igitur in deo rerum formæ secundũ modum naturę distinctę, per quas naturali quadã necessitate non aliter ducatur ad operandum, quàm ignis ad comburendum.

Secunda ratio. Natura cuiusque est vna quædam forma, H virtúsque ad vnum quoddam opus certo modo determinata, toto suo impetu faciens quicquid facit, & faciens necessario. Natura siquidem ignis calida, vnum quoddam, caloris videlicet, opus facit præcipuè: atque eodem semper calefacit tenore: & quantum in se est, omnes caloris gradus exercet vbiq;. Igitur quod vno gradu ab ea calefiat materia hęc, & duobus gradibus illa: non ex agentis ordinatione procedit sed ex ordine graduum qui in præparationibus materiarum reperiuntur. Itaque ignis toti operi non dominatur. Non enim author est ordinis graduũ qui sunt in opere. Ac si calores duos generaret extra subiecta, quia se toto ageret vtroque, essent æquales vtrique: immo & nunc in subiectis omnino similibus similes omnino æqualesque generat.

I Potest vtiq; natura vel per diuersa media vel ex diuersis materiis diuersa facere, sublata verò mediorum materiarūque diuersitate, vel vnicum vel simillimum operatur: neque po-
K test quando adest materia, non operari. Deus autē solus materiam primam corporum, & essentias mentium animorūque quāplurimas absq; medio subiectoque procreat: quæquidem inter se longè diuersæ sunt, multisque perfectionis gradibus inter se discretæ. Merito deus autem quia primū agens est, vsque adeò vniuerso ipsius operi dominatur, vt ipsemet & formas, & formarum ordinem, graduumque distinctionem efficere valeat. Nullum verò agens effectus & pauciores & minus varios faceret quàm deus, immo vnitū prorsus ageret deus, si per solum merę naturę modum operaretur: cum diuina natura sit omnium simplicissima. Non ergo naturali instinctu impellitur ad agendum.

Tertia ratio. Si intelligentia in nobis est efficax, & in angelis efficacior: oportet intelligentiam in deo efficacissimā esse. Idem in deo est natura eius, atque intelligentia. Idem quoque operationis naturalis modus atque operationis intellectualis vbique esse solet. Siquidem tam natura quàm
L intelligentia per formam agit, & simile aliquid operatur in forma. Non ergo dicēdus est deus per nudam naturam aut per aduentitiam intelligentiam operari, immo per naturam intellectualem, & intelligentiam naturalem. Deo, quia causa prima communisque & felicissima est, operatio conuenit naturalis: quæ cæteris prior est, communior, & facilior. Rursus: quia causa preciosissima est, conuenit operatio intellectualis: quæ prior est dignitate in nobis, quauis non tempore: ideoque est in rerum ordine prima: & tanquā preciosa præstantioribus duntaxat cōgruit speciebus. Propria igitur operatio dei, est operatio vtraque. Est autem apud Platonicos vnica diuina essentia prout deus est, proprietas. Est igitur vtraque in deo eadem operatio.

M Quarta ratio. Natura nuda bonum hoc respicit, aut illud natura intellectualis vniuersale bonū. Causa igitur quæ per nudam agit naturam, ita comparatur ad causam quæ per naturam agit intellectualem, sicut particularis causa ad vniuersalem, & minister ad architectum. Mundi itaque architectus per naturā intellectualē, quantū intellectualis est, operatur.

Quinta ratio. Illa præ cæteris operatio deo cõgruit, per quã deus neq; ex ſuo ſtatu neq; ex ſua ſimplicitate labatur. Talis in primis eſt operatio mentis. Operatio enim naturalis ab agente quidẽ incipit, ſed deſinit in id quod patitur: ſicut calefactio ab igne in lignum. Intellectualis autem vtrunque terminum retinet in agente. Per hanc enim deus dũ ſe ſpeculando verſatur ſecum, vndique verſat externa, atq; vt Parmenides Pythagoreus inquit, rerum orbem mobilem rotat dum ſe ſeruat immobilem. Oportet præterea deum eſſe penitus vniformem: quia ſuper omnium formas exiſtit. Immo & omniformem: quia formator eſt omnium. Quòd vniformis ſimul & omniformis eſſe queat, ſola intellectualis natura facit. per hanc enim formam dei ſeipſam intuendo, ſe concipit tanquam propriam formarum omnium rationem. Videt enim in ſe quicquid eſt cuique proprium, dum cernit quo gradu diuinam formam quodlibet imitari queat, quóve deficere: vt ecce dum intelligit formam ſuam per modum vitæ, non autem cognitionis: vt ita loquar, imitabilem concipit formam ideamque plantarum. Dum verò imitabilem per modum cognitionis quidem, ſed non intelligentiæ propriam animalis ideam: atque cæteras eodem pacto. Et profectò in omnibus quę non caſu, ſed vel natura vel propoſito fiunt, neceſſe eſt effectionis finem eſſe effecti operis formam. Cauſa verò agens actionem ad formam non per aliud quicquam dirigit, quàm per formam in ipſa manẽtem. Neque ad certas dirigit formas aliter quàm vel per certas formas, vel per certas formarum rationes in ſeipſa cõceptas. Cum igitur mirabilis ordo mundi caſu ordinis experte conſtare non poſſit, neceſſe eſt in opificis ipſius intelligentia formam eſſe, ad cuius ſimilitudinem fit effectus. Et quoniam dei propoſito, vniuerſi ordo potiſſimus eſt: principalis penes illum idea, eſt idea ordinis vniuerſi. Ratio verò ordinis atque totius haberi non poteſt niſi rationes proprię partium omnium ex quibus totum cõſtituitur, habeantur. quemadmodum architectus ædificij ſpeciem non poteſt cõcipere, niſi proprias partium eius conceperit rationes. Propriæ igitur in deo ſunt omnium rationes: neque aliunde rerum ſpecies habent vt diſtinctæ ſint, quàm vnde habent vt ſint. Neque diuina ſimplicitas ob id earum multitudinem

A B C D

minus est simplex: cum per formam vnam vnoque intuitu omnes contueatur. Neque dicitur idea diuina essentia, prout simpliciter est essentia: sed inquantum huius speciei vel illius est exemplar. Quocirca quatenus rationes ex vna essentia plures intelliguntur, eatenus plures dicuntur ideæ. Respectúsque huiusmodi quibus multiplicantur ideę, non à rebus ipsis efficiũtur, immo ab intellectu diuino suam ad res essentiam comparante: neque sunt (vt ita dicam) reales respectus huiusmodi, quales illi quibus personæ distingui dicuntur, sed potius intellecti. Sub vna autẽ idea multa & cognoscuntur, & fiunt. Nonnulla etiam per ideam aliorũ perspiciuntur: vtpote per ideam boni atque habitus, malum atque priuatio: &, vt quidam putant, per ideam formæ materia. Proprietates quoque substantiæ per ideam substantiæ cognoscuntur: qualitates verò communes propriis designantur ideis: quemadmodum architectus per domus ipsius formam omnia efficit accidentia quę domum à principio comitantur: sed quæ domui iã factæ contingunt, puta picturæ atque similia, per alias disponuntur ideas. Sed iam diffusius quàm proposuimus, de ideis hic quasi casu quodam occasionem nacti tractauimus. Hæc autem est, & si canes quidam aliter latrant, certissima Platonis nostri Platonicorũque sententia. Quod & supra tetigimus, & aliàs latius declarabimꝰ.

E

F

PRobauimus hactenus primam causam varios effectus suos per multiplicem sapientiæ ordinem operari, potiusquàm per nudæ simpliciſque naturæ necessitatẽ. Probabimus deinceps, volente deo, non operari eum externos effectus per meram intelligentiam, nisi accedat voluntatis assensus: quod quidem disputationis huius erat propositum.

Prima ratio. Causa prima omnia per se (vt in sequẽtibus ostendemus) ad finem optimum per vias rectissimas modo congruentissimo dirigit. Hoc facere nequit, nisi per intellectum anticipet finem: discernat vias: metiatur proportionẽ: quę inter vias est: ac finem: per voluntatem rursus finem approbet: ac viam talem præ cæteris eligat. Hinc Plato in Timæo, Phædone, Philebo, Politico, illos philosophos detestatur, qui naturalium rerum causas vel ad formam, vel ad ipsam siue materiæ siue naturæ necessitatem referunt. Ipse verò naturalia quidem existimat instrumenta quædam intel-

G

ligentiæ,potius quã agentia: singulosque effectus præcipuè ad finalem, efficientem, formalem causam vbique reducit. Quamobrem siquis quærat quã ob causam terra sit rotunda,respondet:quia videlicet rotunditatis idea participat: ad cuius similitudinem sapientia mundi artifex idcirco terram disposuit,quoniã iudicauit voluitque boni ipsius gratia fore melius ita sese habere. I

Secunda ratio. Quod comitatur quicquid est:id enti,quãtum ens est,conuenit. Quod tale est:in eo quod primũ ens est,reperiatur oportet. At quicqd est,hoc habet,vt & absens bonũ appetat,& in presenti bono libentissime conquiescat. Profectò natura,sensus, intellectus absens bonum appetit: præsens amplectitur: Totum hoc natura sensus expers per inclinationem quandam facit,sensus per appetitum,intellectus per voluntatem. Ergo cum deus sit(vt Peripatetico more loquar)ens primum: quis diuinum intellectum negabit præsens bonum suum,quod est omne bonum,per voluntatem libenter amplecti? Sicut enim in sua veritate videt omnia vera,quæ ipsa illuminante fiunt vera:ita in sua bonitate vult bona omnia,quæ & ipsius propagatione nascuntur, & ipsa perficiente fiunt bona. Mens autem quælibet volendo facit opera potius quã videndo. Videndo enim replicat formas intus:volendo eas explicat extra:videndo respicit verũ, cui propria puritas est:volendo attingit bonum,cui propria est diffusio.

Tertia ratio. Sensus, intellectúsque ipsius cognitio, quia tanquam imaginarium quiddam in creaturis est, nullum substantialem effectum efficit nisi per affectum:quod essentiale quiddam esse videtur:vnde quanto vehementius afficitur, tanto potentius operatur:quod quidem indicat quodammodo Struthij oculus auidissime intẽtus in ouum. Si intelligentia dei in creando efficacior est quàm Struthij intuitus in fouendo:immo si immẽsæ est efficaciæ(quod patet ex eo,quòd neq; subiecto neque instrumento neq; tempore indiget in creando)coniectari possumus,voluntatis affectum esse in diuina intelligentia potentissimum. Adde & iucundissimum: si modò intelligentia quæ perfectissima est,qúeque integerrimo & perfectissimo obiecto semper & vndique fruitur,suauissima esse debet. K

Quarta ratio. Vbi non est volũtas, quæ est inclinatio mẽtis ad bonum: ibi non est mentis voluptas, quæ est dilatatio voluntatis in bonum, & quies voluntatis in bono. Si non est ibi voluptas vbi est ipsum bonum, nusquam voluptas erit: quæ vbicunque est, fit ratione boni. In ipso igitur bono voluptas est, & voluntas. Affectus huiusmodi si in creaturis est generationis initium: certè in creatore ipso est creationis origo.

Quinta ratio. Si agentia omnia tam secundum naturam quàm secundum artem, opera sua semper ad finem id est ad bonum ordinant, & bonitate sua id faciunt: accipiũt autem operandi ordinem ab agente primo, atq; illud est ipsum bonum: constat ipsum opera sua ad finem optimum ordinare. Si enim bona particularia quia bona sunt, & quia ordinantur à summo bono; ad bonum aliquod ordinant singula: quanto magis vniuersale bonum ordinabit ad bonum cũcta, videlicet ad vniuersale bonũ? Deus igitur ad seipsum tãquam finem ducit omnia. Nullus enim actionis diuinę finis est extra deum: quoniam finis in eodem ordine locatur vnà cum eo quod agit ad finem: estque bonum quiddã, & causam mouet agentẽ. Nihil autem in eodem ordine cum deo locatur, nisi ipse deus. Deus alieno non seruit bono. Nunquã enim particulari bono seruit omne bonũ. Deus insuper non mouetur ab aliquo. Si dei finis est ipsa sua bonitas: deus suo modo suam appetit & diligit bonitatem. Cùm verò & deus sit intellectualis & bonitas eius intelligibilis: intellectuali dilectione diligit eam. Dilectio huiusmodi in volũtate versatur. Deus igitur vult seipsum. Vult inquam se tanquam finem sui ipsius, & omnium. Ex voluntate autem finis prouenit operatio circa illa quæ diriguntur ad finem. Quapropter diuina voluntas (vt Plato in Timæo inquit) creaturarũ omnium est initium. Idem apud mercurium Trismegistum sæpissime legitur. Putant enim principium vniuersi perfectissimum actionis modum habere debere, id est, vt voluntate sua omnino sit effectionis dominus, qui omnino est dominus effectorum: dominus inquam libera voluntate disponens. Nam si necessitate vel naturę vel intelligentiæ ageret, ageret simul omnia atque infinita simul: singula quoque cogeret, & momento raptaret.

Voluntas

Voluntas dei necessaria simul & libera est: & agit libere.
Cap. 12.

D

SAtis probatum arbitror, deũ non necessitate naturæ aut intelligentiæ sed voluntatis imperio singula procreare. Quemadmodum verò voluntas eius necessaria simul & libera sit, in præsentia demonstrandum esse censeo.

Ratio prima. Caueat quisque diligentissime, ne in tã temerariam impietatem fortuitò incidat, vt aliquando suspicetur deum ita esse operariq́, vt forte contigerit. Si nulli vnquam rei forte cõtingit esse operariq́, id quod naturaliter est, operaturq́, puta igni non contingit fortè, sed oportet quod calidus sit, & calefaciat: summo autem enti naturale est vt sit, & summo actui naturale est vt agat: sequi- E
tur, deum qui summum ens, & plus quàm ens, & summus actus existit: nullo modo secundum contingẽtiam esse vel agere. Si vbi plus est rationis, ibi sortis est minus: in deo, qui summa ratio est, vel fons rationis: nihil potest cogitari fortuitum. Si fortuna non efficit rationem, cum ei cõtraria sit, immo sit priuatio rationis siue defectus: quo nã pacto producit aut deum, aut diuinam aliquam actionem qualibet ratione superiorem? Si deus est illa ipsa regula, ita rerum omnium ordinatrix, vt ab eis quę proxime sequũtur, eam omnem contingentiam auferat: quomodo eum sorte quadam
contigit sic esse vel operari? Quamobrem deus non vt con- F
tingit ita existit & agit: alioquin nullus vsquã ordo reperiretur vnquam: sed vt decuit, immo vt decet. Decet autem, quia decorum. Ipse vero decor est ipse deus, à quo & per quẽ omnia decentia fiunt. Immo vero est agitq́ue vt necesse est. Necesse inquam per ipsam necessitatem. Necessitas autem ipse est deus: per quem & cætera necessaria sunt quęcunque sunt necessaria. Igitur ita est deus, vt est. Ita agit, vt agit. Et quoniam necessitati nulla præest necessitas: ideo ibi est summa libertas. Libertas est appetibilis tanquam bonũ. In summa verò bonitate est quicquid vsquã desiderari potest tan- G
quam bonũ. Liber est, quicunque viuit vt vult. Viuit vt vult præ cæteris ipsa bonitas: cuius vitam vult voluntas omnis: prẽter quam nihil aliqua vult voluntas. Est deus id quod est: ita vt aliud non potuerit esse: (quia est, vt ita dicam omne

ens, omnísque potestas) immo neque voluerit: quia est omne bonum. Posse autem aut velle aliter se habere, imbecillitas esset insipientiáque, in deterius immo in nihilū ruitura.

H

Ratio secunda. Si incitamentum boni in singulis maxime omnium necessarium est, & maximè omnium voluntarium spōtaneumque: certe in ipso bono summa naturæ necessitas vnà cum summa voluntatis libertate concurrit: vt aliàs probauimus. Atque ibi naturæ necessitas voluntatis cō firmat libertatem, & libertas necessitati cōsentit: vsqueadeo vt necessariò liber voluntariúsque deus sit, & voluntariè necessarius.

Ratio tertia. Quandiu res aliqua boni ipsius quasi est expers, tamdiu sibi displicet, & aliud quiddam præter se expetit. Quando verò fit boni particeps, iam sibi ipsi placet, seque vult: & talis est iam, qualis vult esse: & quo magis hoc assequitur, eo magis sibi placet, magísque talis est, qualem se esse vult ipsa. Quapropter ipsum bonū in primis hoc habet: vt se velit summopere, sibique placeat, & tale sit omnino, quale vult ipsum.

Ratio quarta. Si quanto magis aliqua deo propinquant,

I

tanto minus seruilia sunt, magisque sui iuris euadunt: deus sui iuris est maximè, vt non modò qualis ipse suapte natura est, talia velit: verùm etiā qualiter vult, talis sit omnino: rursus qualia vult, talia quoque faciat, & cuius vult gratia, nullúmque agens vsquam vel suæ actionis liberum principium erit, vel finem suæ actioni præscribet, nisi principium finísque vniuersi, & suę actionis sit dominus, & finem suæ statuerit actioni. Sed ad propositum redeamus.

Ratio quinta. In quibus tria hæc, scilicet esse, intelligere, velle, re ipsa inter se discrepant: in iis non est absoluta libertas: quoniam in rebus huiusmodi modus volendi sequitur intelligendi normam: hæc essendi conditionem: esse denique sequitur eum qui dedit esse. At in deo idem est re ipsa, esse, intelligere, velle. Quamobrem ita est per voluntatem suam intelligentiæ essentiæque suæ compos, vt non modo sicut est, & sicut intelligi suapte natura, ita quoque velit: verùm etiam sicuti vult, ita intelligat, atque existat. Ob hanc

K

forsitan rationem Zoroastris sectatores tradunt deum quodammodo agere semetipsum. Quod in hunc ferme modū

quem dicã, Plotinus expoſuit. Deus eſt actus,non alterius, non circa alterum,ſed ſuimet,& circa ſeipſum . Eſt enim actus intra ſe manens . Quoniã verò actus eſt propter naturam infiniti boni infinitè fœcundus:ideo non caret acto,id eſt,genito:acto ſcilicet infinito . At quoniam & per actum intimum fit aliquid intimũ,& ſolus deus eſt infinitus:quod inde actum,id eſt genitum eſt intra deum,eſt ipſemet deus. Deus eſt actus peruigil,atque perpetuus,ex ſe, in ſe, circa ſe penitus.Ergo vt agit & vigilat,ita prorſus exiſtit. Totus ni- L
xus diuini actus circa ſe vertitur.At dum ſibi innititur,quo dammodo ſeipſum agit,id eſt,gignit:quia ſi reſpexerit aliò, ſe perdet. Quapropter eſſe diuinum , actus eſt ad ſeipſum: quando non eſſe diuinum , foret actus ad aliud . Deus vult ſeipſum.Velle autem & agere,immo etiã eſſe,idem eſt omnino.Igitur ſe volendo,ſe agit,id eſt,producit:immo ſe iam ponit vel ſignat in eſſe.Ex his cõfici vult Plotinus,deum nõ M
ita eſſe vt ſorte contigit,vel vt coegit neceſſitas:ſed vt vigilat,agit atque vult ipſe.Sed hæc deus ipſe viderit.A nobis verò id tantum vbique affirmari optamus,quod deo ſit dignũ quale eſt quod antè propoſuimus:in deo videlicet cũ ſumma neceſſitate ſummam congredi libertatem.

Ratio ſexta.Sola diuina bonitas eſt abſolutũ diuinæ mentis obiectum.Nam quælibet vis æquari obiecto poteſt:excedere minimé.Nihil autem extra deum eſt, quod deus excedere nequeat.Vult autem ſeipſum deus abſoluta quadam voluntatis neceſſitate.Vltimum nanque finem ſuum neceſſariò volunt omnia.Diuina bonitas,dei finis eſt vltimus cuius gratia vult quicquid vult. Aut ergo fatendum eſt deum nihil velle,atque eſſe guſtus omnis expertem , quod eſt abſurdum:aut affirmandum, ſiquid vult,neceſſariò velle ſeipſum: præſertim cum in deo eſſe ac velle ſit idem . Volendo ſe,vult reliqua omnia:quæ prout in deo ſunt,ſunt ipſe deus: prout ex deo manant,ſunt diuini vultus imagines: atque ad diuinam bonitatem referendam comprobandámque tanquam ad finem præcipuum ordinantur.At verò ille diuinæ A
voluntatis actus,qui prout diuinam reſpicit bonitatem, abſolute neceſſarius eſt: ille inquam prout reſpicit creaturas,à quibuſdam non abſolutè neceſſarius appellatur. Nam quãuis voluntas finem ipſum neceſſariò velit omnino:ea tamẽ

quæ diriguntur ad finem, conditionali quadam neceſſitate vult: immo etiam nonnũquam nulla neceſſitate vult, ſiquid ex illis eſt ſine quo finis poſſideri queat. Diuina autem bonitas non indiget creaturis.

Ratio ſeptima. Conducit ad hæc, quod deus volendo propriam bonitatem, non ob aliud vult alia bona, niſi tanquam ipſius imagines. Cum autem diuina bonitas immẽſa ſit, innumerabiles ad eius exemplar effingi imagines poſſunt: innumerabiles inquam, præter eas inſuper quæ in his ſeculis effinguntur. Itaque ſi ex eo quod propriam vult bonitatem, neceſſariò eſſe vellet ſingula quæ imitari eam poſſunt: certe vellet infinitas creaturas exiſtere, infinitis modis diuinam
B bonitatem repræſentantes. Si autem vellet: vtiq; eſſent. Sed in hac re meminiſſe oportet, vt placet diuo Thomæ Aquinati noſtro, ſplendori theologiæ: quanquam diuinæ voluntatis actus ſecundum conditionem poſitionémve quandam dici poteſt rem hanc aut illã neceſſariò velle, videlicet poſtquam ſemel eam voluit, cum ſit diuina voluntas non aliter immutabilis quàm eſſentia: ipſum tamen ſuapte natura nõ habere eum neceſſitatis abſolute reſpectum ad effectus ſuos, quem ad ſeipſum habet.

Ratio octaua. Si deus eſt perfecta entis cauſa, atque ens proprius eſt effectus dei: eouſque ſaltem dei actus amplificare ſe poteſt, quouſque entis potentia poteſt amplificari: præſertim cum paſſiuam potentiam ab actu ſuperiore duci oporteat. At in huiuſmodi potentia entis continetur quicquid rationi entis non aduerſatur: quemadmodum in potẽtia corporalis naturæ ſunt quæcunque naturam non auferunt corporalem. Nihil autem effingi poteſt quod entis rationi repugnet, niſi eius oppoſitum hoc eſt, quod dicitur nõ ens. Contradictio ſola rationem non entis includit. Quæcunque igitur contradictionem nullam includunt: vt Peripatetici putant, in entis potentia includuntur: atque ea omnia poteſt deus efficere. Quod inde confirmatur: quòd mẽs excluſa contradictione poteſt per omnem immo per immenſam entis latitudinem ſe porrigere. Non debet autem effectrix dei poteſtas minus ampla eſſe, quàm mentis potentia machinatrix. Adde quod ſi diuinus intellectus bona innumerabilia intuetur, voluntas autem eius ad omnia illa ſe

potest conuertere quæ intellectus offert tanquã bona: consequens est vt voluntas dei finitis obiectis nõ adstringatur: igitur & potestas eius ad infinita se porrigit. Quorsum hęc? E
Vt intelligas, quicquid contradictionem non includit, diuinæ potentiæ subiicitur: atque cum multa non sint in natura rerum, quæ tamen si essent, contradictionem nullam inferrẽt (quod patet præcipuè circa numerum, magnitudinem, interuallaque stellarum) scias plurima sub diuina potentia cõtineri, quæ tamen in rerum ordine nunquam reperiuntur: & cum deus eorum quę potest quædam faciat, quædam nõ faciat: eum nulla vel naturæ vel intelligentiæ vel voluntatis necessitate, sed libera voluntatis electione talia operari.

Ratio nona. Non iniuria deus electione (vt ita dixerim) quadam operari dicendus est. Siquidem agẽtia omnia quęcunque per aliud agunt, ducunturque ad operandum: reducenda sunt ad agens primũ, quod ita per se agat, vt seipsum ad agendum ducat: ergo vt in actionẽ suam penitus se conuertat: ergo vt intelligat: velitque operari aut non operari: rursusque ita vel aliter operari. Quæ autem hoc modo proficiscuntur à deo nullus ignorat electione libera proficisci. F
Nullus tamen sapiens nescit electionem in deo ab essentia non differre. Verùm ne putet forte aliquis diuinam voluntatem si ad creata respexerit, singulis vim inferre: meminisse oportet voluntatem dei malle vniuersi bonum, quàm apparens alicuius particulæ commodum. Nam in illo bono expressior fulget diuinæ bonitatis imago: bonumque illud in ordine quodam videtur consistere. Exactus autem ordo requirit vt omnes rerum gradus in vniuerso contineantur: ita vt quædam sint causæ stabiles, quædam mobiles: & illę quæ mobiles sunt, effectus producant insuper magis vagos, & quodam variabili modo. Nam effectus, proximarum causarum modum potius quàm remotarũ imitari videtur. Deus autẽ non modò res ipsas vult esse, verùm etiã essendi modos qui ad eas per consequentiam requiruntur. Cum verò rebus quibusdam secundum naturæ suæ modum conueniat vt sint quodammodo contingẽtes: deus eligit aliquid (vt theologi quidam inquiunt) quodammodo secundum contingentiam euenire. Nihil tamen ita præuaricatur, vel ordinẽ vniuersi perturbet, vel ordinatoris effugiat prouidentiã. G

H SI deus sibi ipse placet,si amat seipsum: profecto imagines suas & sua diligit opera. Diligit faber opera sua,quę ex materia fecit externa. Amat multo magis filium genitor, quem ex materia intrinseca generauit: quanuis eam prius acceperit(dum comederet)aliunde. Amat deus ardentius sua quælibet opera:cum non acceperit aliunde materiam,sed ipse idem materiam creauerit,qui & formauit: quo fit vt & solus,& totius operis causa fuerit. Si deus vsque adeò amat opera sua,bona illis vult:quod verò vult,consequitur. Igitur bene illa disponit: & summa sua bonitate disponit quàm optime. Sicut enim fœcunditas procliuitasque ad agendum, agẽtibus omnibus ab agentis primi fœcunditate ingenita est:sic diligentia in custodiendis operibus,inserta est singulis à diligentia prima agentis primi,omniũ tanquam filiorum procuratoris. In quo quanto maior fœcunditas est quàm in cæteris,tanto & diligentior prouidẽtia. Rursus deus sui gratia facit cuncta:quia si ad alium finem prẽter I seipsum ageret, ab illo fine penderet actio dei: ergo & ab eodem agendi volũtas:ab eodem quoque deus: cum idem sit deus,deique voluntas. Si ad sui finem facit omnia, atque ipse summum est bonum: ad bonum(vt Plato vult in Timæo)cuncta disponit:ita vt singula pro natura sua diuinam capiant bonitatem. Præterea cum omnia bonum appetant, bonique appetitio bona sit,& ideo ab ipso sit primo bono, vnde sunt bona omnia:sequitur vt à diuina bonitate illecta, diuinam appetant bonitatem. Quis igitur negauerit deum res gubernare:cum eas ad bonum dirigat finem? Elementa membraque mundi,contraria sua inter se natura formę virtutísve pugnantia,quo pacto coirent in vnum,ac manerent tamdiu inuicem copulata,mutuarentque sibiviciſſim naturas motúsque,& mutuarentur, nisi ab aliqua excellentiori virtute connecterentur? Porrò si mundi gubernatio hismẽbris eius inter se contrariis relinquatur: hæc ponderibus librata suis,lociſque disiuncta,inuicem non miscebuntur. Ac si miscentur:nihil aliud agent quàm calida,frigida, sicca, humida,rara vel densa,& reliqua generis eiusdem:ordinem verò formarum,figurarum, reuolutionum nullum consti-

tuent. Siquidem & in artibus huiusmodi ordinem non materia facit, non instrumenta, sed sola artificis cogitatio. Et si cælum quodammodo elementa regit, non tamen ita regit quin ipsum aliunde regatur. Tanta enim in ipso diuersitas formarum, virtutum, motionum, non ab ipsis cæli corporibus suapte natura diuersis mobilibúsque, sed à virtute quadam superiore per se vna prorsus & stabili, in ordinem vnũ stabilémque dirigitur. Denique naturale agens, siue elementale, siue cęleste, tum quia mobile est, ideóque egenum imperfectumque, semper aliunde dependet: tum qui necessitate naturæ seque toto agit quicquid agit, ideo mensurã modumque agendi per certos gradus certo fini conuenientem à rectore quodam superno sortitur. Calidum enim siue secundum formam siue secundum virtutem, simpliciter vbique & omnino dissoluit: frigidũ verò condensat. Quod igitur tam illud vtiliter conuenienterque dissoluat, quam hoc simili ratione condenset, idque continuè & ordinatissime faciant: non à natura simplici, non à casu, sed à causa superna suscipiunt. Et quia sphęræ continuo motu continuè à præsenti habitu digredientes, in seipsis non quiescunt: ideo & sunt & mouentur ab alio, penes quem sit finis, cuius gratia mouentur & agunt: siquidem finis, motiones ad finem, intentione quadam necessariò antecedit. Hinc Aristoteles in libris diuinorum ait, Sicut ordo partium exercitus ad inuicem & ad totum, procedit ex ordine totius ad ducem vnũ: ita ordo mundanarum partium ad inuicem & ad totũ, pendet ex ordine totius ad deum. Vnde concludit, sicut exercitus ordo est in duce, ita mundi totius ordinem esse in deo vno tantùm principe mundi. Proinde partes mundi & corpuscula quælibet ad certum finem per viam ordinatissimã & cõmodissimos modos aut semper aut plurimùm ita proficiscuntur, vt peragant sæpissime opera sua quanto melius effici possunt, perinde ac si artem intus haberent, & artem quidem absolutissimam. Immo tam mirabili ratione progrediuntur, vt humanam artem rationemque exuperent. Et cum ipsa corpora sui motus ignara sint, ac propterea finem ad quem non casu sed necessariò tendunt, sibi ipsa prescribere nesciant, habeant tamen præscriptũ: (alioqui non ad hũc magis finem quàm ad alium pergerent) constat eis ab alio

quodam finem præscribi quem appetant, cuius sapientia ita ducantur ad finem, sicuti sagittæ ad signum à prudentia sagittarij diriguntur. Vbinam hæc sapientia est? Si in summo deo, prouidet rebus deus: cum concilier inuicem repugnantia, ne se vicissim interimant: atque ad fines optimos cuncta perducat. Sin in alia quauis infra deum angelica mente vel anima, scito deum omnia quæ infra se sunt, mouere. Quare si angelica mens aut anima quædam regit mundum, ducítque ad bonum: certe & ducta à Deo & dei virtute id agit. Quapropter deus primus ac summus est rector, qui ꝓuidere potest omnibus, si potest ꝓ intellectū omnia facere cum prestantius sit per intelligentiā facere, q̄ considerare & conseruare tā facta. Scit etiam regere cuncta, si facere nō nescit. Vult deniq; gubernare & custodire quæ sua sunt, quæ
C fecit ipse: quibus non inuidet bene essendi dona, postquam non inuidit munus essendi. Gubernat autem quælibet facilitate mirabili. Neq; enim alienas tractat materias, quas acceperit aliunde, sed suas, quas facit ipse. Neque attingit extrinsecus, sed intrinsecus agitat. Inest nanque rerum omnium penetralibus. Neq; laborat circa plurima: sed per ipsum esse suum, qui vniuersalis omnium cardo est, sequentes ver-
D sat cardines, id est, essentiam, vitam, mentem, animam, naturam, materiam: Atque (vt Platonicus aliquis diceret) per cardinem quoque cuiusque ordinis proprium, ipsum propriū versat ordinem: id est, per vnam essentiam, essentias omnes: per vitam vnam omnes vitas: per vnam mentem omnes mentes: per vnam similiter animam, singulas animas: per naturam naturas: per materiam verò materias. Neque eius
E decreto aliquid reluctatur: quia immenso interuallo superat omnia. Diuinè de diuina natura ita cecinit Orphæus.

ἀεννάῳ στροφάλιγγι θοὸν ῥόμβον ἑλισσόμενον,

id est, perpetuo cardine velocem impetum volutans. Compertum est esse in animali neruum quendam circa nucam quem qui trahunt, cuncta simul animalis membra ita mouent, vt singula propriis motibus moueantur. Simili quodā tractu scribit Aristoteles in libro de mundo, à deo mundi membra moueri, Vbi prouidentiā asserit apertissimé. Quā in decimo quoque moraliū significat, & in physicis: vbi probat naturam certum vbique optimumque finem respicere,

operaq́ue ipſius opera eſſe intelligentiæ, non errantis. Vidimus Florentiæ Germani opificis tabernaculum, in quo diuerſorũ animalium ſtatuæ ad pilã vnã connexę atque libratæ, pilæ ipſius motu ſimul diuerſis motibus agebantur: aliæ ad dextram currebant, aliæ ad ſiniſtram: ſurſum atque deorſum: aliæ ſedentes aſſurgebant, aliæ ſtantes inclinabãtur: hæ illas coronabant: illæ alias vulnerabant. Tubarum quoque & cornuum ſonitus, & auium cantus audiebantur: aliaq́ue illic ſimul fiebant, & ſimilia ſuccedebãt quàm plurima vno tantum vnius pilæ momento. Sic deus per ipſum eſſe ſuum (quod idem re ipſa eſt ac intelligere atque velle: quodque eſt ſimpliciſſimum quoddam omnium cẽtrum, à quo, vt aliàs diximus, reliqua tanquam lineæ deducuntur) facillimo nutu vibrat quicquid inde dependet. Taceat igitur Lucretius Epicureus, qui caſu fieri ac ferri vult mundum, & conſtantem formoſiſſimi ordinis habitum ex inſtabili deformiq́ue priuatione ordinis proficiſci exiſtimat: perinde ac ſi quis ex inſipientia ſapientiam, & ex tenebris naſci lucem arbitaretur. An tù Lucreti quoties caſu abſque conſilio & proposito fine moueris, toties vno quodam recto tramite ad certum eundemq́ue terminum proficiſceris? Nequaquam ſed hac & illac oberras. An quando abſque arte & præſcripto fine tractas lapides, tunc ordinatiſſimis & cõtextis inuicem parietibus ædificium conſtruis & aſpectu pulcherrimum, & vſui commodiſſimum? Nequaquam, ſed deformem inutilemq́ue cõgeriem. Conſidera plantas & animalia, quorum ſingula mẽbra ita diſpoſita ſunt, vt alterum alterius gratia ſit locatum, alterum ſeruiat alteri. Certè vno ſublato, tota ferme compago diſſoluitur. Cuncta denique membra, totius, compoſiti gratia ſunt digeſta: & compoſitum ipſum, ſcilicet, planta & animal, conuenientibus inſtrumentis inſtructum ad opera naturæ proprię neceſſaria omnibus alimenta, loca, temporaq́ue prouiſa, terra & aqua his elementa parant: cælum temperat aquam ac terram. Tandẽ partes mundi cunctæ ad vnum quendam totius mundi decorẽ ita concurrũt, vt nihil ſubtrahi poſſit, nihil addi. An ſi tu omni conſilio fuiſſes arboribus & animalibus prouiſurus: aliter prouidiſſes? Non aliter, ſed neque tam bene. Conſilium igitur conſilio tuo melius hæc diſponit. Alioqui videres quotidie

quamplurimis tam membra quædam ſua, quàm inſtrumenta vbique deeſſe: item ex equi ſemine naſci canes, ficus ex malis: & membra hominis annexa leonibus, hominibus aſinorum: cadere ſtellas, aſcendere lapides. Nunc vero quia ſingulæ mundi partes certis ſeminibus ortę, diſtinctis figuris prędiræ, recta via, congruis tēporibus & ordinibus pulcherrime & commodiſſimè certos petunt terminos atque repetunt. conſequens eſt vt eodem modo moueantur, quo & illa quæ arte & conſilio mouentur humano. Si modo eodem, ergo eadem penè arte, eodēque conſilio: & tanto præſtantiore, quanto pulchrius & ſtabilius ordinantur. Conſilio inquam nō ambiguo & mobili, ſed certo penitus atque ſubito, & intuitu potius quàm diſcurſu. Si enim in opere non eſt mora, vel tranſgreſſio vſquam, vel retractatio: nō eſt ambiguitas in opifice. Intuitum huiuſmodi per tranſlationem
A quandam conſilium appellamus, non quod ibi alia inueſtigentur ex aliis, ſed quòd alia aliorum gratia fiant. Solent inertes homines de artificiis conſultare: at verò qui artē perfectè callet, nihil conſultat amplius, ſed ita habitū facit, ſicut natura formis. Quod ſi eſt ars alicubi perfectiſſima, ibi certè eſt, vnde mirabile hoc opus mundi diſponitur. Artem huiuſmodi in natura fortaſſe locabis ſenſus omnis experte. Ego vero ſenſu carere te dicam, ſi tam fueris alienus à ſenſu,
B vt non ſentias, ſi beſtiolæ quæque terrenæ ſentiunt, oportere multo magis totum mundum & artificem omnium naturam ſenſum habere: ſenſum inquam rationalem, ſi rationabilius ſua opera ordinat, quàm hominis ratio. Admirationem autem minuit diuturna conſuetudo. At ſi parentes tui te clauſa vndiq; domo ſic ab infantia educauiſſēt, vt mirabile hunc mundi decorem ante annum ætatis trigeſimū non vidiſſes, & tunc repentè tibi aperta domo monſtratus fuiſſet. proculdubio nouum harum rerum ſpectaculū eſſes vſque adeo admiratus, vt quanuis ante ambiguus, poſtea tamen nunquam ambigere potuiſſes quin cuncta vnius ſapientiſſimi artificis prouidentia fiant atque regantur. Fateamur igitur neceſſarium eſt Lucreti, quod cum partes effectúſque mundi conſtanti ordine procedant, nō poteſt totus ipſe mundus præter conſtantiā ordinémque vel nunc procedere, vel ab initio prodiiſſe. Fateamur denique, quod ne-

que sua sponte mouetur mundus sine vita, neque tam diu tã æqualiter voluitur sine potentissima vita: neque tanto ordine sine sapientissima mente: neque tam optime & commodissime absque summo bono: sed vita quædam vna, regina vnius mundani corporis, potentia, sapientia, bonitate præcellens, mundum prouidentissime & ab initio & continuè perducit ad optimum. Hæc vel summus est deus, vel dei summi pedisequa. Si summus est deus: deus prouidet certe. Si C dei pedisequa: deus etiam prouidet: quoniam primum principium sui ipsius gratia agit mouetque cuncta. Diuinè de Ioue dixit Orphæus:

D

παντ̃ο γένεθλ' ἀρχὴ πάντων, πάντων τε τέλευτή

id est, omnium genito: principiumque & finis. Ideo si vita mundi prouidet: profecto ducta à deo, ad dei prouidet finẽ. Igitur ad dei bonitatem omnia denique diriguntur. Atqui hæc bonitas cum totius operis sui habeat curam, certè partes negligit nullas. Ex singulis enim constat optimus totius compositi status & habitus. Totum hoc Orphæus sic ex- E pressit.

πάντ' ἐσορᾶς, κοὐδὲν πάντ' ἐπακούεις, πάντα βραβεύεις

id est, omnia intus inspicis: omnia intus audis: omniáque distribuis. Quoniã verò tota mundi compago gratia diuinæ bonitatis referendæ est instituta, & partes mundi gratia ipsius compagis appositæ sunt: non est in toto hoc opere summa prorsus perfectio requirenda, sed quanta sufficit ad sublimiorem auctoris perfectionem pro viribus indicandam. Neque exigenda est in quauis mundi parte quælibet partis illius perfectio: sed quæ cæteris partibus concinat, totique conducat. Sic licet nonnunquam aliqua particulæ alicuius mundanæ conditio videatur per se esse culpanda: si tamen ad totius statum comparetur, inueniemus non aliter mun- F dum posse bene disponi, quàm ita. Sanè vniuersi conditor, non totum ipsum ad partes vllas, sed partes potius ad totum refert. Meritò igitur quæ alicubi circa partes vel mala videntur vel deformia, denique in totius ornamentum G bonumque euadunt. Quapropter apud Orphæum deus vocatur.

Nota

αἰδίους ζωὴ, ἠδ' ἀθανάτητε πρόνοια,

id est,sempiterna vita,immortalisque prouidentia.Hãc prouidentiam Mercuriusesse dicit generis humani tutricem:&
H Plato in quarto legum libro inquit deum continere principia,media,finésque omnium:ambire cuncta,ac rectè disponere singula.Mitibus religiosisque viris esse propitium: superbos impiósque punire . Neque tolli putat per diuinam
I prouidentiam nostri arbitrij libertatẽ:immo seruari: quod aperit in decimo libro de rep.in libro etiam de regno, & in Critia:quia deus non tam sciendo facit quàm volendo. Alioqui simul cuncta fecisset & faceret : faceret quoque ma-
K la.Item sicut in præscientia dei, futuri scripti sunt rerum euentus:ita & euentuum causæ,modique agendi. Et sicut opera nostra nota sunt deo,ita & nostra voluntas,quę nostrorum est operum causa & modus liber agendi . Sicut enim præuidet te id facturum:ita pręuidet te ita,id est,voluntariè liberéque facturum. Quare diuina pręuisio si conditionis alicuius positione reddit necessaria nostra opera : reddit necessarium,id est,confirmat similiter agendi modum,hoc est nostri iudicij libertatem: quoniam deus naturarum omniũ temperator cuique rei conseruat non subtrahit naturã quã dederat.Sic dum regit cuncta,singula pro singulorum regit natura ascendentibus elementis ad ascensum conducit, descendentibus ad descensum.Si regit animalium motũ:quia ille natura sua progressurus est,confert ad grãdiendũ.Si cælos ducit:quia ob rotunditatem natura volubiles sunt, confert ad circuitus ambitum.Si animos pulsat:quia illi sursum deorsumque liberè volubiles sunt:pulsat,& libere: ita vt alliciat,non trahat:non cogat,sed persuadeat . Quod Zoroaster ita testatur:

L πατὴρ δ φόβον ἐνδῦσαι, πειθὼ δ' ἐπιχεῦαι,

id est,pater non incurrit metum,sed persuasionem inducit. Quoniam verò motor primus prævalere debet & dominari, ideo sic animos(vt Plato vult)quasi cogit ad bonum , vt bonum ipsum nolle non possint . Bonum enim necessariò volunt omnia,cuius ratione volunt quicquid volunt : sicut necessariò malum ipsum nolunt:cuius ratione nolunt quic
M quid nolunt.Nam si adæquatum appetitus obiectum est ipsum bonum,certè bonitas est ratio ipsa appetitui appetendi quicquid appetat:ita vt in omni re quam appetit, non aliter

bonum appetat, quàm visus in omni colore videt lumen. Ac si appetat vlterius nihil appetere, hanc quoque appetendi vacationem eligit tanquam bonam. Animus igitur necessariò fertur ad bonum. At quia deus debet naturam animo propriam reseruare, ideo iudicium ipsi relinquit liberum, per quod de agendis suo more consultet, atque è multis sibi propositis aliud alio melius iudicet: & quod aptius ad bonum consequendum censuerit, eligat.

THEOLOGIÆ PLATONICÆ De immortalitate animorum eodem Ficino authore,

LIBER TERTIVS.

Descensus per quinque gradus fit, per quos est factus ascensus: qui gradus inuicem congruè comparantur. Cap. 1.

A Scendimus hactenus à corpore in qualitatem: ab hac in animã: ab anima in angelum: ab eo in deum, vnum, verum, & bonum, auctorem omnium atque rectorem. Corpus appellant Pythagorici multa, qualitatem multa & vnum, animã vnum & multa, angelum vnũ multa, deũ denique vnum: quia corpus ad quamlibet speciem indeterminatum est, & suapte natura sine fine diuiduum: cuius materiam in infinitum fluxuram inquiũt, nisi eam forma sistat & vniat. Qualitas ad materiam specie terminandã confert: & est per se quodammodo indiuidua: sed per admixtionẽ corporis fit diuisibilis. Anima materiã specie terminat: neque per se, neque per inquinationẽ corporis est diuisibilis, sed mobilis multitudo. Angelus receptaculum specierũ est, & multitudo immobilis: deus super species immobilis vnitas, Deum aiunt per se omnino indissolubilem esse: quia ipsa vnitas statúsque sit, corpora verò ex elementis composita, prorsus dissolubilia: quoniam in eis & multitudo vnitatem, & motus superat statum. Sed angelos, animas, sphæras,

& ſtellas, diſſolubiles quidem videri quodammodo, quatenus partes habent: eſſe tamē indiſſolubiles, propterea quod in ipſis vnitas ſtatuſque multitudinem motumque exuperant. Hic autem eſt nodus ille diuinus, quo deus (vt Timęus putat) hæc per ſe ſolubilia, ſemper indiſſoluta conſeruat.

B Tam potens eſt vnitatis ipſius ſtatúſque munus, vt in infimo ſolum vniuerſi gradu excedi ab oppoſitis videatur, ſed tamen interim ibi quoque quodammodo vincat ſiquidem materiam ipſam infinitæ multitudini mutationique ſubiectam, ſemper cuſtodit in vnitate ſubſtantiæ atque ordinis

C permanentem. Eſt vtique deus vnitas: vt probauimus. Eſt & immobilis: quia neque ab alio mouetur: cum nihil ſit illo validius: neque à ſeipſo, quia ad melius ſe transferre nequit, cum ſit ipſum bonum. Ad deterius autem nihil ſua ſponte ſe mouet. Ac ſi deus fluere de alio dicatur in aliud: quæremus nunquid nouum aliquid aſſequatur, an nihil. Si nihil aſſequitur nouum, neque mutatus eſt quidem. Si noui aliquid: antè non omnia poſſidebat. Quod non poſſidet omnia: non eſt deus. Deus ex eo quòd eſt vbique, non mutatur, cum, ex eo quod eſt omniū finis, circa aliud non mouetur: ex eo quod eſt ſimpliciſſimus, etiam in ſe eſt immobilis. Nam ſi moueatur in ſe: aut partem ipſius alteram ad alterā admouebit, aut ſaltem noua quædam in ſeipſo cum veteribus congregabit. Erit enim per ſubſtantiam, quod erat antè: ac nouam inſuper induet formam: neque eſſe poterit ſimpliciſſimus. Denique deus ipſa vnitas eſt. Vnitas autem ſtatus ipſius eſt fundamentum: quia ſicut in multitudinē motus progreditur, ſic vnitati ſtatus innititur. Illud enim in quauis natura ſtare dicitur, quod vnum in ea continuè habitum ita poſſidetur, vt ab eius naturæ vnitate non diſcedat. Fundamentū verò ſtatus omnis quis dixerit eſſe mutabile. Poſ-

D ſumus autem rationes huiuſmodi per argumentationem illam numeri Pythagorici confirmare. Quicquid, inquit, ſecundum præteritum futurūque mutatur, priuationem quādam habet admixtam: futurum enim nondum eſt: præteritum non amplius eſt. In deo autem, cum ipſe ſit primū ens, actúſque ſummus: nulla eſt priuatio: eſt igitur immutabilis. Angelus quoque immobilis eſt: quoniam à deo totius bonitatis fonte bonum per ſeipſum haurit abſque medio: &

vno æternitatis puncto impletur inde, ac permanet semper bonitate plenissimus. Quoniam verò omnis effectus extra causam suam productus aliquid causæ seruat, & inferior etiam euadit quàm causa: ideo angelus proxime deo creatus, aliquid dei seruat, amittit & aliquid. Deus quidem vnitatẽ habet & statum: retinere vtrunque non potest angelus. Esset enim deus ipse, non angelus. Neque etiam amittit vtrunque: ne proximum ac primum dei opus euadat opifici dissimillimum. Quid ergo? vnitatem ne solã retinebit? an statum? Solam vnitatem nequit sine statu. Vnitas enim ipsa est prorsus immobilis. Itaque retinebit statum, sed à simplici decidet vnitate: vt angelus sit immobilis multitudo. Neque iniuria multitudinẽ angelo assignamus: quia si sit perfecta & absolutissima vnitas, erit summa & interminata potestas. Siquidẽ virtus in vnitate consistit. Interminata potestas vn' ipse est deus. Portò si corporis proprium est suscipere atque pati, naturæ autem incorporalis proprium dare & agere: in natura corporali dicitur esse potentia: potentia scilicet (vt aiunt theologi) susceptiua atque passiua: in natura incorporali actus, id est, efficacia ad agẽdum. Ideo qualitas quia per se quodammodo incorporalis est, aliquam agendi vim habet: vnde & actus cognominatur. Quia verò in materia suscipitur & diuiditur, fitque inde quodammodo corporalis: hinc non merus est actus, sed passione corporis inquinatus. Constat igitur qualitas ex actu atque potentia. Anima autem licet sit à materia separabilis, atque ob id actus dicatur, & à passione corporis aliena: tamen nondum merus est actus. est enim mobilis. Si mouetur aliquid, per motum nanciscitur quo antè caruerat: vt carebat, potentiam illam habet, quam susceptiuam & quodammodo passiuam potentiam nuncupamus. Vt agit mouendo nonnihil, est actus: & dum acquirit aliquid, etiam actus efficitur.

Est ergo anima ex potentia & actu composita. Sed nunquid angelus actus est merus? Minime. Deus planè, quia distat penitus à materia, in qua passiua potentia est sine vlla agendi virtute, ideo merus esse intelligitur vigor agendi seorsum à suscipiendi patiendique natura. Si deus est purus actus, nequit angelus esse talis: quia quod vnum in se est, nunquam fit plura, nisi per alienæ naturæ ad-

ditamentum. Vnica est ipsius puri actus natura & definitio: quæ in deo quidem est, vt patet. Quòd si etiam in angelo dicatur esse, interrogabimus, nunquid in angelo sit aliquid aliud præter actum, nécne? Si nihil, vnus solummodo restat actus purus. Siquidem nihil differt actus qui tribuitur angelo, ab actu dei, cum nihil insit vtrisque præter actū, & actus ipse sua ratione sit vnus. Sin additū est aliquid angelo præter actum, non amplius est angelus purꝰ actus, sed infectus permixtione: & actus non absolutus, sed talis potius, aut talis: sicut non est pura lux quæ viridis est vel rubens, sed est & lux simul & qualitas elementorū aliqua per quam rubens sit vel viridis. Quapropter angelus quoque ex actu componitur & potentia: atque hoc est quod in Philebo vult Plato, vbi ait deum esse rerum omnium terminum infiniti expertem, res autem alias præter ipsum omnes ex termino & infinito componi. Terminum vocat actum: infinitū verò potentiam quæ secundum se indeterminata, terminatur & formatur ab actu. Sed vt ad rem veniamus: potentia quidem angeli in essentia sua est: quæ prius quodammodo fit à deo quā ab ipso formetur. In primo nanque creationis suæ momento angelus est solummodo: in alio ab auctore illustratur vt sit intelligens, atq; formatur. Idcirco essentia illa principio informis est quodammodo, & tanquam passiuū subiectum quoddam exponitur ad actum intelligendi, & formarum idearumque ornatum susciendum: de quo Zoroaster ait:

A πάντα γὰρ ἐξετέλεσε πατὴρ, καὶ νῷ παρέσχηκε δευτέρῳ,

id est, omnia perfecit pater: & menti præbuit secundæ. Est igitur angelus multitudo, cum constet ex pluribus. Multitudo inquam immobilis. In illo certe deo inferior est, quod non est vera vnitas sicut deus: in hoc propinquat, quod est fermè (vt ita loquar) sicut deus immobilis. Rectè post deū immobilē vnitatē ponitur angelus immobilis multitudo:

B Post angelū anima, q̄ lōgius etiā distat à deo: quia est mobilis multitudo. Multitudo quidē est, cū nihil post deū esse q̄at vnitas simplicissima. Est quodāmodo mobilis: quia longius recedens à deo, propinqua fit corporū qualitatibus, quę penitus agitantur. Si omnino immobilis esset: esset vtique angelus. Si omnino mobilis: esset qualitas. Medium tamen

aliquod inter angelum esse oportet & corporum qualitates: ne omnino immobilis angelus omnino mobili qualitati sit proximus. Sit itaque partim immobilis partim etiam mobilis. Stabit eius substãtia: neque in maius minúsve, aut hoc aut illud mutabitur. Fluet autem operatio: & modo hæc, modo illa, atque aliter & aliter operabitur. Qualitas autem anima inferior est: quandoquidem per essentiam operationemque mutatur. Qualitate inferius corpus. Qualitas enim mouetur & mouet: mouet enim corpora. Corpus mouetur quidem, mouet nihil. Angelus quidẽ quòd sit vnum quiddam, & quòd sit actus, non à seipso habet, sed à deo verè vno, actuque purissimo. Sed quòd sit multiplex per potentiam suscipiendi & patiendi, habet ex seipso: quantum extra deum productus, à productoris perfectione degenerat. Multitudo igitur naturalis est angelo. Anima quoque quòd vna quædam substantia sit, & quod sit actus stabilis per essentiam: non à seipsa, sed à deo sortitur actu vno & stabilissimo. Quòd verò multiplex sit & passiua, ex seipsa possidet: quia sub deo locatur. Quod deniq; mobilis, ex seipsa rursus: quia sub angelo. Sicut igitur vnitas naturalis est deo, & angelo multitudo: ita motus naturalis est animæ. Lux dei producit C
angelum, sub dei scilicet vmbra: lux dei animam sub vmbra producit angeli. Angelus à dei vno actu vnitatem stabilem adipiscitur: sub dei vmbra cadit in multitudinẽ: anima dei luce statum nanciscitur: sub vmbra dei multitudinem: sub angeli vmbra mutationem. Fons vnitatis deus: fons multitudinis angelus: fons motionis est anima. Deus per seipsum vnitas: angelus per deum est vnus, per se multiplex. Anima per deum vna: Per dei vmbram, id est quia sub deo est simul cum angelo, multiplex per seipsam mobilis. Qualitas per superiora habet vt moueat aliquid: per se habet vt materiæ misceatur. Corpus per qualitatem habet vt agat: Per se solum vt patiatur. Qualitas vno gradu excedit corpus, quod mouet ipsum: vno saltem cedit animæ, quod mouetur ab illa. Anima saltem vno excedit qualitatẽ, quod ex seipsa mouetur: vno cedit angelo, quòd mutatur: Angelus animam vno, quod manet: deo cedit vno, quod multiplex est. Deus tamen per hoc vnum abit super omnia in infinitum. Quod ita cecinit Zoroaster:

ἑαυτὸν ὁ πατὴρ ἥρπασεν

D οὐ μὴν ἐξ ἀνυάμεως νοερᾶς, κλεῖσας ἥλιον πῦρ,

id est, Pater per seipsum rapuit: neque in mẽte quidem quę illum sequitur, proprium incluſit ignem. Quasi dicat, nullã habet cum cæteris comparationem. Corpus ab alio mouetur solum: nihil enim natura sua facit. Qualitas mouet aliud, & mouetur ab alio. Anima mouet quidem aliud: sed à seipsa mouetur. Angelus mouet alia, id est, agit in alia: ipse quidem stabilis, sed non stabilis per seipsum. Nam per diuinam stat vnitatẽ. Quid enim aliud stare est (vt diximus) q̃ in naturæ suæ vnitate perseuerare? Mouet quoque per deũ.

E Virtute enim primi actus agunt agentia omnia quicquid agunt: deus per se mouet agitque omnia, ipse quidem stabilis per seipsum. Sane quia omnia quæ per aliud talia sunt, reducuntur ad primum aliquid quod est tale per semetipsum: idcirco quæcunque stabilia sunt, & mouẽtia per aliud, retulimus ad deum per se stabilem, & per se mouentem. Et quæcunque mobilia sunt ab alio, puta corpora & qualitates retulimus ad animam mobilem per seipsam: per se inquam mobilem: quia si à deo descendas per angelum, tã deus quã angelus stare tibi videbitur: & primum quod mobile tibi

F occurret, est anima. Quicquid autem primò tale est in aliquo genere, per se est tale: puta quod primò est lucidum aut calidum, per se lucet & calet. Sic anima quoniam est primũ mobile inter omnia quæ sunt mobilia, est vtique per se mobilis. Cuius rei signum est, quia corpora quæ carent anima: impulsu solum agitantur externo: quę animam habent, sua sponte mouentur, & in quamlibet loci partem. Et quoniam anima id præstat corporibus, vt per se quodammodo in partem quamlibet moueantur, sequitur vt ipsa sit vere & primo mobilis per seipsam, primumque mobile, postquã per eius præsentiã apparet in corpore imago aliqua per se mobilis facultatis, fitque ibi motus in omnem partem: quod significat animam esse fontẽ motus, vnde libera & vniuersalis effluit agitatio. Per hæc solutum arbitror Pythagori-

G cum illud ænigma à Xenocrate vsurpatum: scilicet animã esse numerum se mouentem: numerum, id est, naturã multiplicem: se mouentem, id est sua proprietate mutabilẽ. Talem vero naturam esse alicubi oportere, multa nobis (vt si-

gnificauimus iã) declarant. Primum, quòd omne quod per aliud tale est, reducitur ad aliquid quod per se sit tale. Secũdum: quia cum sint multa quæ mouentur ab alio: si omnia talia sunt, vel in infinitum vagabimur, vel circulo reuoluemur eodem, vt idem sit primus motor & vltimus: causa idẽ atque effectus: neque in rebus ordo sit vllus. Quocirca ad motorem aliquem peruenire compellimur, qui iã non moueatur ab alio. Sed motor ille qui proxime præcedit corpora quæ mouentur ab alio, non est prorsus immobilis. longius enim distant duo hæc: quod ab alio mobile: quod omnino est stabile: medium eorum est, quod ex seipso est mutabile. Tertium: quia si tanto melius res quælibet mouetur, quanto est motori propinquior: & ad optimum motũ perueniendum est: oportet alicubi esse aliquid in quo eadem sit mobilis & motoris essentia. Quartum: quia si mouendũ est aliquid, oportet vel motorem ad mobile ipsum conuerti, vel contrà: vel vtrunque vicissim. Ponantur igitur in natura angeli deúsque solũ & corpora. Illi ad hæc non accedent, quia sunt immutabiles: neque hæc ad illos, quia suapte natura torpent. Ergo nec vllus erit motus in rebus. Sit ergo necesse est natura quædam sua sponte mutabilis, quæ per se accedens ad corpora, torpentia ea suscitet: & ipsa peruigil vires suas in se ipsa prius experiatur, quàm edat in corpore: vt sicut à spirituali substantia fit substantia corporalis, sic à spirituali motu corporalis motus efficiatur. Quod quidem intellexisse Platonẽ in Legibus arbitror, vbi inquit: Si nunc stent omnia, & paulò pòst moueri aliquid debeat: quid primò mouebitur? Ipsum videlicet quod per seipsum agile est ad motum, tanquam mouendi virtuti propinquius: cuius motum cætera quoque motui subiecta sequentur. Id vocat in Phędro fontem & principium motionis. Fontẽ, quia ex se eam habet: principium, quia effundit in alia. Sed hic oritur dubitatio. Si deus & angelus mouent aliquid, atque anima illis subiicitur: ab illis vtique agitatur: quomodo igitur à se mouetur? Respondeamus in hunc modum. Cum inspiceret pratum Apelles, conatus est ipsum coloribus in tabula pingere. Pratum quidem totum subitò se monstrauit, & subitò appetitũ Apellis accendit. Demonstratio huiusmodi & accensio, actus quidem dici potest, quoniam agit aliquid: mo-

H

tus verò nequaquam, quia non peragitur paulatim. Motus enim est actus per tẽporis momenta discurrens. Actus vero
A considerandi atque pingendi qui in Apelle fit, motus ideo dicitur, quoniam transigitur paulatim: modo enim vnũ florem inspicit, modo alium: pingitque similiter. Pratum profectò facit vt anima Apelhs videat ipsum, & appetat pingere: sed vt subitò. Quòd autem per diuersa tẽporis momenta nunc herba vna, nunc alia videatur, & similiter exprimatur: non ipsum efficit pratum, sed Apellis anima: cuius ea natura est, vt non simul inspiciat varia, referatque, sed paulatim. Ergo motionis huius quæ in videndo est atque pingendo, initium & finis est pratum. Inde enim pictoris cœpit cõsideratio eodem tendit & appetitio. Sed fons per quem talis actus paulatim fit & tempore, motúsque dicitur, est pictoris ipsius anima. Similiter apud Platonicos anima rationalis
B perpetuo quodam lumine deum quodammodo & angelũ cogitat siue auguratur: seque ipsam appetit ad eorum similitudinem pingere, tum speculatione, tum moribus atque actione, sese paulatim formando, se mouet. Motio hęc ex animæ ipsius natura effluit propriè, tanquam fonte proprio motionis, operationis, scilicet temporalis: incitatur autem à supernis tanquam ab extrinseco initio atque fine. Infusio
C quæ à supernis manat in animam, vna stabilis subita fit & ęterna: & quantũ in se est, similia quoq; in anima operatur, id est, subita, & stabilia, & ęterna. Quòd autẽ operationes animę & opera paulatim tẽpore fiant atq; mutentur, ex ꝓpria animæ natura supnis imbecilliore ꝓcedit. Sed rẽ totã hoc accipe exemplo. Sol ex seipso lumen habet: infundit ipsum momento in Mercuriũ: Mercurius quoque momento totum suum accipit lumen: manetque semper, deinde pleniſſimus. Sol idẽ lumen momento infundit in lunam: Luna non suscipit ipsum momento, sed tempore. Nam prout aliàs aliter in solem vertitur: ita aliàs aliter accipit lumen: & per naturam suam vicissitudine luminis variatur. Sol deũ, Mercurius angelum, Luna significat animam. Quod autem de Mercurio dico, de omnibus similiter super lunam stellis dictum intellige. Sicut enim illæ ad solem, sic ad deũ angeli referuntur. Anima vero sola sicut luna ad solem, ita se habet ad deũ. Quapropter nihil obstat quin anima à diuinis de-

scendat,capiatque diuina: & tamen per naturam propriam moueatur,semperque moueri possit & viuere.

Anima est medius rerum gradus, atque omnes gradus tam superiores quàm inferiores connectit in vnum, dum ipsa & ad superos ascendit, & descendit ad inferos.
Cap. 2.

CAEterum vt ad id quandoque veniamus, quod cupimus:in quinque gradus iterũ omnia colligamus: deũ & angelum in arce naturæ ponentes:corpus & quantitatem in infimo:animam vero inter illa summa & hęc infima mediam: quam meritò essentiàm tertiam ac mediam more Platonico nominamus:quoniam & ad omnia media est,& vndique tertia.Si à deo descenderis, tertio descensus gradu hanc reperis.Tertio quoque ascensus gradu, si supra corpus ascenderis, huiusmodi essentiam in natura summopere necessariam arbitramur. Quoniam angelus quidẽ, vt Platonici dicunt,vere est,id est stat semper,qualitas fit,id est mouetur aliquando:ideo qualitas omnino differt ab angelo:tum quia hæc mouetur, ille manet: tum quia hæc fit aliquando, ille est semper:ergo opus est medio, quod partim cum angelo,partim cum qualitate conueniat. Quid illud? nunquid quod est,id est,intrinsecus manet aliquando? Nõ. Tale enim aliquid non reperitur.nã quod per tempus aliquod intrinsecus,id est,vel ex sevel ex statu proximè manet, manet & semp. Itaque mediũ erit illud quod semper fit,id est mouetur.Quod qa semp est,cũ angelo cõgruit: qa mouetur,cũ qualitate. Vnde sequtur esse oportere essentiã tertiã horũ mediã,q̃ semp moueatur& viuat,suoq; motu vitã diffũdat in corpora.Rectè dicitur à Platonicis,sup id quod est in parte tẽporis,esse quod est p omne tẽpus.sup illud rursus esse quod est per æuum.denique super illud æuum existere. Sed inter illa quæ sunt æterna solum, atque illa quę solum sunt temporalia, esse animam quasi quoddam vinculum vtrorunque. Cui quidem hac in re similes quodãmodo sunt partes corporis mundani præcipuę. Sunt & qui cælum empyreum tanquam prorsus mobile in æternitate ponant:cæteras vero sphæras in æternitate simul &tempore:cõpositа

denique in tempore tantum. Similiter quoque puros intellectus in gradu primo, sed intellectus animales in secundo: tandem animas corporales in tertio. Verum vt ad propositum reuertamur: omne opus quod constat ex pluribus, tunc est perfectissimũ, quando ita ex suis mẽbris conglutinatur, vt vnum fiat vndique: sibi constet & consonet: neque facilè dissipetur. Quod liquido in quatuor elementorum temperamento corporalis natura demonstrat, vbi terra & ignis lõge distantes, per aërem copulantur & aquam. Multo magis in vniuerso dei opere connexio partiũ est ponenda: vt vnius dei vnum quoque sit opus. Deus & corpus extrema sunt in natura: & inuicem diuersissima. Angelus hæc non ligat. Nẽpe in deum totus erigitur: corpora negligit. Iure perfectissima & proxima creatura dei, sit tota diuina, transitque in deũ.

I Qualitas etiam non connectit extrema: nã declinat ad corpus, superiora relinquit: relictis incorporeis, fit corporalis. Hucusque extrema sunt omnia: seque inuicẽ superna & inferna fugiunt, cõpetenti carentia vinculo. Verùm essentiali illa tertia interiecta, talis existit, vt superiora teneat, inferiora non deserat: atque ita in ea supera cũ inferis colligantur. Est enim immobilis: est & mobilis. Illinc cũ superioribus, hinc cũ inferioribus conuenit. Si cũ vtrisque conuenit: appetit vtraque. Quapropter naturali quodã instinctu ascendit ad supera: descendit ad infera. Et dum ascendit: inferiora non deserit: & dum descendit, sublimia non relinquit. Nam si alterutrum deserat, ad extremum alterũ declinabit: neque vera erit vlterius mundi copula. Profecto idem facit, quod aër inter ignem & aquam medius: qui cum igne in calore, cum aqua conuenit in humore. Illic cũ igne calet semper: hîc cum aqua humet. Illic tenuatur, & clarescit vt ignis: hîc vicissim hebescit vt aqua. Immo vero idem facit quod solis lumen. Id enim à sole descendit in ignem, & ignem implet: neque deserit solem. Semper soli hæret: semper implet & ignem. Perficit quidem aërem: & infecto aëre non inficitur. Similiter oportet essentiam tertiam & diuinis simul hærere, & implere mortalia. Dum diuinis hæret: quia spiritaliter illis vnitur, & spiritalis vnio gignit cognitionẽ: illa cognoscit. Dum implet corpora, intrinsecus illa mouens: illa viuificat. est igitur diuinorum speculum, vita mortalium, vtro-

rumque connexio. Sed quomodo corporibus iungitur? Nũ forte cum corpus aliquod ingreditur, vnũ quoddam illius corporis tangit punctũ, atque ita dicitur vnita corporibus? Nequaquam. Vniretur enim puncto, non corpori neque totum corpus illud viuificaret, sed punctum viueret vnũ, toto corpore vita carente. Immo verò si in vnũ semper collecta punctum, ita sibiipsi vnita perseueraret: idem esset quod angelus, qui longè distat à corpore. Vel saltẽ diuinis eo modo hæreret quidẽ, corpora verò relinqueret. Igitur non vni duntaxat corporis puncto coniungitur, sed pluribus: atq; ita partes corporis implet. Sed nunquid ita implet, vt albas carnes albedo? & omnino quæuis qualitas materiam propriã? Minime. Sic enim esset idem quod qualitas: atque relictis diuinis ad corpus penitus declinaret. Albedo ita in tota est carne, vt cum ea æqualiter in partes plurimas extendatur & diuidatur: & pars albedinis secundũ physicos in parte sit carnis: & in maiori carnis parte pars maior albedinis, in minore sit minor. Sic albedo facta est corporalis. Idem pateretur essentia illa quam tertiam esse putamus, si non aliter quàm qualitas ista funderetur in corpus: atque ita ad alterum naturæ extremum tracta esse desineret copula mundi. Quam obrem cũ corpus ingreditur, singulis corporis particulis tota sit præsens: neque diuiditur distrahiturve in partes vllas ad hoc vt partibus corporis à se inuicem distantibus adster. Nam per vim indiuiduam tangit corpus, non per latitudinẽ quantitatis. Igitur integra remanens atque simplex, singulis partibus tota & indiuisa fit præsens: quemadmodum tota vox significatioque quodãmodo simul in singulis domus est partibus: cũ tota penè simul audiatur & intelligatur in singulis. Neque impossibile est hanc essentiam, cũ sit indiuiduum quiddam in seipso existens, amplæ corporis molisc totam esse præsentem: immo verò ex eo quòd & indiuidua est, & non clauditur loco, potest tota totum quicquid in loco est penetrare & comprendere. Extensio enim quantitatis vbicunque reperitur, talem vim & præsentiam prohibet: ita vt res extensa per quantitatẽ, nequeat tota esse simul in pluribus. Quinetiã res illa quæ licet indiuidua sit, est tamen alicubi affixa corporis quantitati (sicut punctum quod tanquam lineæ terminus signatur in linea) nequit tota esse

simul per partes quaslibet corporis. Sic punctum quod est alicubi in linea aliqua circuli designatū, neque in omnibus lineis aliis inest, neque per totam diffunditur lineam aut circulum. Punctum vero quod circuli centrū est, nullius lineæ proprium: in omnibus quodammodo lineis reperitur quæ inde ad circunferentiam deducuntur. Et cum nullum punctum quod in circunferentia designatur, totum circulum ęquè respiciat: centrum tamen quod in nulla circunferentia
C propriè figitur, vniuersum circulum ęquè circunspicit. Non potest igitur esse tota simul in pluribus res illa quæ diuidua est: neque etiam res illa quę licet sit indiuidua, certū tamen in re alia diuidua habet situm. Tertia verò illa essentia neque extensa est, quia esset qualitas: neque in extensione sita alicubi: quia non per se ac liberè moueretur, si non subsisteret per seipsam. Quapropter est instar puncti alicuius in seipso viuentis, & ab omni quantitate & situ penitus absoluti. Ideo ambit æquè omnem corporis situ: & quando corpus ingreditur, quia ipsa non est propriū quantitatis alicuius punctum, non adstringitur ad punctum aliquod corporeæ quantitatis. Quippe cum sit extra quantitatis genus, nō determinatur ad tangendum punctū aliquod quantitatis: sed est vt centrum in lineis omnibus, & circulo toto. Hinc etiam illud sequitur, vt hæc essentia & diuidua sit simul, & indiuidua. Diuidua, quia per diuisionem corporis vitalē sui vmbram diffundit, dum diuersis partibus corporis se communicat. Indiuidua, quia integra simul adstat & simplex. Diuidua inquā: quia vmbra eius in toto corpore est diuiduo. Indiuidua, quia ipsa per modum indiuiduū est in qualibet corporis parte tota. Indiuidua rursus, quoniam stabilem habet vnitamque substantiam. Diuidua: quoniā per operatio-
D nem in plura diuiditur, dum per motū operatur & tempus. Indiuidua tertiò, quia suspicit superiora, quæ admodū sunt vnita. Diuidua, quia ad inferiora declinat, quę plurimum diuiduntur. Talis quędā natura in ordine mundi videtur summopere necessaria: vt post deum angelúmque, qui neque secundum tempus neque secundū dimensionē diuidui sunt, ac supra corpus & qualitates quæ tempore dimensioneque dissipantur, fit medium competens: quod tēporali quidem discursione quodammodo diuidatur, non tamen fit dimen-

sione diuisum. Neque rursus in sua quidam natura collectũ maneat semper vt illi: neque in partes discerpatur vt ista, sed indiuiduum sit pariter & diuiduũ. Hec illa ipsa essentia est E
quam Timæus, Locrus & Plato in lib. de mundo constare dixerunt ex indiuidua diuiduaque natura. Hæc illa est quæ seipsam inserit mortalibus, neque fit ipsa mortalis. Sicut enim seipsam inserit integram, non discerptam: ita & integrã retrahit, non dispersam. Et quia dum corpora regit, hæret quoque diuinis: corporum domina est, non comes. Hoc maximum est in natura miraculum. Reliqua enim sub deo vnũ quiddã in se singula sunt: hæc omnia simul. Imagines in se possidet diuinorum, à quibus ipsa dependet. Inferiorũ rationes & exemplaria: quæ quodammodo & ipsa producit. Et cum media omnium sit, vires possidet omnium. Quod si ita est: transit in omnia. Et quia ipsa vera est vniuersorũ connexio: dũ in alia migrat, non deserit alia: sed migrat in singula: ac semper cuncta conseruat: vt merito dici possit centrum naturæ, vniuersorum mediũ, mundi series, vultus omnium, nodúsque & copula mundi.

Qualis sit tertiæ huius essentiæ natura: satis (vt arbitror) diximus. Quod autem hæc ipsa sit propria rationalis animę F
sedes, facillimè inde conspicitur, quod huiusmodi est rationalis animæ definitio: Vita & intelligens discurrẽdo, & corpus viuificans tempore. Hæc eadem est essentiæ illius conditio. Nam viuit, intelligit, corpori præstat vitam. Quòd viuat, apparet, quoniã ea in terris viuere dicimus, quę sua quadam interiori virtute per omnem partẽ mouentur, sursum, deorsum, antè, retrò, ad dexteram, & sinistrã. Ita plantæ mouentur & animalia. Vbi igitur est motus intimus & communis, ibi vita. Vita inquam ibi est vis ipsa interna mouendi. Vis huiusmodi ibi est præcipuè, vbi totius agitationis fons est & origo primúsque motus. Maxime enim est motus intimus atque communis, vbi est primus. Primus autem motus in tertia illa essentia ponitur. Ibi igitur vita est: vita inquam talis vt eius participatione corpora viuant & moueantur. Nam est vita corporibus per naturam quàm proxima. Illa igitur essentia tertia est vita viuificãs corpora. Est etiã intelligens. Quippe si motus alicubi perfectus est: per- G
fectissimus certè est, vbi primus. Nulla enim perfectio in

posteriores motus nisi à primo descendit. Igitur motus est in tertia essentia motionum omnium perfectissimus. Is est autem qui à fonte suo discedit quàm minimũ: qui suo fundamento maximè iungitur: qui vnus & æqualis est summopere: qui seipso sufficiens est: qui figuram perfectissimam imitatur. Talis autem est circuitus, vt cuique constat: qui etiã solus omnium motionum est sempiternus. Alij quippe motus aliquem attingunt terminum, vltra quẽ non liceat progredi: cum nullum sit vsquam spatium infinitum. Circuitus autem vt semel eadem repetit, ita bis ac ter & quater: simili repetit ratione: idemque in eo finis est atque principium: ideo cum finiri videtur, tunc incipit. Circuitus igitur sempiternus est essentiæ tertiæ proprius: ita vt per motum in seipsam circulo reflectatur. Meritò autẽ si mouetur ex se, mouetur & in seipsã: vt finis aliquis motionis fiat, vbi aliquod est principium. Siquidem ipsa motionis causa quodãmodo sui ipsius gratia edit motum. Igitur essentia illa à seipsa incipiens, perpetuò in seipsam reuoluitur, vires suas à summis per medias ad infimas explicando, ac rursus infimas per medias ad summas similiter replicãdo. Si ita est: seipsam, & quę possidet intus, animaduertit. Si animaduertit, certè cognoscit. Cognoscit autem intelligendo, dum essentiam suam spiritalem & à materiæ limitibus absoluta agnoscit. Talium nanque cognitio dicitur intellectio. In nobis profectò videmus cognitionem nihil esse aliud quàm spiritalẽ vnionem ad formam aliquam spiritalem. Visus per suum spiritum spiritali colorum imagini iunctus videt. Iunctus verò materiæ, nihil cernit: quod patet siquis super aciem oculorum solidum aliquod corpus posuerit. Mens quoque nostra spiritali virtute in corporalibus rerum speciebus rationibúsque vnita res ipsas intelligit. Similiter cũ essentia tertia (quę quidem spiritalis est) sibiipsi coniungitur: spiritali modo seipsam animaduertendo cognoscit atque intelligit. Intelligit etiam diuina: quibus spiritali modo hæret quàm proximé. Intelligit & corporalia: ad quæ declinat etiam per naturam. Cognoscit inquam temporaliter discurrendo, cum per operationem fit mobilis. Ex omnibus his colligitur talis quædam essentiæ tertię definitio: scilicet vita quæ corpora per naturam viuificat. Cognoscit quoque seipsam & diui-

na & naturalia per discursum. Quicunque verò non viderit eandem esse animæ quoque rationalis diffinitionem: is anima caret rationali. Quapropter anima rationalis in essentia tertia habet sedem: Obtinet naturę mediam regionem: & omnia connectit in vnum.

THEOLOGIÆ PLATONICÆ De immortalitate animorum eodem Ficino authore,

LIBER QVARTVS.

Tres sunt animarum rationalium gradus: in primo est anima mundi: in secundo animæ sphærarum: in tertio animæ animalium quæ in sphæris singulis continentur.
Cap. 1.



B Rincipio quinque gradus accepimus ascendendo, deinde eos descendendo inuicem comparauimus: tertiò in eorum medio rationalẽ animam collocauim⁹. Deinceps animæ huius grad⁹ sicuti solent Mercuriales theologi perscrutabimur. Generatio, principiũ est nutritionis & augmenti. Nusquam enim aut nutrit aut augeri absque partium quarundã generatione quicquã potest. Exploratum autẽ habemus, vbi generationẽ nutritio & augmentum sequitur, ibi vitã animãque inesse. Terrã verò videmus seminibus propriis generare innumerabiles arbores animã tesque. & nutrire & augere. Augere etiã lapides, quasi dentes suos: & herbas quasi pilos, quandiu radicibus hærent: quæ si euellantur & extirpentur è terra, nõ crescunt. Quis fœminæ huius ventrẽ vita carere dixerit, qui tã multos spõte sua parit fœtus & alit? qui sustinet seipsum? cuius dorsum, dẽtes ꝑmit & pilos? Eadẽ est de aquę corpore ratio. Habent igitur animam aqua & terra. Nisi forte quis dixerit, viuentia illa, quæ nos, cum seminibus propriis carere videantur, ab anima terræ fieri dicimus aut aquę: non ex tali anima nasci, sed ex influxibus cælestium animorum.

D At verò Platonici negabunt influxus illos, cum sint accidentia quædam à suis vitalibus substantiis longe seiuncta, posse vitalem hic substantiam generare, quia nequeat accidens generare substantiam, nisi tanquam instrumentum substantiæ subiiciatur: substantiæ inquam proximæ. Nam instrumentum seorsum ab artifice non mouetur ad artis formã. Sic influxus ille vitæ cælestis ab ipsa vita remotus vitalem formam non generabit. Meritò cælestis instinctus, quia cõmunis est cuilibet elemento, in quolibet determinatur ad vitam aliquam in ipso elemento gignendam à cõmuni totius elementi vita: eique subditur vt instrumentum. Sed neque etiam vllo pacto generabit ipse. Cum enim nihil vltra proprium agat gradum nullo modo potest accidens generare substantiam: sed materiam dumtaxat accidentali quadam præparatione disponere. Oportet autẽ elementis hanc vitam inesse intus fabricatricem, ea ratio persuadet, quòd & ad substantiam generandam substantia est opus agente: & ad perfectam actionem opus est perfecta agentis ipsius præsentia. Quando verò substantia corporalis corporali substãtiæ admouetur ad aliquam actionem: quod in agente ipso substantiale est, remanet extra: quod penetrat intrò, est prorsus accidentale. Opus est autẽ substantia penetrante, vt substantia fiat inde, fiatque perfecte. Substantia talis incorporea est, & viuens. Præterea causæ naturales quia per naturam suam agunt, ideo ad certum effectum non aliter quàm certa naturæ suæ ratione feruntur. Alioqui non magis ad hunc effectum vergerent, quàm ad illum. Quo fit, vt quatenus operi faciundo quadrant, eatenus operentur: atque contra. Quapropter herbæ animantésque quæ sola putrefactione nasci videntur in terra, non minus à propriis causis oriri debent, quàm quæ propagatione nascuntur. Sed vbinam sunt hæ propriæ causæ? Proculdubio in terrena vita sunt terrenarum vitarum causæ propriæ. Nã & si eas cælestibus animis attribueris, oportebit tamen cælestes communésque instinctus ad terrenas particularésque animas per vniuersalẽ terræ animam contrahi, vt à cælesti communique ad oppositũ, id est, terrenum particulareque, per medium competens, id est, terrenum communeque, progrediaris. Rursus si causas illas quæ propriæ dictæ sunt, in multorum agentium con-

cursu posueris: cogeris denique vnam quandam proprij ordinis determinatam causam assignare, quę causas varias, & hinc atque illinc confluentes, ad effectum propriū ordinet atque determinet. Erunt igitur illæ causæ in anima terræ, quæ per naturalem ideam rationemque vitis, vitę per muscarum rationem, muscas efficiet. Faciet inquā talia in materia sic prius aut sic ab anima ipsa dispositā: dū ad eam disponendam sic aut sic contrahit mundanos instinctus. Proinde si ars humana nihil est aliud quàm naturæ imitatio quę- G
dam, atque hæc ars per certas operum rationes fabricat opera: similiter efficit ipsa natura: & tanto viuaciore sapientioreque arte, quanto efficit efficaciùs & efficit pulchriora. Ac si ars vinas rationes habet, quæ opera facit non viuentia, neque principales formas inducit, neque integras: quanto magis putandū est viuas naturæ rationes inesse, quæ viuentia generat, formasq; principales producit & integras. Quid est ars humana? Natura quædam materiam tractans extrinsecus. Quid natura? Ars intrinsecus materiam temperans: ac si faber lignarius esset in ligno. Quòd si ars humana quanuis sit extra materiam, tamen vsque adeò congruit & propinquat operi faciundo, vt certa opera certis consummet ideis, quantò magis ars id naturalis implebit, quæ non ita H
materiæ superficiem per manus aliáve instrumenta exterio ra tangit, vt geometrę anima puluerem quando figuras describit in terra, sed perinde vt geometrica mens materiam intrinsecus phantasticā fabricat: Sicut enim geometræ mēs dum figurarum rationes secum ipsa volutat, formatimaginibus figurarum intrinsecus phantasiam, perque hanc spiritum quoque phantasticum absque labore aliquo vel consilio: ita in naturali arte diuina quędam sapientia per rationes intellectuales vim ipsam viuificā & motricem ipsi coniunctam, naturalibus seminibus imbuit, perque hanc materiam quoque facillime format intrinsecus. Quid artificiū? I
mens artificis in materia separata. Quid naturæ opus? naturæ mens in coniuncta materia. Tanto igitur huius operis ordo similior est ordini qui in arte est naturali, quàm ordo artificij hominis arti: quanto & materia propinquior est naturæ quàm homini, & natura magis quàm homo materiæ dominatur. Ergo dubitabis certorum operum certas in na-

tura ponere rationes? Immo vero sicut ars humana quia superficiem tangit materiæ, & per contingentes fabricat rationes, formas similiter solum efficit contingentes: sic naturalem artem, quia formas gignit siue eruit substantiales ex materiæ fundo, constat funditus operari per rationes essentiales atque perpetuas. Plurimæ animantes tum in terra tũ in aqua sola putrefactione nascuntur absq; vllo semine corporali. Quamplurimæ ex seminibus procul iactis ab animali, diu postea, partim fomento quodam extraneo accedente, partim sine manifesto fomento pullulant. Herbæ omnes arboresque quanquam vel serendo vel plantando plerũque propagantur, tamen quotidie multis in locis absque semine vel germine corporali sponte nascuntur: vt omittam quod multi philosophi post aquarum miranda diluuia etiam animalia perfectiora ex terra existimant procreari. Oportet tamen certa quędam ex certis quibusdam seminibus exoriri: & quę ex potentia in actum transeunt, per causam quandã in actum perduci talem, quę ipsa iam in se talem vel æqualẽ, vel præstantiorem habeat actum. Neque sufficere putandũ est si vniuersalis remotaque causa tantũ sit præstantior, alioquin imperfectissimæ quæq; apud nos causæ possent in virA tute cælestium perfectissima quæque ꝓducere. Hæc omnia significant adesse vbique per terram & aquã in natura quadam artificiosa vitalique spiritalia & viuifica semina omnium quę ipsa per se gignant vbicunq; semina corporalia desunt: semina rursus derelicta ab animalibus foueant: atque ex putrido vinaceo semine (cuius & vna & vilis natura est) variam, ordinatam, pretiosamque generent vitem: viribus videlicet suis variis rationibus preciosis. Eadem natura vitalis substantiales elementorũ formas è fundo materiæ ipsius educit: quò non penetrant substantiæ corporales. Elementales insuper qualitates, quæ per se vrerent solũ, frigefacereutque, & similia, ad colorum figurarumque speciosissimamB ducit varietatem, vitæque vigorẽ. Præterea quando ex frigidorum corporum collisione fit ignis, vbi non præerat ignis nisi potẽtia quadã, & illa quidem remota ab actu, ipsa per rationẽ ignis efficacissimã generat ignẽ. Et vbicũq; solæ apparẽt qualitates accidentales ad generationẽ cõferre nonnihil: q̃ tamen ꝑ se absque substantia quadã effectui cõ-

grua nequaquã ſufficiunt: ipſa vicem genitricis ſubſtantię gerit. Quinetiam corpora mixta, quę propter terrenam vel aquaticam craſſitudinẽ ſecundum ſe pigra ſunt & vilia, admirabiles aliquas actiones extollit: immo etiam ad animos hominum & faſcinandos & roborandos: quod abſque virtute animi, & quidẽ potentioris, effici nequit. Virtute enim naturæ viuacis, & ſapientis, quę his ipſis eſt infuſa corporibus, herba hierobotanon: vt magi inquiunt, confert diuinationibus medicorum. Achates fouet viſum, obtundit venenum: præſtat vires atque facundiã: præſens adamas magneti quod rapit, aufert. Corneola ſanguinis ſiſtit fluxum: & mitigat iras. Onyx accendit iras, terret in ſomniis. Corallus denique (vt teſtantur Metrodorus & Zoroaſter:) inſanos terrores amouet: fulgura repellit & grandinem. Animis certè noſtris tempeſtatibuſque natura illa præſtat, cuius virtute talia fiunt: quam eſſe oportet infuſam corpuſculis infimis: vt infima ſecum præter ipſorum naturas ad ſupernorum eleuet actiones. Eſſe vitã huiuſmodi mundo infuſam, Strato & Chryſippus confitebuntur: ſed ipſam eſſe ſummũ deũ aſſeuerabũt: Platonici id negabunt: qa ſup eã vitã q̃ alicuius eſt, & in aliquo, eſſe decet eã vitã, q̃ ſuiipſius eſt & in ſeipſa cõſiſtit. Vita vero mũdanę alicuius ſphæræ nõ minus familiaris eſt ſphęrę ſuæ q̃ humano corpori animus ſit human⁹. Quapropter vita ſphęrę, ſiue alicuius: ſiue totius, neque prima eſt vita, neq; deus. Deus enim ſummus ſũma eſt vnitas. A ſumma vnitate ſecundũ Platonicos multitudo forſan aliqua ſtatim ꝓficiſci poteſt: non tamen tãta diuerſitas diſcordiaq; ſeſe inuicẽ corrũpentiũ qualitatũ. Rurſus ſummę bonitati pulchritudiniq́ue nihil mali & deformis eſt ꝓximũ: mala vero multa deformiaq́ue contingunt circa materiam. Præterea ſi deus eſt ipſum eſſe, non poteſt eſſe forma materiæ: talis enim forma non eſt eſſe ipſum, ſed eſſendi principium. Et quia deus eſt eſſe, vt ita dixerim, adeò abſolutum, vt non ſit in eſſentia aliqua: multo minus eſt in materia. Item cum deus ſit prima efficiens cauſa, agit ſua omnia primò: forma vero materiæ non agit primo omnia. Compoſitum enim primò agit potius quàm pars compoſiti. Rurſus compoſiti partes in potentia quadam ſunt ad ipſum totius actum. In deo autem nulla eſt ad vlteriorẽ actum potentia.

Non ergo ex ipso & materia fit animal vnum: vt stulte putãt Almariani. Animal quippe rationale ex seipso mouetur: vnde moueri potest & non moueri, atque tũ velocius moueri, tũ tardius. Quod autem tale est, non perseuerat in motione ppetua & æquali, nisi lege alicui⁹ superioris, quod nullo modo mutetur. Deus igitur non est globi alicuius anima: ne ex ipso & globo animal vnum conficiatur, cogatúrque habere supra se ducem. Sed nunquid sphæræ vitam esse angelum concedemus, naturaléque formas ab ideis mentis angelicæ proficisci? nequaquam. Corpus enim sicut per talem aut talem essentiam ad vitam talẽ aut talem, ita per talem vitam ad mentem talem necessariò præparatur. Ideo Plato in Timæo deum inquit mentem animæ, animã corpori coniunxisse. Quasi nõ possit clara mens opaco corpori aliter quàm per animam perspicuam copulari: sicut & lucidum corpus denso per diaphanum, id est, perspicuum iungitur: vt quod & lucem per se habet, & aliis exhibet, ei quod luce caret, & impedit lucem, per naturam mediam coniungatur: quę licet per se careat luce, non tamen impediat lucis ingressum. Ac si mentis nostrę operatio per quandam à materia separationẽ perficitur: operatio mentis angelicæ, quæ in genere intellectuali perfecta est, longe semota est à materia. Cum verò angelus ipse nihil aliud sit quàm mens: & qua ratione mens est operando, materiam fugiat: quonam pacto angeli substantia materiæ proximè inhærebit? Decet, vt quemadmodum particulares hominum mentes particularia ipsarũ corpora per animas proprias, id est, per animales vires attingunt & mouent: ita communes sphærarũ mẽtes communia corpora per animas complectantur & ducant. Sic enim & sphæræ illę vitam insitam possidebunt: & mentes diuinæ è sublimi statu nequaquã deiicientur: & super vitas sphærarum: quæ intellectuales sunt simul & animales, erunt angelicæ vitæ, quę solum intellectuales existunt. Super has autem erit deus vita vitarum. Adde, quod si mens angelica indiuisibilis immutabilisque est, & super locum tempúsque omnino, nulla ratione quadrabit corpori diuisibili, mutabili, loco temporíque subiecto: aut formas in eo tales efficiet, nisi anima interceſſerit: quæ quia indiuisibilis est, superque locum, formatur ab angelo siue ducitur: quia verò

Deus non est alicuius globi G anima. Sed nec Angelus

verò mutabilis est, & aliquid habet temporis, congruit cum materia, & formas acceptas desup deducit in seipsa ad mutabilem temporalemque naturam, per quam facillime transeunt in corpus quoque mutabile: atque in ipso diuisibiles iam euadunt. Placet ergo Platonicis, deum per seipsum formare angelos, per angelos animas, per has postremò materiam: formásque à summa vita & actu gradatim degenerare vsque adeò, vt in materia iam neque revera viuæ, neque efficaces appareant. Nempe à deo in angelum, ex vna essentia transeunt in multiplices qualitates: Ab hoc in animã ex statu in motum aliquem efficacem. Ab hac in corpus ex vitali actiuoque motu in mutationem mortalis naturæ passiuam. Quamobrem si aquę terręque vita insita est, neque tamen hæc est deus: ne immensus actus vilissimæ potentię sit addictus, neque angelus: ne clarissima mẽs obscurissimæ naturæ sit proxima. consequens est ergo vt aqua & terra animas habeant quarum artificio hæ sphæræ rebus preciosissimis exornentur: quemadmodum & animulæ quæque animalium aquaticorum & terrenorum, videlicet duce sphærę suæ anima, corpuscula sua per insita semina gratissime pingunt atque figurant. Globo terreno vna anima sufficit: quoniam ipse vnus est omnino, partibus in molem vnam continuatis. Vna quoque anima orbi sufficit aquæ. Necesse est tamen geminas esse horum duorum animas, specie inuicẽ differentes: quod ostendunt ipsorum corporum naturæ diuersæ specie, qualitatibus, & effectibus. Si globi tales propter crassitudinem à spiritus puritate remoti, atque angusti, propriis animabus viuunt: viuunt & multo magis globi omnes superiores, qui & puriores sunt, & ampliores admodum: quorum fomento terra & aqua parturiunt. Animam suam habeat aër, suam ignis, eadem ratione qua terra suã, & aqua. Similiter octo cælorum globi animas octo: tot enim apud veteres erant cæli. In terra multa sunt animalia quæ propriam habent animam à communi anima terræ distinctam: quia mouentur loco, quod terra non facit: quia separata cum sint à terra, viuunt quod lapides & plantę non faciunt, quę per animam viuunt terræ, non suam: quia se à terra vel volatu vel ædificiis & machinis tollunt in altũ. In aqua rursus plurima sunt animalia viuentia propriis anima-

bus. Si ergo à deo fœcunda & ornata facta est aqua & terra: cur non aër & ignis præter communes animas, suas etiã animas multas contineant, & animalia propria? Idẽ de cęlorũ sphæris argumentare, vbi stellæ cum sint inter se quantitate, luce, virtute, motúque diuersæ, & singulę proprios circuitus peragant: specie quoq; diuersas animas habẽt. Quæquidem stellæ ita cælos ornant, vt aquã aquatica, & terrena animalia terram. Animalia illa cæleſtia ob maximam lucis copiam clarè perſpicimus: terrena quoque & aquatica: quia & propinqua ſunt nobis, & ſua craſſitudine oculis ſeſe monſtrant. Aërea verò & ignea non videmus: quia neque etiam
B ignis & aëris cernimus elemẽta: cum neque lucis ingentiſſimæ beneficio, neque molis craſſitudine appareant oculis terrenorum. Animam ipſam terræ rationalem eſſe, neceſſarium eſt: quandoquidem animalia quędã terrę ratione non carent: præſertim cum opera terrę pulchriora ſint quàm hominũ opera. Si anima huius infimi globi ratione capta non eſt, neque etiam ſuperior globorũ animæ ſunt rationis expertes. In terra & aqua talis eſt diſtinctio partium, quòd terrenorum corporum quædam ſunt minus pura, quędam puriſſima. Illa animas irrationales habent, iſta rationales. Idẽ
C in aqua: vbi ſunt piſces irrationales in luteis partibus aquæ. Sunt etiam dæmones aquei quos Nereides vocat Orphęus: in quibuſdam ſublimioribus exhalationibus aquæ: quales ſint in hoc aëre nubiloſo: quorũ corpora videntur quandoque acutioribus oculis, præſertim in Perſide & Africa, vt exiſtimat Zoroaſter. Adiungit Porphyrius illos dæmones videri ſolum, in quorũ corporibus præter aquæ exhalationem ignis abundat: idque in oriente contingere, atque meridie. Illos inſuper tangi, in quibus præterea multũ eſt terrę, quales fuiſſe tẽporibus ſuis apud Tuſcos inquit. Sed in globis omnibus ſuper aquam non ſunt animantes niſi cõpotes rationis: quoniã non diuiduntur globi illi in partes craſſas & tenues: & quicquid ibi eſt, aqueis exhalationibus lõge eſt purius. Sed liceat hic vna cum Pythagoricis parumper confabulari. Quoniam verò omnis multitudo maxima ad paucum eſt numerum colligenda, paucus numerus ad paucas vnitates, vnitates paucæ ad vnitatem vnam: ideo innumerabilis animarum turba in qualibet ſphæra mundi viuentiũ,

ad paucas animas in ea ipsa sphæra præstantiores, puta principes duodecim est reducenda. Sed cur ad duodecim principes maximè? quia sicut vnum mundi corpus duodecim apud priscos continet artus, hi verò articulos plurimos: sic vna mundi anima animas duodecim. hæ plurimas: sed hę ita continent plurimas, vt duodecim primò contineāt principales. Cur? Quia cum anima cuiusque sphæræ ex primo duodenario animarum numero selecta sit, & accommodata sphæræ: merito recurrit rursus in duodenarium: cuius numeri signum in sphæra prima habemus & vltima. In prima quidem per Zodiacum cernimus animalia siderea duodecim. In quolibet autem illorum stella quædā est principalis tanquam cor animalis illius in cælo picti: in quo quidē corde vitam agit anima totius sideris principalis. Illic igitur animæ diuinæ duodecim à Pythagoricis collocantur. In arietis corde Pallas. In corde tauri Venus. Geminorū Phœbus particularis. Cancri Mercurius. Leonis Iupiter particularis. Virginis Ceres. Libræ Vulcanus. Scorpionis Mars. Diana sagittarij. Capricorni Vesta. Aquarij Iuno. Piscium verò Neptunus. In vltima quoque sphæra scilicet terra duodecim vitæ sunt hominum. Quippe vitam agunt homines per rationem cerebro assignatam: per iram cordi: per concupiscentiam iecori attributam. Si quis nulla harum virium vti dicatur, ne spirabit quidem. Si quis ratione sola, non amplius erit homo: immo impossibile est animā corpori coniunctā sola incedere ratione. Sola quoque irascendi vi vti nequit: quia hæc semp vel rationi seruit, vel cupiditati. Sola etiā cupiditate nō potest: hæc enī roboratur semp vel à ratione de prauata, vel ab iracūdia. Ergo necessariū est aut p omnes illas vires incedere, aut p duas. Prima igitur humana vita erit, q̄ ratione vtitur magis, ira minus, cōcupiscētia minimé. Secunda, q̄ ratione magis, minus concupiscētia, ira q̄ minimū. Tertia, q̄ magis ira, ratione minus, libidine minimū. Quarta, q̄ ira magis, cupiditate min⁹, ratione minime. Quinta, q̄ libidine multū, ratione parum, ira paululū. Sexta, q̄ multū libidine, ira parum, paulū ratione. Ita ex communi trium viriū vsu sex vitę conficiuntur. Nascuntur sex aliæ ex vsu duarum. In prima ratio superat iram: in secunda econuerso: in tertia ratio superat concupiscentiā: in quarta cōtrà: in quin-

ta ira dominatur cõcupiſcentiæ:in ſexta ecõuerſo.Si in ſphę
ris mundi duabus extremis duodenarius numerusobſeruatur:obſeruatur in mediis.Quamobrẽ ſicut incepimus paulò antè, plurimas animas in qualibet ſphæra viuentes, ad duodecim principales in eadem viuẽtes ſphæras per ordinẽ
I reducamus.Accipiamus iterum duodecim principes in vna quauis ſphærarũ duodecim.tot enim apud priſcos ſunt ſphę
ræ mundi: referamus illas ad duodecim animas illarum ſphærarum communes.Duodecim rurſus ſphęrarũ animas ad vnam ipſius vnius materiæ animam. Quoniã verò anima eſt mentis particeps,& ſuper naturam participẽ oportet eſſe naturam per ſe plenam:ideo animarũ genus ad mentes extollitur liberas:mentéſque tandem ad vnam mentem.Et vna mens,quia & mens eſt,& vnũ, ad vnũ ſimpliciter eſt erigenda,quod non ſit vnũ hoc,vnũ illud,ceu vel vna mens, vel vna anima,ſed vnũ ipſum: quod vocat Pythagoras vniuerſalem Apollinen.vult enim ἀπολλῶνα dici, quaſi ἄπολον, quod ſignificat ſimplicem:& quaſi ἀπὸ πολλῶν quod ſignificat ſemotum à multitudine: Idem vocat τ'αγαθὸν id eſt ipſum bonum:quoniam bonitas & perfectio cuiuſque in eius vnitate conſiſtit:vt ſi in rebus idem eſt bonitas atque vnio:
K ſupra res quoque idem ſit ipſum primum vnum,primũque bonum.Quapropter primum vnum bonumque, proximè vni præeſt menti,vna mens multis mentibus. Primũ forte duodecim ducibus mentibus, duodecimque ſub illis duodenariis,plurimíſque deinceps præeſt:deniq; & animę mũdi vni. Vna anima mundi duodecim animabus ſphærarum duodecim. Animæ duodecim ſunt duodecim duodenariis animarũ. Cuiuſque ſcilicet ſphæræ anima præeſt animabus duodecim in ſphæra ſua præſtantioribus. Duodecim denique duodenarij præſunt innumerabilibus animabus.Nã in
L qualibet ſphæra duodecim illæ principes animæ alias illius ſphæræ ducunt animas.Hæc autem Muſarum corea cantat ſaltatque perpetuo,vt ait Orphæus, muſicis modulis ad Apollinis ipſius imperium,

σὺ δὲ πάντα πόλον κιθάρᾳ πολυκράτῳ ἁρμόζεις,

id eſt.Tu totum cælum canora cithara temperas. Sed ſatis hactenus cum Pytagoricis confabulati ſumus: ad inſtitutũ

iam Platonicũ ordinem redeamus. Sphæras mundi viuere, vna ratione probauimus: pergamus ad aliam. Cũ videamus ſphæras mundi moueri, & motores aliquos illarũ excogitemus: ſciamus præterea eſſe non poſſe ſphæram aliam ſuper aliam, aut motores alios ſuper alios, abſque fine: fateri cogimur eſſe aliquam ſphærã quæ moueatur primo. Si primò mouetur, principio certe mouetur intrinſeco. Nẽpe (vt ſupra tetigimus) quod primo calet, & friget: calore & frigore intrinſeco calet & friget. Semper enim quod per aliud eſt tale, ad aliquid diximus reducendũ quod ſit tale per ſemetipſum. Ac ſi minima quæq; corpuſcula mundi habent quodãmodo in ſeipſis ſuorũ motuũ operumque virtutes: quod in partibus elementorũ & herbis apparet, atque animantibus quantò magis ſphærę mundi ampliſſimæ in ſeipſis poſſident conuerſionum ſuarũ principia: principia inquã familiariſſima, quibus ſphæræ coniunctiores ſint, quã noſtris animabus corpora noſtra. Siquidẽ motus tanto naturalior efficaciórque eſt, quanto mobile eſt motori coniunctius. Motus autem cæli cæteris à violentia alienior eſt, naturalior, efficacior. Sed quęnam illa principia ſunt? num qualitates aliquæ? puta ſicut grauitate & leuitate partes elementorum moueri videntur, atque calore operari & frigore: ita mundi ſphæræ per qualitates huiuſmodi reuoluuntur? Nequaquã. Qualitas enim quia ſitu & partibus terminata eſt, atque vni cuidam eſt addicta materiæ, agit etiã terminatè, fatigatúrq; vt nequeat aut ſemper aut eodẽ modo mouere: & quęlibet qualitas vnicum opus agit, & ad vnicum mouetur terminũ. Quid calor agit niſi calorem, frigus frigiditatẽ? Leuitas ſurſum trahit ſolũ, grauitas verò deorſum. Nunquã igitur qualitas contrarium aliquẽ effectũ principalis ſui operis faciet natura ſua: nunquam ad locũ vnde diſceſſit, ſponte redibit: nunquã inde diſcedet ſpontè, quò ſe naturaliter contulit. Cęlum autẽ mouetur ſemper æqualiter, varióſque & inter ſe contrarios producit effectus: atque ad hanc diuerſitatẽ contrariis modis materiam diſponit inferiorẽ. Figurationes varias inducit: nec vllum habet certũ in ſuo circuitu terminũ: ſed quodcunque ſignaueris punctum ſuper cæli dorſum, ad illud innumerè quælibet cæli pars accedet, rurſúſque recedet facillime, non per aliquam violentiam. Quod enim eſt M A

violentum, neque diuturnum est, neque super idem & ordinatum. Adde quod cum cælū contrariis simul motibus reuoluatur: si qualitate duceretur, certe cōtrariis qualitatibus moueretur. Non tamen illic esse possunt contrariæ qualitates atque naturæ, vbi nulla est pugna, nullus interitus. Itē cū natura determinata sit, ideoque non queat indeterminatū diuersumque finem (qualis est motus) appetere, quietis gratia tantum mouet: motus autem circularis secundū se non dirigitur ad quietem: ergo neque à natura agitur: neque si quando quiescat, sistitur à natura. Præterea qualitas extensa in corpore, in seipsam reflecti nonvalet cum sit corpori alligata. Quonā igitur pacto dabit qualitas cælo reuolutionē in semetipsum, q̄ in se nō habet sui ipsius reflectendę virtutem? Item cum corpus nihil per naturam agat suam, sed per
B qualitatem: & qualitas non suo ductu vim præstet corpori, sed quatenus ipsa aliunde mouetur: si qualitas aliqua mouet cælū, ipsa interim aliunde mouetur. Quid illud est quod ipsam mouet: deus ne? Minimè natura prima causa cum infinitè excedat omnia, nulli corpori familiaris est, sed æquè omnibus est cōmunis, & ab omnibus absoluta. Si enim deus esset proprius alicuius corporis agitator, non esset amplius omniū. Ideo vt sit omniū, non est rector: proprius alicuius. Sphæræ tamen familiarissimos (vt diximus) motores requirunt. Ac etiā quia discretæ sunt inuicē, & diuersis motibus agitantur: alios atque alios motores proprios exigunt: quādoquidem esse debet inter motorē motumque proportio. Neque probanda est eorū sententia, qui motores sphęris ita
C distribuunt, vt deus primæ accommodetur, reliquis reliqui intellectus. Nam cum secundum proportionem, distributio fiat: sicut sphæræ in natura ordineque conueniunt inuicē, ita inuicem congruent deus & intellectus, nec superabit deus reliquos intellectus nisi quantum prima sphæra superat reliquas, nec erit immensus. Erit quoque compositus ex natura communi, qua cum aliis congruet: atque ex propria, per quā distinguetur. Præterea si deus ipsa bonitas est: hæc autē rem quamlibet mouet tanquam appetibile appetitū: deus cælum mouet tanquā finis. Corpus autem ad finem extrinsecum non mouetur nisi per interiorem aliquā formā finis quidem ipsius cuidam, effectricemque motionis. Ergo inest

Deus non est proprius rector & agitator alicuius corporis

cælo forma bonitatis primæ cupida, effectrixque motus: Quæ quidem auiditas neque cæca est, vt lapidum: neque irrationalis, vt bestiarum. Quomodo enim auiditas primæ veritati sapientiæque propinqua, cęca irrationalisque erit? Præsertim cum maiori ordine moueat suum corpus quàm nostra ratio nostrum. Non igitur deus mouet cælum proximè sed forma quædam cæli propria, vitæ rationisque cõpos, & diuinæ cupida bonitatis. Ac siquis dixerit tẽperatione quadam moueri cælos, sicut æneæ quondã Archimedis voluebantur sphæræ: compelletur eam ipsam temperationẽ non minus substantialem, vitalem, rationalem esse fateri, quàm sit temperatio qua terrenorum animalium mẽbra mouentur: post quã illa primæ substantiæ vita rationi propinquior est, & apparet tum natura sua tum motibus æquabilior. Sed nunquid illa est angelus? nequaquã: vita enim ipsa cælestis familiarissima est cælo: & vnà cũ suo corpore quodãmodo circũcurrit. Angelus neque familiaris motor est, neque mouetur. Nempe super motorem mobilem esse decet motorẽ aliũ qui sit immobilis. Rursus angelus est penitus stabilis. Ab eo verò quod stabile est omnino, tam repentinus tanq; varius motus nõ prouenit. Si ergo angelus stabilis est omnino, cælum verò ab alio mobile: aliquo certe medio indigent quod sit mobile per seipsum. Nam rei omnino stabili succedit proximè res per seipsam mobilis: & huic succedit res per aliud mobilis. Siquidem res mobilis per seipsam, ex eo quòd mutatur, conuenit cum re illa quæ permutatur ab alio. Ex eo autem quod seipsam regit, quia sic in sua natura se sistit, neque è sua sede dilabitur: conuenit cum re illa quę penitus permanet. Quid tandẽ est istud per se mobile, quod proximè cælum voluit? Nihil est aliud præter animã. Hæc enim est quæ & per seipsam est mobilis: & talis motionis vestigium præstat corporibus. Nã & si dicatur semotus motor aliquis mouere cælũ, non prius tamen cælo dabit motionis actum, quàm vim motricem cælo coniunctã infuderit. Vis autem huiusmodi vnà cũ cælo extensa esse non debet: alioquin à seipsa discederet: ideóque cælo facultatẽ ad seipsum redeundi perpetuo præstare non posset. Igitur erit indiuisibilis, non tamen adstricta dimensionibus: sicut punctum: quia non posset seipsam & dimensiones ab eodem in

idem liberè voluere: Est autem in toto cælo vbique tota: vt moueat efficaciſſime totũ. Eſt itaque vis illa coniuncta indiuiſibilis, libera, vbiq; ęqualis eſt rationalis anima. Illius præſentia viuit cælũ, cuius motus viuificus eſt: cũ viuificet omnia. Denique cũ in animalibus inſtrumenta illa viuant, per
G quę animę viuentia generant: quis dubitabit viuere cęlũ? Siquidẽ vitæ alicuius inſtrumentũ eſt ad viuentia generanda. Nónne motus (vt ita loquar) ſpontaneus, vbicunque eſt, vitæ interioris eſt ſignum? Talis autem maximè eſt, vbi naturalis eſt circuitus. Quid enim magis ſponte mouetur, quàm quod in ſeipſum naturaliter recurrit, & circa naturalẽ cardinem, atque intra naturalem ſuperficiẽ ſe volutat? Nulli ergo corpori vita magis intrinſeca eſt, quàm mundi ſphæris. Neque diffidendũ eſt animal vnum fieri ex ſphæris animíſque diuinis: quia cum proprium ſit materiæ quidem adſci-
H ſcere formam, formę verò complecti materiã, atque ducere: idque totum ibi fiat magis, vbi tam materia q̃ forma præſtantior eſt: quis neget ex animis illis qui noſtris præſtantiores ſunt, atque ex ſphæris, quę noſtris corporibus ſimpliciores diuturnioréſque ſunt, continent quoque noſtra trahuntque & generant, animal vnũ & indiſſolubile confici? Nónne corpora illa propter mirabilem ſimplicitatẽ tenuitatemque quaſi ſpiritalia ſunt: Ergo præſentibus ſpiritibus facilius animantur, quàm præſente igne ſulfur accenditur. Sic enim excellentiſſima materia excellentiſſimæ formæ, id eſt, intellectuali, coniungitur vſque adeo, vt nunquam diſſoluantur. Si ergo corpora mixta quanto magis diſcedunt ab intẽperantia elementalium qualitatum, acceduntque ad cæleſtiũ corporũ tẽperantiã, tanto magis vitæ cognitioniſque capacia fiũt, proculdubo cæleſtia corpora vitæ cognitioniſq; capaciſſima ſunt. Genus autẽ mentiũ ſublimius eſt quàm cęlũ, & cælo cognatius eſt quàm terræ. Ergo cũ multæ ſint mentes terrenis coniunctæ corporibus tanquam formę: neceſſarium eſt mentes & plures & prius & magis cæleſtibus corpo-
I ribus quam terrenis tanquam formas eſſe coniunctas.

Non ſolum autem cælos, verùm etiam elementa viuere Platonici arbitrantur: vt diximus. Nã cum videant omnes ſphæras mundi, & multa inſuper quæ his annectuntur cõpoſita, motu intrinſeco moueri abſque extrinſeco impellen

te:animas iudicant illis ineſſe. Ac ſiquis quærat de aſcenſu & deſcenſu elementorum atque compoſitorũ : reſpondebunt Platonici,illum quoque per animam fieri. Per animam inquam ſphæræ ſuæ:quæ ſicut magnes ferrum , ita particulas ſphæræ ſuæ reuocat ad ſeipſam. Vnde fit etiã motus lapidis deſcendentis ab alto,quò magis terræ ꝓpinquat,eò fiat velocior:& flãmæ motus ſimiliter aſcendentis,quo fit cęlo ꝓpinquior,eò euadit rapidior. Quippe cum anima ſphæræ è propinquo rapiat vehementius , trahit quoque ad idẽ anima mundi. Et quemadmodum ſi homines ferri quidem ipſius motum videntes,magnetẽ non viderent,ferrũ ex ſeipſo moueri putarent dũ trahitur à magnete:ita nunc qui ſphærarum animas non intelligunt,corpuſcula quęlibet credunt ex ſe moueri . At enim cum nulla mens artificis tam recte aut membra ſua aut inſtrumenta moueat,quàm corpuſcula illa mouentur in mundo: neceſſariũ eſt illa corpuſcula non ab inerti qualitate ſolummodo,verum etiam ab artificioſa natura moueri & duci . Porro naturalis motus elementorũ eſt, qui cancellos naturæ naturaliſque loci non trãſgreditur id eſt,perpetuus circuitus in ſuo loco atque ſphęra naturali, figuræ ſuæ perſimilis. Circuit ignis & aër,vt luna:quod crinitarum indicat reuolutio . Circuit aqua iugiter refluendo. Terra ſi(vt voluit ægeſias) moueretur , in circulũ moueretur:quæ vt volunt plurimi manet per ſuperficiem, circuunt partes eius mundi centrum quodammodo prout ſe inuicẽ circa ipſum vndique ſempiterno coartant annixu. Aſcenſus autem aut deſcenſus non propriè naturalis eſt motus,ſed ad locum motumque naturalem ſubita per rectã lineã reſtitutio:quæ quoniam ab alio terminatur,perque vnicũ ſemper dirigitur tramitem: liquidò nobis oſtendit elementorũ partes ex ſeipſis minimè agitari.Nã alioqui & ſpontè quieſcerent,neque agerent viam ſemper eandem:& aqua poſſet interdum aërem proximũ non frigefacere,aut in prȩcipitiũ non defluere.Nam & ſi animæ ſphærarũ eundẽ ſemper tenorem ſeruant,non tamen putandum eſt animulas,id eſt,vires proprias elementalium partium,ſi tanquã motrices illis inſint,talem ordinẽ ſeruaturas:quandoquidẽ animæ noſtræ non ſeruant. Augmentum verò plantarum atque ſaxorum eſt ab anima terræ: ideo ſolum quandiu hærent terræ, cre-

A

B

ab anima terrae — plantarum et saxorum augmentum

ſcunt. Corpora brutorum & hominũ ſeiunctè à ſphæris viuunt, quia proprias habent animas: quod indicat illorum figura variis inſtrumentis munita, figuræ ſphærarũ penitus diſſimilibus: indicat & complexio à ſphærarum cõplexione alieniſſima. Sicut ſe habet mobile ad mobile, ita motor ad
C motorem. Ergo vt corpus ad corpus, ſic anima ſe habet ad animam. Itaque corpora ſeiuncta inter ſe per ſitum, naturã, figuram, quantitatem, motúmque & ſpeciem ſeiunctã habent & animam: coniuncta verò coniunctã. Vna tamen eſt ſuper ſingulas mundi anima. Vnius enim viuentis opificis vnum debet eſſe opus viuens. Non eſt vnum viuens, niſi per vitam vnã. Non habet vnam vitam, niſi vnã habeat animã. Meritò cum lateat (vt plerique diſputant) in omnibus ſphęris vna prima & informis p ſe materia, vna illius eſt anima. Quidnã in cauſa eſt quod licet contraria inter ſe ſint mundi membra, in vnum tamen conſpirant, & alias aliis vires ſuas communicant: niſi quia vna anima huius ingentis animalis
D humores quanuis diuerſos contemperat, ac membra per ſitum ſeiuncta & qualitatẽ, vitæ & motus conſpiratione continuat? Vndé nam fit vt inferiora nutus ſequantur ſuperiorum, & omnia mundi membra (vt ita loquar) cõpatiantur inuicem, niſi ab vna cõmuni natura, vna verò natura ab vna fit anima? Neque minus vnitum eſſe oportet diuinum hoc animal, quàm ſit quoduis aliud animal: ſiquidem eſt omniũ potentiſſimum. Ergo ſi inter cætera animalia quodlibet corpus per vnam quandam ſuam animam gubernatur: multo magis mundani huius animalis membra per vnam animã vinciũtur. Quæ ſi ita ſe habet ad corpus ſuum, ſicuti noſtra ad noſtrũ: non aliter ipſa in qualibet mundi parte eſt tota, quàm anima noſtra tota in qualibet noſtri corporis parte: alioqui non poſſet vniuerſum perfectè connectere, viuificare, mouere. Sicuti ſe habet natura ad corpus, ſic anima ad na
E turam. Ergo quemadmodum in vniuerſo corpore natura vniuerſalis eſt vbique: ita in vniuerſa natura vbique vniuerſalis eſt anima. Quod autem ſphærarũ animæ ſint rationales, oſtendit diſpoſitio motuum mundanorum ſemper ad id quod eſt melius & pulchrius proficiſcẽs. Sicut enim motus tam velox, liber, & diuturnus, ab intima vita fit, ſic tam mirabilis ordo mouendi, tamque artificioſa progreſſio, à ſapi-

entissima quadam arte ipsius vitæ procedit. Nã quod sphæras ad idem semper per eadem dirigit, non necessitas quædam est vita carens, vt vulgo videtur, sed ars integra, & sapientia felix: quæ quoniam non errat in consultando, quẽadmodum mortales solent: motu & opere non vagatur.

Deniq; cælũ ab intelligentia quadã moueri, id quoq; nobis F
argumẽto est, quod cæli corpus motibus suis ita ordinat elementa, disponitq; cõposita, vt animæ intellectuales cõposi tis corporibus ĩfundãtur: hẽ vero corpo. cælestibus valde p̃stãtiores sunt. Corporea igitur natura cæli cũ p̃ se supra speciẽ suã neque agat quicq̃, neq; disponat: certè in hac ipsa actione dispositionéq; vbi ad speciẽ mentis p̃fectæ conducit à mente diuina tanquam instrumentum ab artifice ducitur: quæ quidem mens animæ suæ inest: quandoquidẽ præstantissimi corporis anima, præstantissima est animarum.

Tres sunt præcipui (vt Magi putant) principes super mun G
dum: Oromasis, Mitris, Arimanis, id est, deus, mens, anima. tres mundi principes
Dei proprium est vnitas: mentis ordo: animæ motus. A deo
solo prima ipsa fit in mundo vnitas partiũ & totius. A mente virtute dei fit ordo partium vnitarum. Ab anima superiorum virtute fit motus operis ordinati. Mouet anima mundum mutabiliter per seipsam, mouet ordinatè per mẽtem, perseuerat semper in vno hoc officio per vnitatem dei H
ipsius æternam. Sic illorum trium principum tria hæc (vt dixi) in mundo videntur vestigia: quod Plato videtur in epistola ad regem Dionysium tetigisse: quem locũ in libro de amore latius declarauimus. Mitto quod quælibet species naturalis à deo habet vt sit, vnaq̃ue sit: à deo per mentem ordinem: ab vtroque perpetuitatem: sed ab anima cælóque habet: vt multiplex per singula sit, atque mutabilis. Mẽs enim & anima quoniã à causa omnino immobili per ipsius substantiã proximè procreantur, substantia immutabiles prorsus euadunt. Naturales autem species quoniam à stabilibus causis, id est, deo & mente per causas actione mobiles, id est, animas cælósque manent, etiam substantia quodammodo sunt mutabiles: quanuis causarum stabiliũ munere per continuam singulorum successionẽ perpetuæ videantur. Vnde enim mobiles causæ motionis perpetuitatem habent: inde & harum effectus continuam generationis successionem.

Cæleſtes ſphæras habere animas, non modò Platonici, ſed
omnes etiã Peripatetici confitentur: quod Ariſtoteles do-
cet libro de cęlo ſecundo: rurſus. 7. & 8. naturaliũ. 2. de ani-
ma. 11. diuinorum. Theophraſtus etiã diſcipulus Ariſtotelis
libro de cęlo. Quod Auicenna & Algazales ſummopere cõ-
firmarunt. Auguſtinus Aurelius in Enchiridio, & Thomas
Aquinas in libro contra Gentiles ſecũdo, tradunt, nihil quã-
tum ad Chriſtianam doctrinã ſpectat, intereſſe cęleſtia cor-
pora animas habere, vel non habere. Sphæras autẽ elemen-
torum viuere & ſi planè conſtat apud Platonicos, de his ta-
men Peripatetici veteres nihil diſſeruerunt: recentiores au-
tem nonnulli ambigunt: quia elementa videantur compoſi-
torum gratia inſtituta fuiſſe: atque eſſe tanto compoſitis vi-
liora, quanto ſunt propinquiora materiæ. Sed ad hęc Plato-
nici reſpondebunt, integras quidem elementorum ſphæras
totius mundi gratia inſtitutas fuiſſe, non gratia huius cõpo-
ſiti, vel illius: particulas autem elementorum, quæ & ſegre-
gantur ab elementi totius integritate, & miſcentur in hoc
aut illo compoſito corpore, corpuſculi taliscauſa cõmiſceri.
Et quanuis harum particularum qualitates ſint primæ ma-
teriæ proximæ: integra tamen elemẽta quia in ordine prin-
cipalium mundi membrorũ connumerantur, valde propin-
qua ſunt tum mundi totius formæ, tum ſummi opificis ex-
emplari vniuerſo atque propoſito: tũ diuinis cæleſtiũ men-
tium ſphærarumque influxibus: qui in particulas & corpu-
ſcula mixta non aliter quàm per integra defluunt elemẽta.
Atque hoc pacto elementorũ globi digna receptacula fiunt
rationalium animarum. Sunt præterea in igne & aëre, pro-
pter ſitum perſpicuitatémque ipſorum cælis conuenientẽ,
partes aliquę quaſi è regione ſideribus reſpondẽtes: quę di-
rectis quibuſdam nobilitatæ influxibus, ſufficienter præpa-
rantur ad mentes ſuſcipiendas. Partes autem ſiue aquæ ter-
ræque craſſiores, ſiue ignis aëríſque in terris diffuſi, à globis
propriis ſegregare animos non merentur: quia & globorũ
amittunt dignitatem: & propter impetum corporũ exter-
norum ſimplicitatem ſuam puritatẽque non ſeruant. Quòd
ſi diligentius miſcentur inuicẽ, quouſque diuturna qualita-
tum temperatione æqualitatem quandam recuperent ſimi-
lem ſphęrarum æqualitati: primum quidem mirabiles ope-

rationes quasdam consequuntur in mixtis: deinde vitam in plantis, tum sensum, denique rationem. Si quis autem diuinorum animorum nomina nosse desideret, sciat Orphæi theologiam sphærarum animas ita partiri, vt quælibet vim geminam habeat: vnam in cognoscendo positam: alteram in sphæræ corpore viuificando atque regendo. Ergo in elemento terræ illam vim Plutonem Orphæus nominat, hanc Proserpinam. In aqua Oceanum illam, hanc Thetin. In aëre fulminatorem Iouem, atque Iunonem. In igne Phanetã, & auroram. In anima sphærę lunaris illam Baccum Licnitum: hanc aliam musam. In anima rursus Mercurij sphęrę illam vim Bacchum Silenũ, hanc Euterpen. Veneris Lysiũ & Crato. Solis Trietericum, & Melpomenen: Martis Bassareum, atque Clio. Iouis Sabatum, & Terpsichorenzi. Saturni Amphietum, polyminanque. Octauę sphęrę Pericionum, & Vraniam. In anima vero mundi vim primam vocat Bacchum Eribromum. Secundã musam Calliopen. Quapropter apud Orphęum singulis Musis pręest Bacchus aliquis, quo vires illarum diuinę cognitionis nectare ebrię designantur. Ideo Musę nouẽ cum Bacchis nouẽ circa vnum Apollinen, id est circa splendorem solis inuisibilis debacchantur. Sed hęc de nominibus diuinorum animorum dicta sufficiant. Verùm hanc omnem disputationem hac ratione breuiter concludamus, vt antiquorũ more dicamus eos esse penitus deridendos, qui partes elementorum impuras, ex quibus animalia constant, vitam & rationẽ habere fatentur, tota vero puráq; elementa negant: quasi pars toto sit melior: & mundum vita carere volunt & sensu, qui tamen vitã dat plantis, quę non fiunt ex semine: sensum dat animalibus quę per coitum non gignuntur. Quamobrem tres rationalium animarum gradus colligimus. In primo sit anima mundi vna: In secundo duodecim sphęrarũ animę duodecim. In tertio animę multę, quę in sphęris singulis continentur. Hęc omnia quę ad sphęrarum animas pertinent, ex Platonicorũ opinione narrata, tunc demum affirmentur, cum Christianorum theologorum concilio diligenter examinata placuerint. Nã & Plato in Epinomide, vbi sub propria persona ipse loquitur, de his sub diuisione sic inquit. Impossibile est, terram, cęlũ, stellásq; omnes, & quę ex his constant moles: nisi anima singu-

lis aut insit, tam exquisita ratione annis, mensibus, diebúsque circumuolui, nobísque omnibus bona omnia facere.

Animæ sphærarum mouent sphæras per legem fatalem: & mouent in circulum, quia ipsæ sunt circuli.
Cap. 2.

F Quonam pacto cælestes animæ sphæras suas mouent? Profectò (quemadmodũ placet Platonicis) sicut corpus tuum anima tua per appetitum, qui appetitus illic quoque à cogitatione excitatur: cogitatio autem à fatali illius animæ lege. Ideo Plato in libro de regno inquit. Cælum mouet fatum, & innata cupiditate. Quod accepisse videtur à Zoroaste, à quo omnis manauit theologorum veterum sapientia. Ille enim vbi de cælo loquitur, inquit,

G ἀιδίῳ βουλῇ φέρεται, ἀεὶ τρέχῃ ἔργῳ ἀνάγκης,

ordo rerum

id est, sempiterna voluntate fertur, semper necessitatis opera currit. Quod perspicuè intelligemus, si ita rerũ ordinẽ considerabimus. Est aliquid quod dicitur sup omne: est aliquid quod sub omni. Quod dicitur super omne, deus est: qui non potest esse propriè omne: quoniam est simplicissima vnitas super numerum. Sub omni hæc corpora singula. Oportet igitur inter id quod est super omne, & id quod sub omni, esse aliquid mediũ. Id autẽ est omne ipsum totumq;, & rerũ omnium cumulus. Erit autẽ triplex omne, siue totũ triplex. Primũ quidẽ omne, pximè ab ipsa dei vnitate depẽdet. Idcirco eatenus vnitũ esse necessariũ est, quatenꝰ fieri potest, cũ fiat ipsi vnitati simillimũ. Esse verò potest aliquid tribꝰ modis vnitũ: essentia, puncto, atque momento. Essentia scilicet, vt vna substantia sit, non ex substantiis pluribus composita. Puncto, vt non dispergatur in partes plures, per quas cogatur in plurima distrahi puncta locorum. Momento, vt quicquid habere potest vnquam, nutu oculi nanciscatur: neque per varia temporum momenta sit variũ. Ergo illud omne quod statim ex deo est, ipsi similius omnibus his modis est vnitũ. Is est angelus: qui quanuis prout pendet ex alio, mutabilis quodammodo dici possit: tamen quia infinito dei statui præcipuè proximus procreatur, in ipsúmque conuertitur sine medio, stabilis prorsus euadit. Sequitur secundum

Deus nõ est omne

triplex omne

vnitas tribus modis

omne: quod quia secunda quandã intentione pendet ab vno, vnum iam modum vnitatis amittit, retinet duos: vnum quidem restat essentia atque puncto: sed momentis fit varium. Talis est anima. Tertium omne est materia mundi, quæ vna substantia est: sed non solum momentis variatur, vt anima: sed etiam diffunditur per puncta locorum. Sed cur in hoc descensum tempus reperitur priusquam locus? Tũ quia tempus spiritalis actionis alicuius comes est: locus comes est corporis: ideoque tempus ad spiritũ efficaciamque propius quàm locus accedit. Tũ quia ab vnitate in multitudinem gradatim est descendendum. Quotiens verò rei essentia localem multitudinem subit, totiens & operatio eius tẽporalem patitur numerum: non econuerso. Essentia enim operationem vnione & perfectione superare potest, contra nequaquam. Membra denique mundi quælibet non omne sed sub omni dicuntur esse. Quapropter angelus continet in se omnes rerum omnium rationes: omnes inquam habitu simul & actu. Anima rursus omnes, sed habitu quidem non actu. Materia omnes quidem potentia, non tamen habitu: neque actu sed per successionem suscipit omnes. Oportet profecto animam ipsam esse quodammodo omnia: de qua Zoroaster ait:

κοσμος πολλα πληρωματα κολπων,

id est, mundanorum sinuum multas plenitudines comprehendit. Nam si inter sublimia & infima est media, necessariò in se continet sublimium illorum munera & imagines, infimorum autem vires & exemplaria. Sed ea parte qua cũ angelica mente communicat, euadit angelo similis: alia parte dissimilis. Igitur sphærarum animæ in mentibus suis ideas cunctas simul habent habitu atque actu. In suis potentiis infimis motricibus corporum, cuncta iterum habent generandorũ semina, possessione habitu simul, non actu. Media pars illarum, scilicet ratio, sequitur mentem: quia corpora illarum perfectissima, ac fermè nullius egena, sola animæ infima parte reguntur satis. Ideo media pars cælestium animarum, quæ sua natura mobilis est: quia ocium agit ab opere corporali, absorpta à mente fit stabilis.

In nobis verò, propter nostri corporis indigentiam, media quoque pars mouetur vt infima: difficili & operosa nimiũ

administratione corporis ita cogente. Apparet etiam quodã modo motus (vt vult Plotinus) aliquis in ipsa rationali cęlestium animarum parte. Cũ enim à deo omnium vnitate tum per vnitatem suam (quę suę mentis est caput) tum per mentem suã (quę caput rationis est) effluat: refluit quoque per mentem vnitatemque suam in deum omnium vnitatẽ. Siquidem hęc deũ ipsum primò naturaliter appetit: secundò intelligit: tertiò intellectualiter amat: quartò amatoria quadam vnione consequitur. Actionem vero quę ad terminum quendã per media transit, motum Platonici nominant: si tempore transit, temporalem motũ: siu vero momento, motum appellant ęternum: qualis est in animarum cęlestium ratione. Licet autẽ media hęc pars illarum in mentẽ conuersa, omnes simul videat rationes: tamen pars illarum infima, vtpote mutabilibus corporibus cognatissima, non tantę virtutis est, vt valeat vno actu ferri in semina vniuersa: capit tamen ferri actu in omnia: ne frustra sint in eius potẽtia omnia. Fertur ergo in illa nixu multiplici: & modo hęc actu cõsequitur, modo illa: sed priora amittit actu, cũ incurrit in alia. Non ergo cõplectitur simul cũcta: semp autẽ ad omnia nititur. Currit itaq; semp & huiusmodi curl⁹ est motus primus. Huius autẽ cursus interuallũ tẽpus primũ est. Ad cursum illũ currit mundus. Ad tẽpus illud fluũt tẽpora mũdi. Hunc ego esse arbitror ipsum (vt est apud Orphæũ) mutantẽ Protea formas. Cũ verò semina illa certo sint numero terminata, & anima currat semp: certo tẽporis spatio transit omnia: quibus peractis, vel quiescere cogitur, vt nobis videtur: vel recurrere paulatĩ p omnia denuo: atq; eandẽ in mũdo telã generationis retexere: vt placuit Zoroastri, qui iisdẽ aliquando causis omnino redeuntibus, eosdẽ similiter effectus reuerti putat. Qua quidem ratione tam ipse quàm alij multi successores eius humanorum corporũ resurrectionẽ confirmauerunt. Circuitus autem vniuersi interuallũ annis solaribus sex & triginta millibus expleri voluere Platonici: quem magnum ac mundanum appellant annũ. Huius finẽ Mercurius mundi seniũ vocat, Plato in libro de regno mũdi, restitutionẽ. Sed vt mouendi cęli planius modũ intelligas: exemplũ accipe. Cogitat Euclides nocte Megaris abire Athanas, Socratem auditurus: accipitque laternam. Totum illud

motus temporalis.

motus æternus.

motus primus.

magnus annus B

mundi senium C

illud iter in primis cõmuni cogitatione præscribit. Ex hoc vniuersali proposito non fit proprius passus aliquis, nisi particularis cogitatio intercedat primũ passum designans. Ergo laterna primum ostẽdit passum: hunc ipsum statim cogitat imaginatio: hunc eligit appetitus: hunc peragũt pedes. Quo peracto laterna passum secundum monstrat: mox illum cogitat Euclides: appetit: peragit. Similiter tertium atque alios. Eadẽ ratione in anima sphæræ fieri arbitrantur, vbi mẽs ratioque ipsius communiter statuit totidem in cęlo figuras, & in materia formas per cæli motum effingere, quod videt ideas & conceptus in angelo per dei ipsius effingi virtutem: vt tale ipsa proviribus mundanum opus efficiat, quale deus facit angelicum, atque ita primum imitetur artificem: non tamen incipit mouere cælũ, aut aliquid operari, nisi motrix potentia (quę est eius infima pars) quasi laterna vnũ aliquid suorum seminũ genus promat præ aliis, & quasi oculis offerat. Cum primum vis generis alicuius seminum cæteris seminibus prævalet: imaginatio ipsa, quæ infimæ huic potentiæ annexa est, illud cogitat: idem & appetit: idem explicat in cęlo, format in elementis: serit in cælo, parit in elementis. Eodem modo fit per seriem successionis fatalis cõsistit lex: in illa cogitatione cupiditas. Sic cęlum mouetur à fato & innata cupiditate, eodem quasi modo quo in nobis spiritus & humores à vehementi cogitatione affectúque vibrantur atque formantur. Neque putes tam nouos in mundo effectus, tam varias in cælo figuras momentis singulis explicari nisi per nouas variasque animarum illarum affectiones. A causa enim quæ stabilis est omnino, stabile fit & opus. Neque arbitrandum est cæli animam fatigari mouendo, si nostra non fatigatur. Motores enim qui cũ mobili extensi non sunt, fatigari non solent: videlicet si infinito statui motionum omniũ fini sint proximi. Præterea quam ineptum est infimum terrenũque corpus ad motum, tam est agile sublime corpus. Quòd si & leuis aura pulueres agitat, & ventus inclusus terræ visceribus quassat montes: miraberis sublimes animas tenuissima corpora nutu leuissimo voluere? Præsertim cum ea circa naturalem cardinẽ & in ambitu proprio moueant: atque ipsa ad motum huiusmodi naturali instinctu magis conducant, q̃

terrenum corpus ad descensum, quando anima nostra corpus suum per decliuia ducit. Profecto cęli corpus ita ęquè se habet & facilè ad quemlibet situm circa centrum, sicut elementalis materia ad quamlibet formam: immo vero multò magis. Proinde sicut animæ conuenit efficacia ad mouere: ita corpori procliuitas ad moueri. Corpus enim quoniã ab actu fit, in actu est, ad actum dirigitur: idcirco naturam habet vt per formas suas semper exerceatur. Quoniã verò & substantiam & qualitatem diuisibilem habet: cogitur quicquid aut agit aut patitur, secundum modum diuisibilem, id est, secundum motum agere atque pati. Confert autem cælestium motus eiúsque varietas ad generationem, generandarúmque rerum diuersitatem. Variis enim figuris cælum exornat: cęlestesque vires vehementius in elementa transmittit. Mouet elementa: cogitque vt multis inuicem modis commisceantur: eorúmque globum vndique vicissitudine quadam æquè illustrat & fouet. Præterea ipsa mundi materia neque omnes simul in cælo figuras, neque formas sub cælo omnes simul potest habere (siquidem inter se multæ contrariæ sunt) vbique tamen appetit omnes, tanquam naturæ suæ perfectiones. Hinc ad sempiternum motum procliuis efficitur: vt quod non potest statu consequi, successione saltem quodammodo consequatur. Verùm cur in circulum maximè sphæræ rotantur? Quanuis id modò significauerĩ: altius tamen exordiamur. Deus circulus vnus est: quoniã à se est, circuli instar, & in seipsum, prout non habet extra se principium sui vel finem: sed in se incipiens, definit in seipsum. Angelus duplex est circulus: tũ quia illuc redit vnde manauit, dum suũ intelligit & diligit auctorem: tũ quia considerat semetipsum. Anima est triplex circuitus: quia respicit deum: quia seipsam considerat: quia à causis rerum ad effectus descendit, rursúsq; ab effectibus ascendit ad causas. Si circuunt tres hi cæli motores: quid obstat quo minus cælum quoque in circuitum rapiatur? Et postquam cælũ imitatur causas supernas in figura & substantia sua, cur non etiam in motu operationeque imitetur? Mobili animæ subiicitur cælũ: inde ipsum moueri incipit. Vt semel cœpit moueri cæli pars vna, propter continuationem trahit aliam secum, pellitque aliam: seque inuicẽ necessariò reflectunt in

gyrum. Stare nequit cælum: quandoquidem eius anima ne-
ſcit quieſcere : neque tamen locum ſui naturalẽ relinquere
vult. Ita fit vt circa idem reuoluatur, & in eodem cælũ ſem- F
per mobile eſt : ſiquidem terra (quæ maximè ab eo diſtat)
eſt ſemper immobilis. Quod mouetur ſemper, neceſſarò ad
idem reuertitur. Nullum enim rerũ corporalium ſpatiũ in-
finitũ eſt. Præterea Plato in libro de regno inquit: Solis re- G
bus omnium diuiniſſimis conuenit ſtatus omnino muta-
tionis expers. Mundus autem quia corpus eſt, iãque à diui-
norum dignitate degenerat, ideo immutabilis prorſus eſſe
non poteſt. Quoniam verò diuinis proximum eſt, conſenta
neum fuit circulari ipſum motione moueri: quæ cum in eo
dem, circa idem, ſecundum eadem, ſimili iugique continua-
tione voluatur : quã minimè fieri poteſt à locali ſtabilitate
diſcedit. Hæc ille. Adde quod ſicut inter omnes ſpecies mo-
tionũ ſolus localis motus, quia quaſi extrinſecus eſt, ſubiecti
ſui ſubſtantiam qualitatémque naturalem mutare non co-
gitur : ſic circuitus inter locales motus quia ſolus non mu-
tat locum, dici poſſe videtur quaſi non motus. Si ſtare quis
cælum velit, figat ipſum Saturni cælum in cardine quando- H
cunque lubet. Tunc ſemicirculus ipſius ſphæræ alter ſuper
caput Antipodum. Cũ verò partes omnes huius ſphęrę ſine
vlla naturæ diſcrepantia inter ſe ſimillimæ ſint, nulla eſt ra-
tio per quam alia pars hîc ſit magis, illic alia. Ergo inferior
ſemicirculus: quia cum loco noſtro æquè conuenit, ac cum
regione Antipodum: ita nitetur hîc eſſe, ſicut ibi: & ſuperior
ſemicirculus propter eandem conuenientiam ad locum illũ
contendet eſſe illic, ſicut & hic erat. Ex hoc nixu pars altera
pellet alteram: dum quælibet pars propter æqualem conue-
nientiam vqlet vbique pariter eſſe. Eſt vtique octauæ ſphæ- A
rę cõcaua ſuperficies, locus naturalis ſphęræ Saturni. Ibi de-
uexum Saturni ſphęræ concauum tangit octauę. Quęlibet
particula huius ſphęrę quia ęquè conuenit cum qualibet o-
ctauę particula: omnes affectat particulas illius attingere. Si
quieſcat, ſingulę tangent ſingulas: non quęlibet cũctas. Cur
rendo autẽ fermè aſſequitur, quod aſſequi quieſcendo non
poterat: tanta eſt huius ſphęrę ad illã auiditas. Pręterea ſphę
rę Saturni anima tota ſimul eſt in quibuſlibet ſphęrę punctis. Sphęra hęc animę fruendę cupida ideo currit, vt per o-

mnes sui partes vbique tota anima perfruatur. Aduolat rapidissimè, vt quod fieri potest, vbique sit tota simul, vbicunque tota simul est anima. Et quia nusquam reperit stantem animam: quiescit & ipsa nusquā. Et sicut anima assiduè circa deum quasi centrum conuoluitur: ita corpus tractum ab illa semper circum animam reuoluitur quasi centrum. Stat autē in eodem cardine cęlum: quia & anima propter mentis participationem quietis alicuius est particeps. Id agunt omnes rationales animę in corporibus suis. Id omnia corpora agunt ad animas: siue de sphęrarum ac syderū animis loquamur, seu dęmonum atque hominum. Quod si minus in nostro hoc crasso corpore apparet, fit tamē in ętherēo animę indumento, (de quo disputabimus aliàs) quod voluit Zoroaster in nobis assiduè volui. Denique hanc de motu cę
B li disputationem hac sententia concludamus. Neque corpus cęli mobile, neque motorem, qui ad motū cęli mouetur esse prędpuum motionis huius principem atque finē: ne in huiusmodi motu labor transgressióque cōtingat. Motus enim ad stabile & circa stabile efficitur semper & regitur.

THEOLOGIÆ PLATONICÆ
De immortalitate animorum eodem Ficino authore,

LIBER QVINTVS.

Omnis rationalis anima est immortalis. Prima ratio: quia per se mouetur: & in circulum.
Cap. 1.

C HAs omnes animas in ordine essentię tertię collocamus: atque hac ratione cōmuni esse volumus immortales, quod primò mouentur: & quia mouentur primo, mouentur in circulū. Quia igitur primò mouentur, mouentur & semper. Ibi enim perpetuus motus est, vbi primus. Nam si fons motus aruerit, nihil

vltrà mouebitur in natura. Item quod primò mouetur, sibi ipsi præbet motum internum atque externũ. Internus motus vita est. Itaque sibimet vitam suppeditat. Et quia nunquam deserit seipsum: cũ in qualibet natura insit amor sui ipsius perpetuus, nunquam desinit viuere. Si enim quod mouetur ab alio, quãdiu adhæret motori, tandiu mouetur: multo magis quod à seipso mouetur, quia idem est atque motor, nunquam à motore desertum, moueri desinit nunquã. Præterea si fingatur interire quandoque: aut prius esse desinet quàm moueri: aut contrà: aut simul. Non datur primũ: quia motus non potest seorsum ab essentia remanere non secundum: quia spontaneus motus. Non assiduus comes est eius quod motum sibimet exorditur. Non tertium: quoniã pernicioſa mutatio non potest ipsi ab intrinseco vnquam erumpere, ex quo motus vitalis viuificúsque exoritur. Sed neque continget extrinsecus. Non enim fons motionis aliunde mouetur. Hæc est vtiq; essentiæ tertiæ proprietas: in qua cum sint animæ omnes rationales ex communi quadã definitione, illis quoque omnibus eadem conuenit proprietas. Sunt etiam ex eo immortales, quia per naturam essentię tertiæ primíque motus circulo agitantur. Nam si mouẽtur in circulum, nunquam desinunt. Circuitus enim non effundit vires, sed sua quæque recolligit in seipsum & cum deficere putatur, se renouat: vt rationem illã Pythagoræ ad præsens prętereant, quæ ostendit nullum esse in sphæra principium aut finem. Ideóque illum qui mouetur in sphærã, neque cœpisse moueri vnquam, neque desinere. Esse autẽ rationales animas sphæras quasdam spiritales, & circuitum in seipsis facere spiritalem: postquam corpora ipsa quę illarum vmbræ sunt, figuram talem habent & motum. Ita vt sphęrę circuitúsque visibiles sphærarum & circuituum, inuisibiliũ vmbræ sint: ac si vmbræ sint perpetuæ, multo magis substãtias illas fore perpetuas, quæ per virtutem termino carentẽ motionis actum peragunt sine termino. Nec est illis contrarium aliquid, à quo perimantur: sicut & motui illarum qui circuitus est, nullus est motus contrarius. D

Secunda ratio, quia stat per substantiam.
Cap. 2.

ATque ita immortalem esse animam, per motum eius ratio superior demonstrauit. Idem quoque per statum animæ demonstratur. Quando animam nominamus, rationalium animarum genus intelligi volumus. Nam irrationales vitas non animas propriè appellamus, sed idola & simulacra animarum. Si essentia illa tertia (de qua tam multa diximus) licet per operationem moueatur, manet nihilominus per substantiã: sequitur vt anima quæ eadẽ est quod essentia illa, per substantiam non mutetur. Quod autem tale est: esse desinit nunquam.

Tertia ratio: quia hæret diuinis. *Cap.* 3.

F AC si duo quædam in infimo naturæ gradu locata, materia, scilicet, & quantitas, sunt passiua: & duo alia in supremo sunt actiua, deus & angelus: anima & qualitas: quæ mediam inter passiua & actiua obtinent regionem, quomodo se habebunt? Sic profectò vtraque particeps passionis euadit. Sed qualitas, quia patientibus inhæret, omnino per operationem & essentiam suscipit passionem: anima verò, quæ distat longius, & si in operandi facultate corporalem aliquam percipit passionem, in essentia tamen passionis est expers. Et sicut corpus ex materia & quantitate passiuum inhærentem sibi qualitatem reddit subiectam corruptioni, ita deus & angelus actiui, animã sibi proximam, & à corpore segregatã, diuinitate sua efficiunt immortalem.

Quarta ratio: quia materiæ dominatur. *Cap.* 4.

G SEd & in hoc maximè immortalitas eius apparet, quod oportet primam ipsam rerum materiam quę mouetur & formatur ab anima, perpetuam esse. Naturam ars imitatur. Ars opera sua hoc facit ordine: videlicet in subiecta quadam materia formas alias & alias imprimit: quarum nullã sibi propriam habet materia. Nullam enim propriam vasis alicuius formam habet lutum, sed varias vicissim capit à figulo: & fractis vasis supereſt lutum, ex quo alia reparentur. Ergo & ipsa natura rerum artifex subiectam quandam sibi

materiam habet omnium expertem formarum, ad omnes
suscipiendas pariter pręparatam: quia sicut in gradu rerum
summo est actus purus, nullius indigus, formarũ omnium H
effector: ita in infimo esse aliquid debet quod sit pura po-
tentia, omnium egena, & ipsa per se informis sit formarum
omniũ susceptiua. Sic vniuersali artifici atque naturæ sub-
est vniuersalis materia formarũ quarũlibet indifferens su-
sceptaculum. Hæc prima vocatur materia: quę elementorũ
aliorúmque corporũ formis æquè subiicitur. Et modo hanc
à vi naturali accipit, modo illam: neque vllam natura sua ha
bet propriam. Non enim essent infima, si quã haberet per-
fectionẽ, & agendi facultatẽ sibi ex forma propria naturalẽ:
nec esset ad aliam formam formæ suæ repugnantẽ idonea.
Nam si frigiditas materiæ propria naturalisque sit, quonam
pacto calorem susciperet? & si humiditas, quomodo siccitatẽ?
Animaduerte mutuam elementorum commutationẽ, si cu-
pis latentem hanc materiam inuenire. Nam quando cerni-
mus vbi prius terræ species fuit, ibi aque postea speciem ap-
parere: dicere non possumus aquæ formã quæ nuper adue-
nit, in terræ forma recipi. hę nanque oppositę quodammo-
do sibi inuicem sunt: quippe cum terra siccitatem, humidi-
tatem aqua contineat. Non igitur forma terræ formam su-
scipit aquę: sed accedẽte aquea specie, abit in cahos. Forma
autem aquæ sine subiecto esse non potest: neque nouũ sub-
iectum in aquæ generatione accessit. Eadem ergo materia
quæ terreнæ formæ subiecta fuerat, aquæ iam subit formã.
Atque hæc est argumentatio qua Timæus Pythagoricus v-
titur. Item quando sol radiis suis mare percutiendo, aquam A
in fumos extenuat, & ex aqua generat aërem: aliquam certe
aquei corporis portiunculam ex aquæ elemento detraxit.
Quærimus ergo vtrum portiunculam istam aquæ in nihilũ
primo redegerit, postea genuerit aërem: an seruauerit aquæ
nonnihil? Si aquam in nihil omnino deduceret, ad malum
esset naturæ intentio: (quæ tamen est semper ad bonum,
cũ à summa dei bonitate regatur). Atque esse ipsum, quod
æterni dei peculiare donũ est, quandoque ex rebus à sequen
tibus post deum causis subtraheretur: quod fieri non potest:
cum deus semper, quod semel dedit, suo conseruet influxu:
cui nullius agentis opponitur violentia. Nam res deo infe-

riores quia non habent esse absolutum omnino, sed esse aliquod, & tale esse vel tale: ideo non habent vim ad esse omnino auferendum, sed esse hoc modo potius aut illo. Sequeretur etiam vt sol nouum illum aërem generaret ex nihilo, si totam aquę prioris portionem in nihilum consumpsisset.

B Ex nihilo autem aliquid facere agentia naturalia nequeunt. Facilius enim est ex qualibet re existente aliquid facere, q̃ ex nihilo. Non possunt autem ex quolibet semine rem quālibet generare: nunquam ex tritico pyra: ex milio ficus: ex hominis semine aquilam. Multo minus poterunt ex nihilo aliquid generare. Hac ratione monstratur solē non potuisse portionem illam aquæ mari detractam in nihilum vertere. Ergo in ea naturæ prioris aliquid restat. Quid illud? Aqua certè illa frigida erat & humida. Abscessit frigiditas: humiditas restat: vt placet Platonicis: quæ aëri & aquę est cōmu-

C nis. Si restat humiditas: restat & materia aliqua humiditati subiecta. Humiditas enim non est forma à corporibus sepa rata. Itaque materia quæ prius sub aquæ frigore latuerat: iā sub aëris calore eadem delitescit. Cum verò ex aëre fit ignis humiditatem quoque amittit, & accipit siccitatem. Materia huiusmodi quæ tantum extenuata rarefactione in formam ignis ascendit, vicissim densitate descendit: turgescit in aërē, postea densatur in aquam, denique grauescit in terrā. Vides materiam vnā omnes vicissim indui formas, dum & ascendit rarefactione: & densitate descendit. Quæ ideo vna est, tū quia vna vni sufficit mundo: tum quia cū sit informis, non habet quicquā per quod in se discerni possit in plura. Quod si vniuersum in vnum formabile definit, consentaneum est

D ab vno quoque incipere formatore, totúmque illi subesse. Sed de hoc aliàs & diximus, & dicemus. Materia verò hæc ideo nunquā corrumpitur, quia totius naturæ corporalis est fundamentum, quo diruto omnis mundi machina corruet. Neque in partes dissoluitur vnquam: quia non est per naturam suam ex partibus constituta. Partes enim per quantitatem fiunt: materia verò quantitatē præcedit. Est enim quantitatis qualitatisque subiectum. Subiectum verò semper rē illam quæ in ipso iacet, antecedat oportet. Neque per accessum alicuius contrarię qualitatis interimetur. Nulla quippe ipsi est contraria qualitas: quia æquè omnes suscipit per na-

turam:atque nulla forma quæ indiget materię ſuſtentaculo ipſi repugnat.Sibi nanquemet repugnaret,ſi ſuum deſtrueret fundamentum.Neque indiget materia alia quadam ſede,qua forte ſubtracta decidat in profundum.Ipſa enim eſt primum omnium ſuſtentaculum:ac ſiqua violentia illā deſtruat:aut eam deducet in nihilū,aut in aliquid aliud tranſmutabit.Primum fieri nequit. Nam quicquid agit aliquid, ex naturali appetitu perfectionis, proprię propagādę inducitur ad agendum,vt aliud quiddam ſibi pro viribus ſimile generet:quod in elementis,plantis, animalibus eſt perſpicuum:vbi apparet appetitum naturalem ad bonum,videlicet ad vitā,ad eſſe,atque ſimilia,non ad cōtraria dirigi: quia E
à ſummo bono(vt diximus)omnibus ſequentibus eſt inſertus.Vnde enim ſunt,inde mouētur,& illuc feruntur omnia. Igitur omnis omniū appetitio operatióque à bono exoriens,tendit reflectitúrque in bonum. Quinetiam qui ma- F
teriam funditus tolli è medio,nequit nouum opus ſuum alicubi ſtabilire, ceſſante formarum omnium generabium fundamēto.Ita & perderetur illa,& noui nihil generaretur, id enim quod denuo faciendum eſt:ſi eget materia,iam fieri non poterit,illa ſublata.Si non eget materia,ab ea liberū eſt quod eſt materia liberum,eāque ſupereminet ab auctore ſuo ſeorſum à materia procreatur.Itaque ipſius auctor dum ipſum agit:quoniam fabricat ipſum ab illa longè ſemotum nullam ex hoc illi violentiam infert,neque in ipſius generatione illam vllo modo mouet,qua non indiget opus conficiendum.Igitur quod nouā rem gignit:qualiſcunque ea ſit, ſiue materię indiga:ſiue aliena ab illa,materiā non perducit in nihilum.An forte in aliquid aliud cōmutabit, ita vt pars vna ſuperſit materię,pars verò perierit?Minime.Simplex enim illa eſt : quia neque ex materia & forma componitur, cum ſit prima,informiſque potentia:neque certam quandā partium congeriem ad ſuam exiſtentiam exigit:cum naturali origine præcedat quātitatis dimenſiones.Præterea ſi illa ita mutetur, vt expleta mutatione ſupſit aliquid:quid iſtud erit?Materiane?Si materia , nondum in aliud permutata videtur,cum ſuperſit.Si quantitas,aut qualitas : abſurdum id quidem:quia non poſſunt hæc abſque illa manere.Si forma quædam ſuperſit materiam ſupereminens, quid opus erat

materiam perdere vt forma hæc alieniſſima fieret, quę nullo modo ex ea fit, & longè procul ab illa producitur? Immo verò quia omnino aliud eſt materia, aliud forma ab ea ſemota: nihil per hoc materiæ reliquum eſt quod illa commutata forma ſemota reſtat. Sic igitur colligamus: Materia nequit ex eo quod eſt, aliter permutari, quàm ſi vertatur in nihilum. In nihilum verti aliquid natura non patitur. Materia ergo non interit. Multo minus interibit vis ipſa naturalis,
G quæ eſt materiæ domina. Domina illius eſt vis ea efficiens, quę format ipſam. Hanc format vis ea quæ primũ mouet. Fons motionis eſt anima rationalis: cui qualitates ad mouẽ dam materiam ſeruiunt vt inſtrumenta. Atque omnis ani-
H ma rationalis per naturam eſſentiæ tertiæ vniuerſę materię prędet. Sed de hoc aliàs. Materiam quidem producit vnitque deus: firmat (vt Platonicis placet) & ordinat angelus: mouet formátq; anima immortalis. Vnitas deus eſt, qui immortali materiæ dat vnitatẽ. Immortalis ordo eſt angelus qui immortali materiæ ordinẽ exhibet. Immortalis vita eſt anima: quæ mouendo immortali materiæ prębet vitam.

Quinta ratio, quia eſt à materia libera. *Cap.* 5.

I QVatuor naturalium rerũ cauſę à phyſicis numerãtur: efficiẽs, finis, materia, forma. Efficiens hominis cauſa eſt natura vniuerſalis, & homo: finis, humana felicitas: materia, corpus: forma eſt anima. Quotiens aliquid p ſe eſſe dicitur, eſſe intelligitur ſine cauſa. Quotiens eſſe per aliud, eſſe per cauſam. Solus deus ita per ſe exiſtit, vt per nullam ſit cauſam quocirca omnino per ſe eſt: quia quatuor excludit à ſe genera cauſarum. Corpus naturale omnino per aliud eſt: quia quatuor ſimul includit. Infra deum nihil eſſe poteſt quod efficiente careat atque fine. Quippe deus vnus effector eſt omnium, atque finis: quare nihil pręter deũ inuenietur, quod ita per ſe eſſe ſit dicendũ vt efficientẽ cauſam finẽq; non habeat. Non tamen omnia ſub deo ita eſſe decet per aliud, vt ſint omnino per aliud. Nempe duo hæc, omnino per ſe, & omnino per aliud, interuallo à ſe inuicem diſtant longiſſimo: quare inter hæc aliquo vtriſque ſimilio-
K re opus eſt medio. Cum enim omne agens ex ſua agat na-

tura,necesse est opus proxime ab ipso factũ, quia statim ex agentis natura depromitur,illi quàm simillimum apparere. ergo quod proximè, & principali(vt ita loquar)proposito fit à deo,deo dissimillimum non debet euadere. Sunt ergo inter deum & corpus aliqua,quę non omnino per aliud esse dicatur.Talis apparet qualitas:quę non ꝑ quatuor,vt corpus,causas fit:sed ex tribus solummodo pendet causis.Corpus materiam habet & formam,vt sui causas,efficientẽ etiã atque finem:qualitas formã non habet,vt formalẽ causam. ipsa enim forma quædam est.Forma verò nulla,quantũ est forma,formatur:efficitur tamẽ ab aliquo qualitas:& ad finem quendam ab agente dirigitur : atque etiam à materia pendet.Vt causa siquidem ex prægnante materiæ aluo talis fœtus in lucem educitur,& cum ipsa extenditur atque diuiditur quapropter qualitas gradu vno superat corpus, quod aliquo modo per se dicitur,cũ non formetur ab alio. At cur non etiã essentia tertia, quę qualitate sublimior est vno saltem gradu superet qualitatẽ,sicut qualitas vno superat corpus?superat certé.Sed quomodo? Non eo quod essentia efficiente careat aut fine:cũ hoc deo soli conueniat. Non hoc etiã,quod essentia hæc formã sui causam non habet.idẽ nãque possidet qualitas.Solum ex eo restat vt superet, quòd à materia non dependet:quod minime conuenit qualitati.Ita oportet à quatuor oppositis in quatuor opposita per tria & duo gradatim procedere:vt sicut sup quatuor corporis causas in tres causas qualitatis ascendimus:ita super tres causas qualitatis in duas essentiæ tertiæ causas ascendamus. Quapropter essentia hæc solum efficientem & finalem habebit causam:formam verò & materiam non habebit. Denique angelus vno hanc essentiam superat: quoniam angelus neque à materia dependet,neque ad materiam inclinatur : cũ à deo proximè occupetur.Essentia tertia licet à materia non dependet,tamen à deo facta longinquior,& propinqua materiæ,ad eam quodammodo inclinatur : ob quã inclinationem anima nuncupatur . Et licet inclinetur, non tamen ab ipsa dependet:quod multis rationibus demonstrauimus.Prima est,quam assignauimus.Secunda est:quia si hæc essentia esset immersa materiæ,nunquam emergeret in diuina,quæ sunt à materia remotissima: atque ita non esset competens mundi nodus: quia non connecteret infima cum supremis. A

Tertia est: quia cum moueatur primò, necessario mouetur per se liberè in circuitū. Si per se mouetur: per se vtique operatur. Si hoc est: etiam per seipsam, nullis addicta corporibus. Si mouetur liberè: non est alligata materiæ. Si voluitur in circuitū, in seipsam se recipit, relicta materia. Quarta est: quia si materiæ dominatur mouendo illam primùm: atque formando materiæ non miscetur. Per hæc apparet essentiã illam quæ est animæ sedes, quam etiam animarum paterã
B Plato nominat in Timæo, nullam habere originem à corporibus: atque etiam neque ex partibus quantitatis constitui. Partes siquidem huiusmodi solis corporibus & qualitatibus insunt: non autē formis à corpore separatis. Non igitur ob id anima dissipabitur, quod in partes aliquas dissoluatur. Sanè nullam habet distantiã partium: quoniã in corpore non diuiditur, neque ex eo deficiet vnquam, quod à suo aliquo substentaculo deseratur. nullo quippe eget corporis fundamento essentia illa quę per naturam suam est domina corporū: neque etiam per hoc interibit, quod contrariæ at-
C que inter se pugnantes elementorū vires aliquando eã turbent: hę siquidem in materia pugnant. Animaverò est à deo super materiam: vt eam non attingat elementorū procella, & iniquitas certantium qualitatum. Nunquã rursus ex eo inquinabitur, quod alienam aliquam & naturæ suæ aduersam quandoque suscipiat qualitatem, quę noxiam ipsi inferat passionem. Primum nanque subiectum passioni expositum, materia est: per quam & quantitas ipsi immersa, &
D qualitas quantitati cohærens, exponitur passioni. Quocirca essentia illa quæ est à materia separata, id est, potentia separabilis nullam habet in seipsa potentiam per quam alienum quicquam & hostile susciat, vnde passioni subiiciatur.

Sexta ratio: quia est indiuidua. Cap. 6.

E PRęterea cũ indiuisibilis sit: diuisibiles & corporeas non susciat qualitates. Non enim quod diuisibile est, tangit indiuisibile. Nam si indiuisibile tangi ab eò quòd diuisibile est, dicatur: quęremus vtrum res hæc diuisibilis puncto quodam sui ipsius tangat rem illam indiuisibilẽ, an parte quadam sui diuidua. Si primum admiseris: tunc punctum

est duntaxat quod rem illam tangit : atque ita non res hæc diuidua,sed indiuiduum aliquid tangit rem illam indiuisibilem.Sin autem dixeris quod parte quadã sui diuidua tangit:tunc ita ratiocinamur.Si res hæc diuidua tangit illã quã tu indiuiduam vocas,per partem sui aliquam diuisibilẽ:necesse est & illam per partem sui similiter diuisibilem tangi. Quomodo enim hæc illam tangit, nisi & illa tangatur? & quomodo per plures sui partes tangit hęc illã, nisi illa quoque per partes sui ipsius tangatur ? Siquidem quatenus hæc tangit:eatenus illa tangitur. Quapropter res illa quã tu indiuisibilem affirmabas,tunc primum esse cogitur diuisibilis, quando à re aliqua diuisibili tangi conceditur.Itaq; essentia illa animæ indiuidua nunquam tangitur ab aliqua diuidua qualitate.Non tangitur inquam per rectam lineam , neque etiam per reflexam.Non per rectam:quia ipsa anima qualitatem ex aduerso occurrentẽ non excipit . Non per reflexã: quia cũ à corpore sit exempta,feruentibus in corpore qualitatibus,illarum impetu& furore non rapitur:ideóque à nulla corrumpitur. An forte ab aliqua indiuisibili,quam facilè susceperit,corrumpetur?Minime.Susceptio nanque indiuisibilium qualitatum perficit illud quod suscipit,non corrũpit. Quod patet per eas indiuisibiles rerũ imagines,quę ab aqua,speculis,anima,tum per sensum,tum per rationẽ suscipiuntur.Propriè verò non alia ratione hæc res agit in illam, F nisi vt hæc illi suam formam exhibeat.Siquidẽ omnia propter suæ naturæ propagationẽ ducuntur ad operandũ:nulla verò res corporea potest aut nititur formã sui corporalem in animæ essentia generare:quæ ita est à materia segregata, G vt in ea nullum habeant formæ corporales ingressum. Sed nunquid deus vel angelus formam nouam inducunt in animam, per quam anima perturbetur? Nequaquã: quia si illi aliquam formam creant per se subsistentem,illam seorsum creant ab anima:non ergo per illius creationem anima perturbatur.Sinautem vim aliquam infundunt in animam,vis huiusmodi benefica est:cũ ab optimis causis venerit animę ipsius conseruatricibus : ergo per ipsam non interit anima, sed seruatur.

Septima ratio:quia esse suum habet in sua essentia.

Cap. 7.

H ALiud essentiam vocamus, aliud esse. Essentiam quidē dicimus rationem rei, quæ definitione comprehenditur. Esse vero actum ipsius essentiæ, & quandam eius in rerum natura præsentiam. Exemplū accipe de Crinita: essentia Crinitæ est ratio hęc ipsius & definitio, vtputa vapor siccus in aëre summo accensus ab igni: perque aërem ordine circuiens. Quæ quidem definitio hodie vera est, etiam si nusquā hodie Crinita effulgeat. Esse vero crinitæ huiusmodi quiddam dicitur vt videlicet talis illa natura crinitæ, quæ per definitionem quotidie designatur, *iam nunc alicubi luceat*. Esse hoc absque certo loco & tempore non fit. Non aliter enim fit illa essentia præsens, quam hîc vel ibi, hac hora vel illa. Igitur esse naturalium rerum certo loco eget & tempore. essentia iis non indiget. Vera enim est crinitæ ratio illa, etiam si ad præsens crinita nusquam caleat. Immo si definitio illa certum includeret tempus & locū, puta hodie hîc, aut cras ibi: in eadem vtique hora, eadémque aëris plaga, in qua vna crinita existit, cunctæ simul essent crinitæ. In singulis enim crinitis inest communis crinitæ essentia & ratio eadem. Quòd si ratio hæc certo sit loco temporique adstricta: ad eosdem terminos loci & temporis crinitæ omnes adstringerentur: quemadmodum rationalis potentia cum in definitione hominis includatur, singulis hominibus conuenit. Essentia itaque & esse naturalium rerum hoc inter se differunt, quod esse certo loco temporique adstringitur: essentia verò quantum in se est, ad omne tempus ferme omnemque locum æquè se habet. Siquidē humanitas ipsa non
I minus seculis aliis quàm nostris, aut in oriente minus quàm occidente potest consistere. Plato verò & Socrates hoc aut illo, vt sint & viuant, loco egent & tempore. In ipsa humanitate essentia designatur: in singulis istis hominibus esse conspicitur. Igitur essentia à singulis temporis & loci limitibus est exclusa. Quapropter ad sui conseruationem per sui natu ram, nullo indiget loco: neque terminos habet tēporis, quibus aliquando excedatur: quandoquidē ab huiusmodi terminis est exempta. Vbique ergo viget, & semper. Essentia igitur omnis secundū seipsam dicitur immortalis. Talis autem est per naturam suam formæ cuiusque essentia. Verum cum omnium auctor formarum gignit essentias, at-

que illas ineſſe producit, alias ad tale eſſe determinat vt exiſtant in corpore: vnde eſſe talis eſſentiæ ſiue formæ talis, ad corporales conditiones ab agente contrahitur. Quando eſſe ad corpus contrahitur, iiſdem quoque eſſentia limitibus coarctatur. Conditiones naturalium corporum ſunt, vt locum impleant, & tempore moueantur. Idcirco forma illa quę per A
ſe ſuper certum tempus locúmque fuiſſet, tempus iam proprium ſubit & locum. Quia tempus ſubit, ideo incipit paulatim, mutatur, & deſinit. Quia locum: ideo dum corpus ipſum in quo illa iacet, contrarias quotidie ſuſcipit qualitates, illa quoque qualitatum huiuſmodi tempeſtate turbatur: fitque mortalis. Tales ſunt formæ qualitatéſque corporum. Alias autem formarum eſſentias auctor ille ita in eſſe producit, vt ipſum ſuum eſſe non in alia quadam re aut materia ſortiantur, ſed in ſeipſis contineant. Tales ſunt formæ omnes à materiæ commercio alienæ. Eſſe nanque ſuum in ſeipſis habent, non in materia. Quicquid autem ab aliquo capitur: pro captu eius quod capit, accipi ſolet, atque ad eius trahi proprietatem. Eſſentia verò quælibet per ſe immortalis eſt. Ergo eſſe quod ab ipſa eſſentia capitur: quoniam à re immortali per modum capitur immortalem, efficitur immortale. Quapropter forma quę eſt à materiæ ſocietate ſeiuncta, vndique, id eſt, tam ſecundum eſſe ſuũ quàm ſecundum ſuam eſſentiam eſt immortalis. Talis eſt eſſentia tertia rationalium fons animarum.

Octaua ratio, quia eſſe proprium habet, & nunquam à ſua forma diſcedit. *Cap.* 8.

GEneratio & corruptio ita ſibi inuicem opponuntur, vt B
ad contradictoria tendant: & generatio via quędam ſit ad eſſe, corruptio via ſit ad nõ eſſe. Vnũquodque autẽ ex eo tendit ad eſſe, quod certam quandã accipit formã: ad non eſſe verò ex eo, quod formam ſuã amittere cogitur. In artibus nullum opus tale aut tale eſt propter materiam, ſed propter formam. AEneus equus aut homo non propter ęris materiam talis dicitur, quippe cũ æs ad omnium animaliũ figuras ſuſcipiẽdas ęquè ſit prępparatũ: ſed ꝓpter equi aut hominis formã quandã ſimilitudinẽque ab artifice ꝓfectã.

Hæc pars æris æquus dicitur: illa homo. In natura similiter materia quidem non illud est per quod Plato est homo, aut ficus est arbor. Eadem quippe mundi prima materia hominibus, brutis, arboribus est communis. ac multa ante Platonem secula, multa etiam post Platonem, materia illa eadem extat, Plato verò nequaquam. Igitur non propter materiam Plato humanam habet speciem, sed propter complexionē corporis talem, atque animam, quæ formæ dicuntur. Simili
C ter de aliis iudicandum: ac summatim concludendū, quodlibet à forma habere proprium suum esse, naturam, & speciē ab aliis differentem. Quapropter quicquid esse desinit, ipsum esse suum amittit, ex eo quòd à forma propria separatur: sicut esse anteà cœperat quando formam propriam fuerat consecutum. Ideo res ex materia formáque composita, puta ignis ex mole sua & naturali caliditate compositus, interit quādo à sua forma seiungitur. Potest autem frigus aquæ vel terræ se materię ignis insinuare, atque inde naturalem caliditatem ignis formā expellere: qua expulsa desinit
D esse ignis. Sic ignis ille ex materia & tali quadam caliditate compositus, esse amittit, quando suam amittit caliditatem: suam inquā substantialē formā cū eius proprietatibus: quā nunc (quoniam manifestum nomē non habet) caliditatem disputandi causa nominamus, caliditas autē ipsa quando esse suum amittit cum sit forma, & à forma sit esse. Quando videlicet ex materia illa depellitur. In rebus enim compositis naturaliter esse tribuitur toti, non partibus. Nempe esse ignis ipsius, cōpositi est proprie, non materiæ solius, neque caloris. Nam cum calor in ignis generatione ab agente naturali ex materiæ semine eductus fuit: ea conditione fuit p omnē materiā ignis extensus, vt inde omnino penderet: neque esse propriū sibi calor haberet, sed per ipsum cōmune esse totius ignis, calor quoque esse diceretur. Esse autem illud commune tunc cessat, quando duæ illæ partes à se inuicem disiunguntur. Quando esse cōmune cessat, perit & forma quæ per esse cōmune vigebat: Materia verò non perit: quoniam subito aliam suscipit formam, per quā existat: ita vt dum certum amittit calorē, esse igneum amittat. Dum
E certā quandā frigiditatem accipit, vel humiditatem: esse capiat terreum aut aqueum. Conclude, rem compositam, vt ignem

gnem & aquã, tunc interire, quando à sua forma seiungitur: formam verò illam perdi, quando à formantis lege discedit. Sol qui genuit ignem, ignis formator extitit. Is ea lege calorem ex fomite materiæ illius eduxit, vt in ea materia iacens sub esse compositi totius contineretur. Hanc legẽ transgreditur, quando ex illa abit materia. Abit, quãdo fugatur à frigore. Quod ergo neque à sua forma neque à formantis lege discedit, quonam pacto interit, cum esse cuiusque à forma procedat, & formantis lege seruetur? Anima verò propter tertiæ illius essentiæ proprietatẽ mera quędam forma est, non composita ex materia & forma, neque recubans in materia. Ideo in seipsa permanens: quicquid in se est, nihil est aliud præter formam. Ipsa igitur sua essentia nõ formatur per aliud quicquam: sed sui ipsius est forma, id est ipsamet forma est. Nihil est autem quod per se à sua essentia seiungatur: quia nihil à seipso discedit. Omnia siquidem naturali instinctu nixúque perpetuo seipsa seruant pro viribus, sibique inhærent. Igitur anima si nunquam à se disiungitur & ipsa sui forma est: nunquam à sua forma disiungitur. Itaque nunquam desinit esse: cum esse à forma semper hauriatur. Sua quidem sponte à se non separatur: vt diximus. Sed neque etiam ab extrinseca violentia cogitur, vt à seipsa secedat: quoniam quicquid extrinsecus accipit, suo quodam accipit modo. Ipsa planè spiritalis est, atque à loco & tempore absoluta: ergo spiritali modo & absolute accipit omnia. Spiritalia verò & absoluta quando ab aliquo capiuntur, nequaquam interimunt. Spiritalis nanque susceptio cũ fit in corporibus, corpora ipsa licet sibi dissimilia non corrumpit: vt simulacrorũ susceptio in aqua & speculo. Multo ergo minus corrumpet rem spiritalẽ sibi persimilẽ. Præterea cũ absolutum illud quod ab animæ essentia suscipi fingebatur, æternum sit: cur susceptaculum suum interimat? An vt ex illius materia seipsum alat? Non, cum alimento non egeat illud quod est æternum. An vt seipsum propaget, generetque ex illius materia sibi simile aliquid? Nequaquam. Non enim eget propagatione, quod semper idem manet: neque etiam potest ex re corruptibili perpetuam generare. Non ergo corrumpit quicquã, vt perpetuum aliquid sibi simile generet. Nullo itaque modo potest quicquam animæ essentia cape-

re,à quo perdatur.Meritò non potest capere omnino noxiũ quicquam,cum materia careat:quæ primum & propriũ pas
G sionum talium dicitur receptaculum. Immo verò si ista essentia sui ipsius est forma,inter eam & formam suam nihil vnquam intercidet. Nam si quid mediũ aliquando inter ipsam & formã suam caderet:fieret profectò illud ipsius formæ propinquius,quàm ipsa eius essentia. Essentia verò ipsa est ipsamet eius forma.Ita fieret ipsi aliquid propinquius,q̃ ipsa sibi:quod est omnium absurdissimum. Quapropter nihil se inter eam eiúsve formam inserit medium.Si ita est,illa à sui forma nullo interueniente disiungitur.Sed neque etiam sponte seiungitur sua: quare nullo modo à se ipsa suique forma discedit.Neque etiam à formantis discedit lege. Ea siquidem lege creata est,vt in seipsa consisteret. Semper autẽ ita permanet.Ex eo enim statu à nullo deiicitur: Non à se ipsa: nam res quæque speciem & dignitatem suam pro viribus sibi conseruat. Non à superioribus causis: quia illę qua lege eam produxerunt,in eadem & continent.Non ab inferioribus.Superius enim ab inferiori non vincitur.Quãobrẽ anima,quia mera forma est, ideóque neque à sui forma,neque à formantis lege discedit:permanet proculdubio immortalis.

Nona ratio, quia ipsi per se conuenit esse.
Cap. 9.

QVod alicui per se conuenit,nunquam separatur ab ipso:Rotunditas suapte natura circulo ineſt:atque ideo nullus vnquã sine rotunditate est circulus. Ligno autem quandoque rotunditas ineſt:non quia lignum est(omne enim lignum alioqui rotundum esset)sed quia ab artifice figuram accipit circularem,quam rotunditas comitatur: ideo tunc rotunditatem capere cogitur. Desinit aliquando lignum esse rotundum, cum primum esse desinit circulare: deinde restat lignum,sed non rotundum.Figura verò circularis ita necessario rotunda est,vt si desierit esse rotunda,esse etiam desinat circularis.Similiter calor igni per se conue
A nit,humor aquæ,soli lumen.Non aliter & formæ esse per se conuenit.Nam quicquid aliquid est in aliqua specie:id certe

quod est, à propria quadam forma sortitur ad talem speciẽ conducente. Quoniam igitur esse proprium cuique per formam propriam competit, sequitur vt esse cõmuniter & simpliciter per genus ipsum formæ conueniat. Vnde oportet ipsam formam fontẽ dici essendi, & per se esse. Quòd si per aliud esse dicatur ab aliquo, interrogabimus vtrũ illud per quod forma dicitur esse, naturam formæ habeat, an materiæ, non materiæ: quia videmus in compositis singulis esse cuiusque proprium, non sequi materiam. Ergo neque in hac ipsa forma per quam res compositæ sunt, illud per quod ipsa est, vim habet materiæ: ergo formæ. Ita quęstio redit in idem: Vtrum forma illa alia per quã forma est, per seipsam sit: an per aliud quippiam? Si per se: tunc constat formã fontem essendi dici debere. Sin per aliud: tunc quæremus vt antè: atque in infinitũ erit progressio. Quapropter formæ per se conuenit esse. At enim formarum conditor ad certum operis mũdani finem integritatemque formas ea distinctione producit in esse, vt singulas naturaliter ad certũ esse determinet: & alias quidem ad esse in corpore: alias ad esse in seipsis absque materia. Forma impressa materiæ, non proprie est, neque proprium habet esse, sed dicitur id, quo compositum ipsum est: & ipsa per commune esse totius existit. Si esse formæ per se congruit, hæc certè forma quæ est in corpore, quia & ipsa forma est, id habet, vt & ipsi esse per se conueniat. At quomodo, cum à materia pendeat, & sub esse totius compositi contineatur? Attende, esse per se conuenit illi: id est, per se sequitur illam. Sequitur inquã per se, id est, secundum naturã suam. Quid enim aliud per se significat, quàm per sui naturam? Natura sua talis est, qualem sibi suus opifex assignauit. Opifex autem statuit vt materiæ inhæreret. Hæc itaque natura, suæ est inhærere materiæ. Per hanc naturam esse eam sequitur. Ergo esse eam sequitur per se eã inquam, materiæ inhęrentem: ita prius quodãmodo illi cõpetit materię infigi quàm existere. Quare tãdiu existit, quãdiu hæret materię. Non hæret autem semper quia materia omnibus parata formis, locum sæpe dat formis contrariis priores formas inde pellentibus. Non ergo existit semper. Forma verò illa quæ ita à conditore est ad esse determinata, vt in seipsa consistat seorsum à corpore: etiam quia for-

ma est,habet illud,vt esse sibi per se conueniat:per se inquã, per naturam suam.Natura ipsi assignata est sibimetipsi hęrere. Igitur esse suum eam sequitur quantum sibi hæret: id est, existere suum eam sequitur ex subiecto minime pullulantem.Et quotiens dicis,esse per se sequitur eam,totiensdicis:esse eam sequitur sibiipsi hærentem.Nihil autem à seipso discedit. Quid enim intercidit inter se & ipsummet,quod separet ipsum à semetipso?Si quatenus hæret sibi, eatenus est:quia hæret semper,est & semper. Talis quidẽ forma est anima.Est igitur immortalis.Sed potest aliquis huic rationi sic obiicere,quòd quemadmodũ ignis qui per se calet, calet semper dum est:non tamen est semper ex quo etiã non calet absolute semper: ita etiam animæ essentia quia propriè & verè forma est in seipsa subsistens,ideo per se est : & quia per se est,ideo est & semper:scilicet dũ est.Non tamen semper est.Ergo non est semper.Hæc obiectio duabus de causis ridicula iudicatur.Primò sibimetipsi repugnat, quando ita contexitur.Forma illa per se est:ergo semper est,dum scilicet est:non autem est semper. Quatuor enim hic orationes sunt:quarum secunda illa quæ dicit.Ergo semper est:posteriori huic contradicit quæ infert.Non autẽ est semper.Deinde obiectio huiusmodi abundat superfluis,quando addit: dũ scilicet est.Istud siquidẽ,dum est:non potest dici aliud est quàm primum illud vbi dicitur,semper est. Sic enim esset eadem in re geminum est,& geminũ esse : neque existeret res vna quædã,sed duæ.Hinc sequitur vt illud est quod ponitur quando additur,Dum scilicet est, sit illud idem quod iam erat positum quando prius dicebatur.Est semper.Quæ sunt eadem:eadem sunt ratione tractanda. Idcirco si primũ est,absolutè profertur:ita secundũ est, absolutè proferri debet absque illa dictione,Dum scilicet est.Ergo dici oportet: Est,semper est,est non autem addendum, dũ scilicet est.Vel si addis illi primo est, illud postea,Dum scilicet est : adde & huic secundo est,quod sequitur post:dum scilicet est.rursus illud dum scilicet est, & huic tertio est: rursus,dum scilicet est.atque ita in infinitum: neque vsquam reperies primam essendi radicem,per quam competat illi rei quod sit, sitque semper. Quod autem radicem essendi non habet : nihil est omnino. Age iam siste pedẽ. Forma illa separata,qualis est

anima, per se est: ergo est semper. Quin etiam si idem prorsus existeret esse atque calere: quando ita componis, Ignis quia per se calet, calet semper: adderes protinus: Calere & esse idem est: ergo est, & semper. Nunc autem non potes eo modo concludere: quia non idem est esse: atque calere: alioqui quæcunque sunt, calerent: & quicquid calere desinit, desineret esse quod non accidit. Itaque ignis semper dum est, calet: quia prius quodammodo est, & postea calet. Et quia est se est ante calere, & aliud quàm calere, ideo per aliquod medium videtur calor essentiæ ignis inesse: ita vt primò ponatur ignis essentia, secundò eius esse, tertio loco calere. Immo verò essentia ignis sortitur esse per id quòd hæret materiæ. Prius enim quodammodo latet in materiæ sinu, quàm edatur in lucem. Et sicut latuit antequam existeret, sic etiã hæret postea, vt non cesset existere. Sortitur quoque calere per id quod possidet esse. Quapropter calere desinit, quando desinit esse: desinit esse, quando desinit inhærere. Sed animæ essentia quoniã est forma soluta, esse sortitur per semetipsam: & in ea ipsum esse est primus & proprius actus essentię: nec vllum vinculum est per quod esse cum essentia cõnectatur, quo soluto accidat dissolutio. Ac licet tam calere quam esse per aliquam conditionem conueniat ignis essentiæ: animæ tamen essentiæ non conuenit esse per conditionem vllam, sed absolute. Idcirco licet ignis cum certa quadam coditione sit & caleat semper, anima tamen semper est absolutè.

Decima ratio, quia per se, refertur ad deum.
Cap. 10.

SIqua tamen videatur esse conditio cuius virtute anima sit semper: ea non est per respectum aliquem ad corpora quorum adiumento non eget: sed per respectum ad causam primam, vnde descendit. Sed & respectus huiusmodi quoniam per ipsammet animæ naturam completur, nihil prohibet quin anima per se & absolute & absque conditione sit semper. Quod quidem hac ratione inuestigabimus: quoniam à prima rerũ causa cuncta dependent, eatenus singula in suo esse permanent, quatenus ad primã causam referuntur. Respiciunt autem illam vt aliquam ipsius similitu D

dinem gerunt. Causa illa actus purissimus est, ab omni materiæ proprietate alienissimus. Huic actui res inferiores nõ ex sua materia, sed ex forma potius (quæ actus quidam existit) similes iudicantur. Quo fit, vt per formam suam omnia primam respiciant causam. Quare quæcunque ex materia & forma composita sunt, vt elementa, & mixta: non per se, neque per totam sui naturam, sed per partem illam sui duntaxat quæ forma dicitur, causam primam respiciunt. Argumentare hunc in modum. Vt ad primum principium referuntur, ita sunt: referũtur autẽ per aliud: ergo per aliud sunt. Quę sunt per aliud: stabilia non sunt in seipsis enim relicta, in nihilum euanescunt. In se ergo sunt nihil, quæ sunt per aliud quicquid existunt. Talia profectò sunt naturalia corpora. Corporales verò formæ quales? Certè similes. Forma
A enim corporibus insita, excellentiam quidem amisit suam: & corporalis prorsus euasit: siquidem omnes conditiones corporis iam subiuit. Conditiones corporis duę sunt: secundum locum extensio: & secundum tempus mutatio. Forma
B verò immersa corporibus, cum latitudine corporis dilatatur, & mutatur corpore permutato. Quoniam igitur facta est penitus corporalis pristina excellentia destituta, p se quidem minimè est, vt diximus alias: & esse nullum habet proprium: sed ita cum materia copulatur, vt vnũ sit esse totius. Si ergo per se non est, per se certè nõ agit. Ideo si referatur ad primam causam, per aliud aliquid referetur: per illud videlicet, per quod est. Est autem per formam aliã sublimiorem, à materia liberam: à qua etiam pendet in materiã continuè, quemadmodum à vultu hominis imago in speculũ: p quam ad primam causam assiduè quoque refertur. Si ergo omnino per aliud est forma corporea: cum etiam ad primũ principium per aliud referatur, quidnam est illud per quod tã corpus naturale quàm eius forma refertur ad primum? Sane est essentia illa tertia, quam supra corporum qualitates iam pridem locauimus. Essentia verò huiusmodi eodem modo ad deum refert corporum qualitates, quo eas efficit in materia. Efficit autẽ operatione sua. Operatio sua est mobilis. Per agitationem igitur generat, per agitationẽ & refert. Itaq; refert mirabiliter. Hinc sequitur, vt naturalia corpora, eorumque formæ, quia per aliud perque motum refe-

runtur in deum: neque per se sint, neque stabilia, sed vacillēt prorsus: & pereant. Essentia verò tertia quia suiipsius est forma, immo ipsamet forma est, & forma à materia libera, idcirco per se refertur in deum. Vt refertur, ita est. Ergo est etiam per seipsam. Refertur autem per essentiam suā, illa stabilis est. Quapropter ad stabilem deum per stabilem sui ipsius essentiam relata, stabilis permanet. Nempe essentia hæc relationis suę causa est: ratio perfectionis. Seipsam vero nūquam deserit: nunquam ergo desinit seipsam referre: nunquam seipsam perficere referendo. Deus quidē semper exuberat: illa semper haurit. Igitur tum ex parte hausti, tū haurientis, semper quidem esse ipsum bibit: ac permanet immortalis. C

Vndecima ratio: quia non componitur ex aliqua potentia in quam possit resolui.

Cap. II.

Sicut generatio fit per coniunctionem formæ cum materia: ita per separationem formæ à materia fit corruptio. Vbi non est harū rerū coniūctio, non accidit separatio. Talis autem compositio non est in anima. Sed rationē hanc latius prosequamur. In corruptione cuiusque rei perditur ip se rei actus: sed post illum supereſt aliquid quod suberat illi actui: veluti potentia aliqua susceptiua: ne fiat corruptio in nihilū: sicut non fit ex nihilo generatio. Res quidē ex forma materiáque composita, resoluitur in materiam. Forma quo que illa quæ ex materiæ fomite educta fuerat, reducitur in materiæ fomitem. In anima verò actus ipsius est ipsum suū esse. Essentia verò & substantia eius est illa ipsa potentia quę essendi actui subest. Non enim est in formis absolutis ferme alia compositio, quàm ex essentia atque esse: aut similis. Essentia locum materiæ & potentiæ tenet, esse verò locum formæ & actus. Si corrūpitur anima, perditur eius esse omnino. Sed nunquid etiam essentia? nequaquam. Nulla enim res in nihil resoluitur: quia res quę vsque adeò est simplex, vt non aliter resolui possit, quàm in nihilum: etiam talis est, vt sit à deo facta per creationem ex nihilo. Quę autem talis est, soli auctori suo subest deo. Dei verò influxus vitalis atque beneficus nihil interimit. Itaque si anima destruitur: li- D E F G H

cet amittat esse eius, tamen essentia remanet. Quod etiã inde constat, quòd quanto nobilior res est, tanto nobiliorem habet materiam, nobiliorem & formã. Animæ sunt admodum præstantiores corporibus. Igitur sub illarum esse tanquam sub forma & actu latet materia quædam & potentia siqua latet, præstantior quàm sub forma & sub esse corporis cuiuscunque. Quod autem tenet in animabus primæ materiæ potentiæque locum, ipsa earum essentia est. Itaque essentia illarum eminentior est, quàm materia corporũ. Materia corporum incorruptibilis est: ergo quid mirum si esse potest incorruptibilis illa? Quo fit vt siquando anima esse suum fingatur amittere, superfit necessariò adhuc essentia atque substantia. Hæc si supereſt: est certe. Si est adhuc: esse nondum est amissum. Ita anima si corrumpi dicatur, etiam
I post corruptionem necessariò supereſt. Immo etiã viuit. Esse nanque animę nihil aliud est quàm viuere. Sed ne quis dicat ipsum animæ esse resolui in essentiam, atque essentiã vlterius non exiſtere, quia sit absque actu, quanuis potentia forte superfit alicubi: meminisse oportet essentiam illã non posse in materiã potentiámve materiæ redigi: quia neque ex materia constat tanquam parte sui: neque ex materię potentia pullulat. Rursus non posse resolui in potentiam causę alicuius agentis, nisi forte in dei virtutem, qui solus animã procreauit. Non autem ob id moritur animus, quod in primã vitam resoluitur. Moreretur autem, si reductus in deum desineret esse animus. Atqui sicut figura cerea sigillo impressa quando sigillo penitus adęquatur, non destruitur, sed in speciem suam redintegratur: sic essentia animi si quando ideæ per quam deus eã in certa essendi specie disposuerat, admouetur: in esse pristino confirmatur. Maximè enim sequens actus roboratur à primo. Nam quomodo deus esse potest terminus in quẽ corruptio tendat, cũ sit efficiens terminus, vnde & à quo omnis creatio generatioque deducitur? aut quo pacto deus qui actus est purus, nascente anima ad animæ ipsius compositionem concurrit? Ita, vt quemadmodũ ex materiæ potentia & actu potentiæ addito, forma fit corporalis, & in eam potentiam denique actus formæ resoluitur: sic ex dei potentia quadam & adiecto quodam actu, fiat animus: qui tandem in dei potentiã quasi materiã resolua-

tur. Non enim gerit vnquam materiæ vicem, qui primus est actus. Afferet aliquis, essentiam animæ neque in materiam neque in deum resolui, sed ipsam se statim in se recipere, esse priore sublato. Verum sicut materia corporalis absque actu corporali esse nequit: ita neque spiritalis seorsum à spirituali. Quapropter essentia quæ est materia spiritalium, & ad esse spiritale quasi actum aliquem comparatur: nunquã segregatur ab esse: ab esse inquam spiritali. Nisi forte quis dicat essentiã animę, dum esse aliud exuit, aliud induit: ac tales in esse spiritali vices hanc essentiã variare, quales in formis suis materia variat. Absurdum id quidem dictu: tũ quia essentia spiritalium stabilior est quàm materia corporalium: tum quia essentia animæ cũ propria ipsius animæ ratio sit, non esse aliud omnino & aliud respicit pariter, sed esse solũmodo animale, secundum certam videlicet animę speciem. Materia quidem cõmunis absque hoc actu vel illo esse potest: materia verò propria absque proprio actu nequaquã. Quapropter essentia animæ quæ in tali specie animarũ est, nunquam actum speciei alterius animarum suscipiet: neque migrabit rursus essentia in eadem specie de animo hoc in illum: ne mobilis ęquè sit ac materia corporalium. Immo si materia cæli eadẽ forma cõtenta est semper, vt placet quãplurimis: quid mirum materiam animi spiritalem eodẽ essendi actu semper esse contentam? Ea essentia, vita est: hoc esse, viuere. Semper itaque viuit. K L

Duodecima ratio: quia non habet in se potentiam ad non esse. Cap. 12.

NVlla res corrumpitur vnquã nisi habeat in se potentiam ad non esse. Si enim nequiret non esse: nunquã esse desineret. Anima nullam habet talem potentiã: quoniam anima nihil aliud est apud Platonicos, nisi forma simplex per se subsistens: in essentia quidem sua perfecta & integra: ad speciem quoque animalis efficiendã conducens. Actus quidem existendi ibi est, in ipsa, scilicet, forma integra & perfecta. Siquidem per formæ integritatem est vnũquodque. Igitur proprium subiectum ipsius esse ibi, est sua forma atque essentia. Vbi autem erit potentia ad non esse, A

quod est ipsius esse oppositum? Nunquid in ipso esse? At quomodo vnum repugnans vim habet ad repugnans alterum capiendum? An in ipsa essentia? Neque hic quidem. Nã si essentia ex eo quod simplex & integra forma est, proprium est ipsius esse subiectum: quomodo habet potentiam ad non esse, quod dicitur esse ipsius oppositum? Quo enim pacto propria substantia ignis, quæ proprium caloris talis subiectum est, habet ad frigus suscipiendum potentiam aliquam per quam & frigus accipiat, & maneat ignis? Atqui in his ipsis substantiis corporalibus mortalibúsque non est potentia ad non esse, quantum sunt in specie sua cõpletæ substantiæ, formáque præditæ (secundum hoc enim existunt). Sed quantum illis subest materia prima, quæ nunquam sub tali aliqua forma quiescit. Hæc vero abest ab anima. Nus-
B quam igitur potentia ad non esse in anima reperitur. Est igitur immortalis. Sed hanc rationem planius exponamus. In rebus iis quæ ex forma & materia cõponuntur, id accidit, vt materia opus ipsum quodammodo antecedat. Quis enim dubitet quin materia prius quodammodo sit quã formetur? Accipio materiam hanc operi faciundo quodãmodo præcedentem: atque interrogo: vtrum opus illud ex natura huius materiæ fore necessarium sit an impossibile, an forte possibile? Non necessariũ: quia sic materiæ vis statim per seipsam operi necessitatem daret, neque præstantiore aliquo egeret formante: nunc verò indiget: quia quod est informe, formare se nequit. Igitur quantum ad materiam attinet, futurum opus non est necessarium. Nunquid impossibile? Neque hoc quidem. Sic enim esset materia adeo ad opus illud inepta, vt nunquam ad illius formam atque effectum perduceretur. Si quantum ad materiam spectat, opus
C agendum neque necessarium est, neque etiam impossibile: restat vt sit possibile. Hoc enim inter duo illa est medium, possibile inquam esse, atque non esse. Nam si ex natura materiæ foret possibile esse solum: foret absque dubio necessarium. Sin ex natura eiusdem foret solum possibile nõ esse: foret impossibile. Quapropter cum ex natura materię opus ipsum possibile sit esse pariter & non esse: constat quod in ipsa materia quantum ad faciendum opus est potentia ad esse pariter atque non esse. Cum verò simplex materia sit,

ex naturis pluribus non composita: eadem natura materiæ est potentia ad esse atque non esse: quoniam est indifferens ad vtrunque, neque ex se ad alterutrum terminatur. Superiori ergo agente indiget, quod eam formando ad esse determinet. Accipit ab illo formam leonis, vnde fit leo: & materia ista leonis, quæ antè habebat in se potentiam ad esse leonem, atque non esse, iam nunc ad esse leonem determinatur. Sed nunquid adhuc restat in materia prima eadem illa indifferens ad vtrunque potentia? Si non restaret, cessaret D protinus natura materię: neque quicquam ex materia fieret & constaret, si statim cum fit aliquid, materia prima natura priuatur sua, peritque. Ergo cum restet leone iam genito potentia eadem illa secundum speciem in materia non propinqua leoni, secunda que, sed prima, potentia inquam ad esse pariter, atque non esse: id accidit, vt quemadmodum per illam potentiam esse leo quandoque cœpit, cum prius non fuisset: ita per eandem esse quandoque desinat, postquam fuit: quoniam potentia ad extremum vtrunque indifferens, vel ad neutrum vertitur, vel æquæ atque vicissim vertitur, ad vtrunque: & sicut ad esse ex non esse conuersa est, ita vicissim ab esse vertitur in non esse. Atque hinc sequitur re- E rum corruptio corporalium. Verum rationalis anima cum sit forma simplex, vnde motus exoritur in compositis: non potest ex aliqua materia præcedente, & subsequente forma facta fuisse: & cum sit forma in se subsistens, non innixa materiæ, quia & supra & infra materiam progreditur iudicando: non est composita ex aliqua potentia materiæ, velut animæ inchoatione: & actu potentiæ addito, velut ipsius animæ perfectione? Neque igitur ex materia constat: neque extat. Si talis est: ex nihilo processit in lucem. Eius ergo solus deus est auctor: vt aliâs ostendemus. Atqui hæc nisi potuisset fieri, nunquam profectò facta fuisset. Quapropter præcessit animam nostram nascendi potentia. Vbinam erat illa potentia. Non in anima, quæ nondum erat. Non in parte animæ, quę est simplex, & tota simul efficitur: non per partes. Non in materia aliqua: quoniam anima à materia non dependet. Non in nihilo: F non enim potentia ipsa essendi fundatur in nihilo. Nam quo pacto alterum oppositum sit oppositi & contradictorij

alterius fundamentum? Esse vero & non esse contradictoria sunt. Restat vt illa potentia in solo animę auctore fundetur deo. Igitur potentia essendi per quam anima ad esse producitur, ipse solus immortalis stabilisque est deus. Potentię verò secundum congruentiam respondet actus. Actus ergo illi potentiæ diuinæ respondens, est stabilis per essentiã. Talis actus est anima. Et quemadmodum in deo eadem potentia est per quam & deus potest facere animam, & anima fieri: sic in anima idem actus est, id est, nixus idem, per quem & anima subsistit in natura sua: & deus eam sistit in ipsa. Quo fit, vt non minori desiderio deus animam in natura animæ sistat, quàm substat anima in eadẽ. Quæ cum soli subiiciatur deo: si perimenda est ab aliquo, ab illo est perimẽda. Ab illo verò nõ potest. Quomodo enim causa alicuius effectrix & conseruatrix, erit quoque corruptrix eiusdẽ? Aut quo pacto ipsum bonum cuiquam pernicioſum est? Aut prima vita & infinita vita est alicui mortis origo? Dicet aliquis, Non perimit deus animam, vim nouam aliquam inferendo, sed vim antè illi tributam auferendo, id est, subtrahendo influxum suum per quem anima vixerat: sicut qui intuitu imaginem suam creat in speculo, subtrahendo vultũ desinit imaginem procreare. Sed contingere hoc ibi non potest: vt paulo antè ostendimus. Rursus, si deus nunc infundit animę vitã, postea non infundit: mutatio ibi prouenit ab infundendo in non infundendum. Quæro, vtrũ anima desinat haurire vitã: an deus infundere? Non desinit anima haurire: quippe infusio vitæ in essentiam animę fit: quoniam vita est primus actus essentiæ, cum primum acceperit esse. Animæ essentia est immobilis: quoniam à stabili deo sine medio pendet: quia stando & quiescendo perficitur. Turbatur motu. Attingit stabilia. Regit caduca. Sistit mobilia. Colligit dissipata. Conciliat repugnantia. Nec est in ea potentia illa adesse pariter atque non esse, qualis est in corporibus: quæ est totius mutationis initium. Non igitur cessat animę essentia vnquam vitæ actum accipere: non cessat deus eundẽ infundere. Solis nanque illis significauit deus se vim suã aliquando infundere cessaturum, quibus ab origine inseruit procliuitatem illam ad non essendum. Prętera deus naturę institutor nunquam rei quicquam subtrahit, quod rei illius est

proprium. Propria animæ vita est, vita inquã perpetua: quia quantum rationalis est, etiã absque disciplina & vsu per solam eius naturæ virtutem quotidie in se parit species absolutas, per quas proximè ad ęternas itur ideas. Si naturale est animo rationali ascẽdere ad ideas, naturale est ipsi quiescere in ideis: vt sicut naturaliter illis vixit, ita naturaliter viuat in illis: & qui operabatur secundum naturã assiduè ad perpetua: operetur quandoque secundum naturã perpetuo in perpetuis. Et quia idea quæque æterna vita est: qui secundum naturam suam ideam per ideæ modum potest consequi, potest etiam per modum æternum vitam consequi sempiternam. A

Tertiadecima ratio: quia esse à deo accipit sine medio.

Cap. 13.

QVanquã Plotinus & Proculus aliique nonnulli Platonicorum animam fieri arbitrantur ab angelo, tamen Dionysium Areopagitã, Origenem & Aurelium Augustinum Platonicos excellentissimos sequor libentius, qui animam putant à deo vnico procreari. Quod equidem hac ratione demonstrari posse confido. Anima est forma ita simplex, atque ita libera, vt neque ex pluribus partibus cõponatur, neque materiæ visceribus eruatur. Quando igitur fit, non potest ex rebus vllis prius existentibus generari. Nõ enim ex rebus diuersis procul antè positis, deinde coactis in vnum conficitur: cũ careat partibus. Neque ex materiæ fomite prius informi, deinde formato: cum sit supra materiã. Igitur fit ex nihilo. Ex nihilo autẽ aliquid facere, dei solius est proprium. Nam ex ordine operum ordo causarum inue stigatur, causis enim effectus accõmodatur. Quare oportet effectus proprios in ꝓprias causas reducamus: atq; id quod commune in omnibus effectibus propriis reperitur, in cõmunem omnium causam referamus. Ita cum omnibus in rebus præter proprias singularum conditiones ipsum esse commune cunctis inueniatur: singularum conditionum & qualitatum causas singulas afferre debemus: ipsius autẽ esse B C

quod vnum omnibus est commune, vnam causam, omnibusque communem. Omnibus communis causa vnus ipse
D est deus. Igitur essendi re vera deus est causa: essendi verò hoc aut illud, hoc modo vel illo, aliæ quædam præter deum sunt causæ: ita, vt sis, à deo solo habes vt sis homo, etiam ab homine vt calidus sis, ab igne. Deus operibus esse dabit: aliæ causæ inter se diuersæ, diuersos essendi modos, & eos quidē virtute dei. Esse quidem illud quod post nihilum sequitur, esse dicitur absolutum. Statim enim post nihil sequitur esse
E simpliciter. Post esse simpliciter, sequitur esse hoc aut illud: aut tale esse vel tale: puta hominem esse vel equum: album esse vel nigrum. Non enim potest quicquam fieri hoc & illud & tale: nisi sit prius quod hoc illud & tale fiat. Quapropter esse tale & hoc & illud, haud cuestigio post nihilum sequitur: sed post esse ipsum simplex & absolutum. Cum igitur dei proprium sit, esse ipsum commune & absolutū cun-
F ctis tribuere: id verò esse ante omnes essendi modos sequatur post nihilum: solius dei officium erit aliquid ex nihilo in esse producere: vt primum quod datur omnibus, ipsum, scilicet esse, à prima sit causa: à sequentibus causis munera secunda vel tertia. Profectò quod naturæ alicuius est particeps, non potest eam naturam producere absolutā: quia cum id quod est tale aliquid secundum participationē, necessariò sequatur id quod est absolute, tale immo etiam sit per illud, quicquid ipsum est: si hoc illud gigneret: certe quod est posterius, rem seipso priorem, atque etiam sui ipsius causam gigneret, vbi gigneret & seipsum. Igitur Ariston, quia nō absolutus homo fuit, sed hic homo, in tali materia constitutus: humanitatem ipsam non genuit absolutam, sed hominem hunc, Platonem scilicet, & in materia tali. Quoniam verò quantum pertinet ad essendi naturam, quicquid sub deo est, esse ipsius est particeps, & esse non habet simpliciter, sed tale esse vel tale, in quadam essentia speciēque determinatum: sequitur vt res nulla subiecta deo, ipsum esse producat, sed talem quendam essendi modum tali cuidam materiæ tribuat. Quo sit, vt ad opus suum priori
G semper egeat fundamento. Præterea tam ars quàm natura quicquid agit, ex potentia quadam producit in actum. Sculptor ex lapide ita præparato ad statuam, vt quodammodo

habeat ſtatuam in potentia: ſtatuam actu fabricat: homo ex ſemine in cuius virtute homo eſt, generat hominem. Materia illa ex qua ars & natura aliquid faciunt, interdum H obediens multum & apta ad opus exiſtit: interdum ineptior: ita vt materiæ potentia aliàs minus, aliàs magis diſtet ab actu operis fabricandi. Parum diſtat aëris potentia ab ignis effectu: longè verò ab hoc aquæ potentia. Facile itaque eſt ex aëre, difficile ex aqua ignem accendere.

Vnde apparet tanto potentiorem eſſe oportere eum qui agit, quanto longius interuallum eſt inter potentiam illam & actum à qua in quem opus ſuum eſt deducturus. Diſtantia verò inter nihil & eſſe eſt, infinita: tum quia in nihilo nulla eſt proportio ad eſſe: tum quia nulla diſtantia maior hac eſſe aut excogitari poteſt.

Diſtantiam verò proportione & fine carentem ſola illa vis poteſt tranſcendere, quæ nullam habet ad alias vires proportionem: nec habet finem. Virtus huiuſmodi ſolus eſt deus. Omnia enim alia à dei potentia exceduntur. Solus itaque deus aliquid ex nihilo in eſſe producit. Præterea res I omnis præter ipſum deum creatura dicitur à theologis: & ex quatuor quibuſdam componitur neceſſario.

Ideo Pythagorici non ſolum in corporibus, verumetiam in ſpiritibus quodammodo ponunt quatuor elementa: quia vtraque conſtant ex eſſentia, eſſe, virtute, & actione. Nempe aliud in eis eſſentia eſt, aliud eſſe. Eſt enim eſſe, actus eſſentiæ. Quòd ſi præter hunc actum non eſſet illic eſſentia cui talis actus hæreret, eſſet actus purus & infinitus: quia non circunſcriptus ab vllo. Hic autem ſolus eſt deus. Rurſus eſſe ipſum ab omni eſſet participatione alterius abſolutum.

Deus ep actus pur

Omne vero tale vnicũ eſt in natura. Soli igitur deo conuenit. Merito autem creatura non eſt ipſum eſſe ſuum: quia ipſa ſuus actus eſſe nequit, cum habeat in ſe potentiæ paſſiuæ nonnihil immixtum: quia ſubeſt deo: potentia verò opponitur actui. Quoniam verò operatio differt ab eſſentia magis quàm eſſe ipſum, prius enim eſt K eſſentia quàm operetur: ideo vbi eſt eſſentiæ & ipſius eſſe diſtinctio, multo magis eſt diſtincta operatio ab eſſentia. Operatio quidem ita eſt virtutis eſſentialis actus,

ſicut eſſe eſt actus eſſentiæ. Quia verò creata eſſentia non eſt ſuus actus: ideo nec eſt operatio ſua. Alioquin operatio talis eſſet per ſe ſubſiſtens ab omni participantis limite penitus abſoluta. Quod tale eſt, vnicum diximus: & infinitum exiſtere. Sed nunquid operatio differt ab eſſe, ſicut ab
L eſſentia differre monſtratur? Proculdubio. Duplex enim eſt operatio: vna effluit extra operantem, vt calefactio: altera manet intus, vt cognitio & voluntas. Quæ effluit, ſine controuerſia diſtat ab eſſe, quod à re ipſa non effluit. Quæ manet, ob id etiam diſcrepat, quia eſſe creaturæ certa quadam rerum ſpecie clauditur. Operatio talis per genera multa vagatur: Immo vero intelligentia ipſa atque voluntas per infinitas. Illius enim obiectum eſt ipſum verum: huius ipſum bonum. Verum autem & bonum ſaltem tã late patent, quã ipſum quod ens vocatur. Operatio verò ab obiecto trahit ſpeciem: ergo operatio talis omnibus rerum omnium ſpeciebus induitur. Sed num differt operatio à virtute & virtus
M ab eſſentia atque eſſe? Certé. Primo enim, quia actus potentiæ ſemper opponitur: operatio quæ eſt actus, à virtute diſcrepat & eſſentia, quæ potentiæ quædam ſunt: & virtus ab eſſe, quod eſt actus: & ab eſſentia: quia potentiæ per ſuos actus diſtinguuntur: cum propria potentia proprium reſpiciat actum. Eſſentiæ actus eſt eſſe: virtutis actus eſt operatio: Igitur tanto inter ſe diſtant eſſentia atque virtus, quanto eſſe diſtat & operatio. Quorſum hæc tam multa? vt intelligas operationem cuiuſlibet creaturæ virtuti hærere: virtutẽ & eſſe eſſentię: ac nullam creaturam per ſubſtantiam proximè operari, ſed per virtutem operatricem, quæ eſt qualitas ſiue accidens: cum à ſubſtantia vndique diſtinguatur. Quotiens ergo aliquid operatur, qualitates quaſdã proximè generat, & eſſe dat quale habet ipſa, id eſt, inhærens alteri ſemp. Talia verò præcedente indigent fundamento. Quę fundamento indigent: ex nihilo non creantur. Ergo nulla creatura creat aliquid: nec iniuria. Operatio enim eius & virtus quia hę rent alteri: & quicquid hæret, non reſtat liberum atque integrum, ſed pro facultate ſuſcipientis accipitur: ſubiecti ſui limitibus finiuntur. Creatio verò operatricem virtutem exigit infinitam. Itaque anima à ſolo creatur deo. Sed forſitan
A putabit quiſpiam animam ita à deo fieri, vt per angelum tanquam

tanquam medium efficiatur, atque deus in ea creatione sit opifex, angelus instrumentum. Quæ quidem opinio ideo videtur absurda, quoniam instrumentum hanc habet naturã, vt ipsum ab alio motum moueat aliud: afficiat subiectum aliquod: formamque principalis agentis traducat in subiectum per temporis interuallum. Creatio autem neque subiectum exigit: neque fit motu vel tempore. Rursus, si creationis opus virtutem requirit immensam: quid absurdius, quàm ad id exequendum, virtutem ipsam quæ in deo immensa est, prius in angelo, cuius natura terminata est, termi nari, deinde opus illud quod ad immensam virtutẽ spectat, peragere? Ex suprà dictis concluditur, animam à deo summo sine medio procreari. B

Cur non perfectione pares inter se sunt angelus atque anima: cum vtraque à deo absque medio pendeant? Quia sub alia idea & ratione deus angelum producit, sub alia animã. Illum sub altiori idea: istam sub inferiori: quemadmodum ab eodem pictore homo & equus picti non æqué sunt pulchri. Pulchrior enim hominis figura, quã equi: quia pictor ad pulchrius suæ mentis exemplar, hominis picturam expressit, quàm equi. Sed finem iam sic rationi huic imponamus. Si animæ essentia proximè à deo fit, nihil inter eam & deum ipsius conseruatorem intercidit medium, quod ipsam à conseruante disiungat. Ac si solo deo eget vt fiat: solo etiam eget vt maneat: Et quia deus per eandẽ vim seruat creata, per quam creauit: ideo sicut ex infinita dei bonitate anima ex nihilo ad esse processit: ita per eandem in esse permanet procul à nihilo: vt vita deo proxima, diuinæ vitę simillima sit. Quod ita demum erit, si anima aut principio & fine caruerit, sicut deus: aut si habuerit principium, finem saltem nullum sit habitura. Timæi Platonisque sententia est, deũ mundi opificem per ideas, id est, exemplares absolutásque rationes sua opera procreare: proinde quicquid per talẽ aut talem proximè creatur ideã, semper tale perseuerare: quod verò deinceps, non necessariò semper, sed aliquando talẽ. Oportere enim effectum proximum causę prodire simillimũ, remotiorem vero minus similem, atque deinceps dissimiliorem semper euadere: adeò vt idea sit virtus & in seipsa simul, & sempiterna: virtus verò quę inde fit proximè, non in C

se, immo in aliquo sit: sed semper. Quæ autem sit deinceps: neque in se, neque semper per naturam suam vel eadē vel similis perseueret. Cum igitur rationalis quidem anima per ideam vitæ absque medio fiat: tali quadam proximæ originis potestate forma est semper viuens. Irrationalis autē cum inde per rationalem proficiscatur: secundū se aliquando viuens. Quod enim ab idea sola creatur actione, actione sit penitus stabili: stabilémque inde habet essentiam. Quod autem ab idea per animam quasi mediam nascitur: quoniam actione mutabili gignitur, mobilem secundum se inde naturam ducere cogitur. Secundum se inquam, quia vitā ab anima æthereo impressam vehiculo, tanquam speculo sempiterno, existimant semper imprimentem animā comitari: impressam verò vitam composito corpori & caduco, non semper. Nempe arbitrantur ab animę subsantia semper viuente æthereum corpus sibi proximum perpetuo animari: elementale verò corpus ab ea per illud aliquando vitam accipere. Sed de his alias.

Quartadecima ratio, quia est per se vita.
Cap. 14.

ANima est essentia: est & vita. Superioribus rationibus ostendimus eam esse immortalē, quia sit essentia per se existens: in præsentia vero eiusdem immortalitatē ostendimus, quia sit vita per se viuens. Porrò anima ex ipsa sui essentia vita est: quia totū quod est in ea, est vita. Siquid enim esset in ea quod vita non esset, illud quidem non pars esset animę: & totum ipsum animatum quiddā potius quàm anima diceretur. Fateamur igitur totam animæ essentiam esse vitam. Si tota est vita: per se certè secundum formā vita dicenda est. Nam quod per aliud viuit, ipsum per se non viuens, ex duabus componitur partibus: ex natura inquam sui propria secundum se non viua: atque ex vita illa aliunde accepta. Ita concludē. Si res illa quæ per aliud viuit, non tota vita est: sequitur vt res quę tota est vita, per se viuat. Ergo anima quæ tota est vita, per se viuit: præsertim cum per se moueatur. Si ita est, per se est vita. Est igitur animæ essentia vita. Cuius rei signum est, quod cuicunque aduenit, ei præ-

ſtat vitam: quaſi per ſe ſit hoc ipſum quod tribuit alteri. Vnde abeunte illa definit corpus viuere: ac dum adeſt corpori, nullum momentum ceſſat vitæ opera exercere, corpus viuificando. Quare perennis animæ actus, viuificatio eſt. Perennis actio, propria eſt rei actio. Propria igitur eſt animę actio viuificare. Viuificare autem, vitæ ipſius eſt proprium: ſicut caloris eſt calefacere. Igitur eſſentia animæ vita eſt. Accipe rurſus aliam coniecturam, quod parato corpore, anima ſtatim illud viuificat. Aut ergo ſuo eſſe dat vitam, aut appetitu, aut cognitione ſiue conſilio. Si anima cognitione & conſilio corpus viuificaret, ſciret omnes quid quolibet momento gignat & alat in viſceribus anima, qualiſq; ſit interni operis diſpoſitio: & niſi cognoſcerent, iſta non fierent. Sed nunquid appetitu? Neque hoc quidem: alioqui quandiu vellet animus eſſe in corpore, tandiu eſſet: & qui odit corporis conſuetudinem, à corpore confeſtim diſcederet. Reſtat vt ipſo eſſe, id eſt naturali virtute viuificet corpus. Si ipſo eſſe viuificat: per ſuam eſſentiam eſt vita, aut viuens: ſicut quod ipſo eſſe calefacit, per eſſentiam ſuam virtutémve eſt calor aut calens. Conclude animæ eſſentiam eſſe quandã vitam. Quòd ſi non libeat eam vocare vitam per ſe viuentem, quemadmodum ſoles dicere calorem per ſe calentem: ſaltem per ſuperiora cogeris confiteri animam eſſe ſubſtantiam propria vita vitalem: quemadmodum dicis ignem ſubſtantiam proprio calore calentẽ. Vtrum horum acceperis, minime curo. Vtrinque enim ſequitur id quod quærimus. Sed ego ſuperioribus rationibus adducor vt animam per ſe vitam appellem: vitam inquam naturalem, formamque vitalem. Vitæ autem formæque vitali contraria mors quodãmodo dicitur, ſeu aliqua mortifera qualitas formæ: ſicuti caliditati frigiditas, humiditati contraria eſt ſiccitas. Ea verò eſt contrariarum natura formarum, vt neque aliqua earum aliam capiat, vt calor non ſuſcipit frigus: neque ſubſtantia cui vna illarum formarum eſt propria, etiam ſuſcipiat aliã formam ſuæ formæ contrariam: vt ignis cui calor eſt proprius, frigus non accipit: vt ſimul ſit & ignis & frigidus: ſed abit potius aut perditur tam calor quàm ignis frigore veniente, quàm aut calor aut ignis fiat frigidus. Eſt ergo vterque (vt ita loquar) infrigeſcibilis: cũ frigoris particeps eua-

dere nequeat. Similiter anima quoniam aut vita ipsa naturalis est, aut vitam habet tanquam naturalē sui pediſequā: mortem (vt dixi) ipsius contrariam non admittit. Si non admittit mortem, ita ferme immortalis est: sicut ignis quia non suscipit frigus, infrigescibilis. Si idem foret infrigescibile, quod imperdibile: ignis sicut non frigescit, ita neque etiam perderetur. Nunc autem perditur potius quàm frigescat. Verùm cum idem sit immortale, quod imperdibile: anima quæ non admittendo mortem dicitur immortalis, est etiam imperdibilis. Ideo abit veniente morte, non perditur. Tota superior disputatio his verbis Zoroastris comprehenditur.

A ἀθανατός τε μένει, καὶ ζωῆς δέσποτις ἐστί,

id est, immortalis manet, ac vitæ domina est. Quasi dicat, ideo immortalis manet, quia vitam habet pediſequam, ſi-

B cuti sol lucem, Crinita comam. Hic pugnabit sic Strato, vel Epicureus aliquis. Sanè mortem non suscipit anima, quia veniente mortifera qualitate abit anima, & desinit esse. Si esse desinit, suscipit certe nihil. At nos, ô Epicure non ita desipimus, vt ignoremus non posse mortem ab aliquo suscipi: tum quia nihil est (quod vero non est, non capitur) tū quia neque viuentes eam capiunt, neque defuncti. Illi, quia dum viuunt, à morte absunt: isti, quia si nō sunt, vt ipse putas, nihil suscipiunt: & si supersunt (vt nostri volunt) etiam absunt à morte. Desistamus ludere verbis: audi quid velimus quando dicimus animam non suscipere mortem, intelligimus eam non admittere in seipsa vllam mortiferam qualitatem, per quā desinat viuere. Profectò contrariæ qualitates se inuicem non suscipiunt: nam si vicissim & fugant & fugiunt. Ideo calor natura sua non modò non suscipit frigus, sed neque loco etiam illi propinquat. Longissime nanque sese fugant & fugiunt, quę per naturam longissimo discrepant interuallo. Postquā natura sua hæ formæ tales sunt: si in mera sui & sola natura consisterent, essentque ita vt modo sunt contrariæ inuicem, nunquam sibi inuicem propinquarent. Natura enim illas dissociaret, neque adesset medius aliquis illarum conciliator. Tales profectò forent, si calor ita in seipso subsisteret à materia separatus, vt nihil præter calorem haberet admixtum. Atque frigus similiter. Nunc iacet calor

in materia, quæ suapte natura non minus ad frigus parata quàm ad calorem, aduenienti frigori sinum pandit suum: quem ingressa frigiditas, colorem inde detrudit: qui inde pulsus extinguitur: cum ab auctore suo ea lege fuerit ad esse productus, vt tandiu maneret, quandiu à tali sinu materiæ foueretur. Quapropter formæ quæ à materia C sustinentur: licet formas sibi contrarias non suscipiant illarum tamen impetu & propinquatione perduntur. Quæ verò in seipsis permanent, & siquando materiæ hærere videntur, illam sustinent potius quã ab illa sustineantur: contrariã sibi vim non possunt admittere: verùm siqua vis aduenit materiæ gremio, qualitates & formas inquinat astrictas materiæ: formam verò illam quæ materiam supereminet, non attingit. Talis est anima: anima inquam rationalis: quæ cum fons motionis sit, corporúmque motrix, non potest à corporibus è suo statu mutari. Cumq; speciei suæ ingenitam habeat vitam, vtpote propriã: viuit semper absque labore viuendi: præcipuè quandiu secum ipsa viuit. Propinquans verò corpori, irrationalem (vt platonicè loquar) ex se fundit vitam, velut vmbram. Ipsa quidem vera est anima, animalisque vitæ fons, talemque vitam non modò ad tempus suppeditat corpori, sed multo magis sibiipsi semper, cũ nunquam deserat semetipsam: neque ac se deserendã compellatur à corpore, cuius qualitas in formam non transit incorporalem. Rursus neque ad idem cogatur ab animabus, quarum officium est viuificare, non perdere. Talis proculdubio rationalis anima iudicatur. Irrationalis autẽ non vera est anima: quia neq; essentia vera est, neq; vera vita. Non D vera essentia est, quia non existit per semetipsam: siquidem per se non operatur: quandoquidem nihil agit absque corporis instrumentis. Non vera vita est: quoniam motionis libertate priuatur. Non enim ducitur à seipsa, sed vi trahitur ab iis rebus quæ sensibus offeruntur. ideo Platonici multi aiunt animam rationalem esse & animam & vitam subsistentem, atque ex se corpus viuificantem. Sed irrationalem formam potius animationem viuificationémque corporis E esse putant, quàm etiam esse immortalẽ Xenocrates, Speusippus, Numenius, Plotinus existimant: Porphyrius autem F & Proculus & alij quamplurimi negant. Neque mirari de-

bemus si animas alias veras, alias falsas esse multi Platonici arbitrantur. Rerum siquidem varietas decẽtibus nectitur interuallis. Deus verum bonũ est: angelus imago quidẽ est bonitatis, sed intellectus est verus. Rationalis anima, imago intellectus: anima vera. Irrationalis anima, imago animæ: natura vera. Qualitas q̃ diuiditur in materia naturæ imago est: verũ naturaliũ agentiũ instrumentũ. Sed meminisse oportet, eos q̃ animas nostras inferiores, esse sempiternas existimãt, etiã plantarũ animas, secutos esse Aegyptios Pythagoreósq;, existimantes animas humanas esse mẽtes delapsas in rationem atque sensum: animas verò brutorum esse nostras in sensum generationemque omnino prolapsas: plantarum denique animas esse easdem lapsas omnino in generandi potentiam: posseque omnes iterum ad superiora con-
G uerti. Quod quidem Empedocles, Timæus locrus, Origenes, Plotinus significasse videntur. Sed hæc ipsi viderint: nos autem propositum prosequamur.

Quintadecima ratio, quia vita est præstantior corpore.
Cap. 15.

RAtionalis anima vera naturalis vita est. Vera vita per se corporis est formatrix & rectrix: ideóque corpore
H est longe præstantior. Corpus quanuis in varias vertatur qualitates, aut etiam millies diuidatur in partes, nunquã tamen definit esse corpus, semper enim restat natura corporis diuisibilis cum diuidantur partes in particulas sine fine. Ergo multo magis anima rationalis (quę vera est corporis vita) quantumcunque mutetur, nunquam definit esse vita. Huius argumentationis vim in eo potissimum consistere
I arbitramur, quod tertia essentia, quæ est sedes rationalium animarum, tres habet dotes, ex eo quod omnium medium obtinet. Primam, quod in ea refulgent veræ imagines diuinorum. Secundam, quod ipsa format continetque totã machinam corporalem. Tertia, quod diuina & corporalia conciliat inuicẽ. Omnes hę dotes esse ostendunt animam sempiternam. Prima, quia si in genere corporum aliqua sempiterna sunt, in quibus vmbræ sunt diuinorum: multo magis

animæ rationales animarum omnium præstantissimę sunt, in quibus sunt diuinorũ imagines sempiternæ. Prior enim in diuinis vita est quam splẽdor: quoniam splendor eorum est tum reflexio, tum effusio vitæ. Quapropter inde prius manat in animam vitæ immortalis vbertas, quam diuinarum splendor imaginum. Secunda, quia si rationalis anima principium est formandi & continendi: neque formam suã neque constantiam naturalem potest amittere. Nẽpe cum totum animale genus sit toto genere corporali prestantius, & in omnibus mundi membris sint aliqua corporalia sempiterna: probabile est vt in omnibus his sint animæ sempiternæ. Quis enim negauerit animarum genus caput habere perpetuum, in quo rationales animæ sunt, postquam corporalis mundus membra quædam habet vbique perpetua? Tertia, quia si anima conciliationis vniuersalis & vinculi fons est: distrahi & dissolui non potest. Si enim vniuersorum vinculum resoluatur, quid vlterius vincietur? Platonica hæc mysteria ita deinceps Aurelij Augustini sententia confirmabimus. Si anima rationalis interiret corpore pereunte: necessariò mutaretur corpore permutato. Non mutatur autem à corpore. Ipsa enim motionis principium est. Ideo cum à corpore mutari videtur, tunc ipsa & corpus mutat: & seipsam ducit vt iubet. Si anima mouet sæpissime corpus, immobilis perseuerans: longe magis ex eo quòd fistit continétque corpus, seipsam sistit & continet. Quod enim stat plurimùm in mouendo alio: stare potest semper in sistendo se & continendo. Quis autem nesciat quando corpus vel proprium vel alienum mouetur ab animo, tã motionem ipsam quàm rem motam non habere sua omnia simul, sed labi prorsus à futuro in præsens atque præteritum: in animo autem tunc esse simul propositum operis totius immobile, intentionem præsentis operis, memoriam præteriti, expectationẽque futuri? Illic intentio animi circa ea quę non sunt, est ipsa, dum tam ea quæ nondum sunt, quàm ea quæ non sunt amplius, ipsa connectit in vnum. Circa tẽporalia est supra tempus: circa mobilia est immobilis. Cur ergo substantia eius circa mortalia non sit immortalis? Immo cur in perpetuis attingendis non fiat ipsa ppetua, quandoquidem in tractandis mobilibus manet immobilis? Prę-

K iiij

terea si non tã id quod in mole est corporis, quàm id quod est in specie, facit esse corpus (corpus enim tanto magis est, quanto speciosius est atque pulchrius: tantoque minus est, quanto fœdius atque deformius: quæ defectio non prœcisione molis, sed speciei priuatione contingit) putandum est animum illum à quo tanquam principio datur corpori forma per quam est corpus, & connexio partiũ per quam consistit, nunquam vel forma propria vel vnione priuari p quã
B est & permanet animus: quandoquidem corpus nunquam omni forma & vnione per quam est permanétque corpus, orbatur: neque tamẽ transire de specie in speciem animam sicut corpus. Mutatio enim ab anima descendit in corpus: & stabilior est illa quàm istud. Ergo si hoc semper in genere corporali permanet, illa permanet semper in specie animali: neque in ipsa specie animali de alia in aliam animã commutabitur. non enim subest materia per quã fiat huiusmodi commutatio. Si non accidit mutatio talis, neque animus esse nisi viuat, potest: nunquam profectò animus moritur. Quòd si quisquam non eum interitum dicat formidandum animo, quo efficitur vt nihil sit, quod aliquid est, sed eũ quo dicimus ea mortua, quæ vita carent: attendat quòd nulla res seipsa caret. Est autem animus vita quædam. Vnde quod animatum est, viuere: omne autem inanime, quod animari potest, mortuum, id est, vita priuatum intelligitur. Non ergo potest animus mori. Nam si carere poterit vita: non animus verus, sed animatum, aut aliquod animi simulacrũ est. Quod si absurdum est multo minus hoc genus interitus timendum est animo, quod vitę certè non est timendum. Nã prorsus si tunc moritur animus, cum eum deserit vita: illa ipsa vita quæ hunc deserit, multo melius verus intelligitur animus: vt iam non sit animus quicquid à vita deseritur, sed ea ipsa vita quæ deserit. Quicquid enim à vita desertũ, mortuum dicitur id ab anima desertum intelligitur. Hæc autẽ vita quæ deserit ea quæ moriuntur, quia ipse est animus, &
C seipsam non deserit: non moritur animus: nisi forte veram vitam, temperationẽ aliquam corporis, aut aliquid eam sequens, vt Aristoxenus & Dicæarchus opinabãtur, debemus credere. Quibus profecto nunquã hoc visum esset, si ea quę verè sunt, & incommutabilia permanent, eodem animo à

corporum consuetudine alienato atque purgato videre valuissent. Quis enim bene se inspiciens, non expertus est tanto se aliquid intellexisse sincerius, quanto longius remouere atque subducere intentionem mentis à corporis sensibus potuit? Quod si ad temperationem corporis animus pertineret: non vtique id posset accidere. Non enim ea res quæ naturam propriam non haberet, neque per se subsisteret, sed in subiecto corpore tanquam corporalis forma inseparabiliter esset, vllo modo se ab eodem corpore ad intelligibilia percipienda conaretur auertere: & quantum id posset, tantum illa posset & intueri, eaq; visione melior & præstantior fieri. Nullo quippe modo forma talis, vel ipsa etiam corporis temperatio, quæ certa commixtione efficitur earũ quatuor naturarum quibus idem corpus consistit, auertere se ab eo potest in quo subiecto est inseparabiliter. Quin etiam cũ humorum consonantia accidens quoddam compositũ sit: si anima vel consonantia esset, vel ab ipsa dependens, nullo modo substantiarum rerúmq; simplicium rationes cognosceret, affectaret, & caperet. Ad hæc, ea quæ intelligit anim⁹, cũ se auerterit à corpore, nõ sunt ꝓfecto corporea: & tamẽ sunt maximè q̃ sunt: nã eodẽ modo sese semp habent: nihilque absurdius dici potest, quàm ea esse, q̃ oculis videmus: ea nõ esse, q̃ intelligẽtia cernimus: cũ dubitare dementis sit, intelligẽtiã incõparabiliter oculis anteferri. Hæc autẽ quę intelliguntur, eodem modo sese habentia, cum ea intuetur animus absque aliquo instrumento, satis ostendit se illis esse coniunctum miro quodam eoque incõparabili modo, scilicet non secundum locum. Nam aut illo sunt, aut ipse in illis aut vtrunque per se subsistit. Si primũ illud est, non est harmonia corporis animus, aut harmoniæ mancipatus. Quicquid enim tale est, à corpore tanquã subiecto seperari non potest: propterea q̃que quicquid in illo est, corpori æquè atq; illud adstringitur. Mutabile autem est corpus humanum: mutabiles igitur erunt rationes illæ rerum quæ sunt in animo contẽplante, si animus mutabili corpori alligatur. Mutabiles autem esse rationes illæ non possunt. Semper enim eodem modo verũ est, quòd duo & quatuor sex conficiunt: quod q̃que quæ comparatio est duorum ad quatuor, eadem quatuor est ad octo: cęteraq̃ generis huius quamplurima.

D Rationes huiusmodi inseparabiliter insunt animo, qui sem per & subito his vtitur pro arbitrio. In quibus ars consistit ratiocinandi, quę ab animo rationali minime separatur. Nã si ab eo ratio illa artificiosa, vel ars rationalis, quæ rationũ cœtus est, separabitur: aut nusquam erit, aut in re aliqua nõ viuente, aut in re viuente. Nusquam esse non est dicendum perpetuas & immutabiles rationes. Esse quoq; in re non viuente rationes veras impossibile est: siquidem vita rationis est fundamentum. Si autem artificiosa ratio de vita transit in vitam, nunquam id facit commodius, quàm cum docet quis alios. Cũ verò id non contingat (nemo enim docendo alios obliuiscitur) non fit transitus. Ars igitur inseparabiliter inest animo. Inesset quoque corpori, si animus esset corporis harmonia: quapropter mutabilis esset, sicut corpus, tã ratio ipsa quàm animus. Cum verò ratio talis sit immutabilis, ideóque & animi essentia immutabilis: cui illa tanquam subiecto inest, non est animus corporis temperatio. Atque ita disputasse sufficiat ex primo illo diuisionis supioris mẽbro, quo cõcessum sit animo rationes inesse. Præterea si quis secundum illud membrum admiserit, scilicet illis inesse animum: sequitur idem. Quo enim pacto animus est corporis temperatio, si in ratione rerũ à corpore separata est tanquam subiecto? cum non possit esse alibi quàm in corpore corporis temperatio? Si tertium diuisionis illius membrũ concesseris, scilicet vtrunque substantiam per se subsistentẽ esse, tam animum, quàm ipsam rationem rerum: per se subsistet animus, neque temperationi corporis adstringetur. Denique quodcunque membrum diuisionis acceperis, vna hæc summopere ratio persuadet animum in complexione corporis tanquam origine non iacere: quia non tam auidè, tam facilè, tam assiduè, dum philosophamur mutabili posthabito corpore, immutabilibus rationibus sese misceret, neque melius esset cum est in illis, quam cum est in corpore. Est autẽ in illis tanto melius quàm in corpore, quanto præstantius viuit in illis quàm in ipso. Tanto autem viuit præstantius: quanto perfectius operatur. Operatur verò in illis pfectius: quia intelligit verius: desiderat pacati': fruitur dulcius, plenius, atque securius. Et cũ sæpe consonante secũ corpore, animus ipse dissonet secũ tũ speculatione, tũ moribus,

atq; cõtra cõsonet dissonãte: q non viderit animũ nõ cõsistere in corporis cõsonãtia, is dissonat veritati. Sed vt reuertamur ad Aureliũ: hic forte oboritur nõnulla quæstio. Vtrũ A
sicut nõ interit animus, ita nec in deteriorẽ cõmutetur essentiã. Videri enim cuipiã potest, neq; iniuria, id effectũ esse ratione hac, vt animus ad nihilũ ꝓuenire nõ possit, cõuerti autẽ in corpus forsitan possit. Si enim quod erat antè animus, corpus fuerit effectũ: non vtiq; omnino nõ erit. Sed hoc fieri nõ potest, nisi aut ipse id velit, aut ab alio cogatur. Neque cõtinuò tamẽ anim⁹, siue ipse id appetierit, siue coactus fuerit, poterit corp⁹ esse. Illud enim sequitur: vt si sit necessariò velit, aut cogatur. At illud nõ sequitur, vt si velit aut cogatur sit. Nunquã autẽ volet. Nã omnis eius appetitus ad corpus, aut vt id possideat est, aut vt viuificet, aut vt quodammodo fabricet, aut quolibet pacto ei cõsulat. Nihil autẽ horũ fieri potest, si non sit corpore ipse melior. At si erit corpus, melior corpore ꝓfectò nõ erit. Nõ igitur esse corpus volet: neq; vllũ huius rei certius argumentũ est q̃ cũ seipsum hoc interrogat animus. Ita enim facilè cõperit appetitũ se non habere nisi agendi aliquid, aut sciendi, aut sentiendi, aut vel tantũmodo viuendi: quantũ sua illi potestas est. Si autẽ cogitur corpus esse, à quo tandẽ cogitur? Nũ à quolibet? certe à potẽtiore. Nõ igitur à corpore potest. Nullo enim modo vllo animo vllũ potẽtius corpus. Potẽtior autẽ animus nõ cogit in aliquid nisi quod suæ potestati subditũ est. Nec vllo modo animus potestati alterius animi, nisi suis cupiditatibus subditur. Cogit ergo ille animus nõ magis quã quantũ eius cupiditates iũnt, quẽ cogit. Dictũ est autẽ cupiditatẽ non posse animũ habere vt corpus sit. Illud etiã manifestũ est, ad nullã suæ cupiditatis expletionẽ ꝓuenire, dũ amittit omnẽ cupiditatẽ: & amittit, dũ corpus sit. Nõ ergo potest ab eo cogi vt fiat, q̃ potestatẽ cogendi nisi ꝑ subditas cupiditates nõ habet. Deinde quisquis animus alterũ animũ habet in potestate, magis eũ necesse est velit in potestate habere q̃ corp⁹, & ei vel bonitate cõsulere, vel malitia imperare. Nõ ergo volet vt corpus sit. Postremò iste animus cogens, aut animal est aut caret corpore. Sed si caret corpore, in hoc mundo nõ est: sed si ita est, summe bonus est. Nec potest velle alteri tam turpem commutationem. Si autem animal est: aut

animal etiam est ille quem cogit, aut non est. Sed si non est nihil cogi ab alio potest. Non enim habet potentiorem, qui in summo est: id est, non cogitur qui est solutus. Si autem in corpore est: ab eo rursus qui in corpore est, per corpus cogitur ad quodcunque: cogitur. Quis autē dubitet nullo modo per corpus fieri tantam commutationem animo? Fieret enim si esset illo corpus potentius. Quanuis quicquid illud est ad quod per corpus cogitur: prorsus non per corpus, sed per cupiditates suas cogitur: de quibus satis est dictū. Quod autē rationali anima melius est, omnibus consentientibus diuinum est: quod profectò consulit animæ: & ideo non ab eo cogi anima potest vt conuertatur in corpus. Si igitur nec propria voluntate, nec alio cogente id anima patitur: vnde id pati potest? An quia inuitos nos plerunq; opprimit somnus, metuendum est ne quo tali defectu animus conuertatur in corpus? Quasi verò quoniam somno membra nostra marcescunt, idcirco animus fiat ex parte vlla debilior. Sensibilia tamen non sentit: quia quicquid illud est quod somnū facit, è corpore est, atque in corpore operatur. Corporeos enim sensus sopit & claudit quodammodo, ita tamen, vt tali commutationi corporis cedat anima cum voluntate: quia secundum naturam est talis commutatio, quæ reficit corpus à laboribus: non tamen hæc adimit animo vel sentiendi vim, vel intelligendi. Nam & imagines sensibilium præsto habet tanta expressione similitudinis, vt eo ipso tempore discerni nequeant ab iis rebus quarum imagines sunt. Et siquid intelligit, æque dormienti ac vigilanti verum est. Nā verbi gratia si per somnum disputare sibi visus fuerit, verásque rationes secutus in disputando didicerit aliquid, etiam expergefacto eadem incōmutabilia manent, quamuis falsa reperiantur cætera: veluti locus vbi disputatio, & persona cū qua disputatio fuisse visa erat: & verba ipsa quæ ad somnū attinēt quibus disputari videbatur: & alia huiuscemodi quæ ipsis sensibus sentiuntur agunturque à vigilantibus, præterеunt tamen, nec vlla ex parte sempiternam præsentiam verarum rationum assequuntur. Ex quo colligitur, tali commutatione corporis, quę somnus est, non vim ipsius animę, sed vitam corporis posse minui. Postremò si quanuis locum occupanti corpori, anima tamē non localiter iungitur: sum-

mis illis æterniſque rationibus quæ incommutabiliter manent, nec vtiq; continẽtur loco, prior afficitur anima quàm corpus: nec prior tantum, ſed etiã magis. Tanto enim prior, quanto propinquior: & eadem cauſa tanto etiam magis, quanto corpore eſt melior. nec iſta propinquitas loco, ſed naturæ ordine dicta ſit. Hoc autẽ ordine intelligitur à ſumma eſſentia ſpeciem corpori per animã tribui, qua eſt quantuncunque eſt. Per animam ergo corpus ſubſiſtit: & eo ipſo eſt, quo animatur, ſiue vniuerſaliter vt mundus, ſiue particulariter vt vnumquodque animal intra mundum. Quapropter conſequens erat vt anima per animã corpus fieret: nec omnino aliter poſſet. Quod quia non fit (manente quippe anima in eo quod anima eſt, corpus per illam ſubſiſtit, dantem ſpeciem, non adimentem) cõmutari in corpus anima non poteſt. Si enim non tradit ſpeciem quam ſumit à ſummo bono, non per illam fit corpus & ſi nõ per illam fit: aut non fit omnino, aut tam propinquè ſpeciem ſumit, quam anima. Nec etiam fit corpus: quia ſi tam propinquè ſumeret ſpeciem idem eſſet quod anima. Nónne eo ipſo eſt anima melior, quo ſumit propinquius? Tam propinquè autem etiam corpus ſumeret, ſi non per animam ſumeret: etenim nullo interpoſito tam propinquè vtique ſumeret. Nec inuenitur aliquid congruẽs medium inter ſummam vitam, quę ſapientia & veritas eſt incommutabilis: & id quod vltimum viuificatur, id eſt, corpus: niſi viuificans anima. Quòd ſi tradit ſpeciem anima corpori, vt ſit corpus quantum eſt, non vtique ſpeciem tradendo: adimit autem ſpeciem in corpus animam tranſmutando: non igitur anima ſiue per ſeipſam corpus fit, quod per eam fit (quia non niſi manente anima corpus per eam fit) ſiue per alia: quia non niſi traditione ſpeciei fit corpus per animam & ademptione ſpeciei anima in corpus conuerteretur ſi conuerteretur. Hoc & de irrationali anima vel vita, quòd nec in eam rationalis anima cõuertitur, dici poteſt. Et ipſa enim niſi inferiori ordine rationali ſubiiceretur, æquè ſpeciem ſumeret, & talis eſſet. Tradunt ergo ſpeciem à ſumma pulchritudine acceptam potentiora infirmioribus naturali ordine. Et vtique cum tradunt, non adimunt: eoque ſunt quæ infirmiora ſunt, quantum ſunt, q; ſpecies qua ſunt, eis à potentioribus traditur quæ quidem C

potentiora etiam meliora sunt. Quod his naturis datū est, quæ nō mole maiore plus possunt minoribus molibus, sed sine tumore vllo localis magnitudinis eadem specie potentiora sunt, qua meliora: in quo genere est anima corpore melior & potentior. Quapropter cum per illam, vt dictum est, corpus subsistat: ipsa in corpus conuerti nullo modo potest. Corpus enim nullum fit nisi accipiendo per animam speciem. At anima vt corpus fieret, non accipiendo speciem sed amittendo fieri posset. Et ideo fieri nullo modo potest.

THEOLOGIÆ PLATONICÆ
De immortalitate animorum eodem Ficino authore,

LIBER SEXTVS.

Reductio opinionum de anima in quinque capita. *Cap.* 1.

AEc olim in agro Regnano apud Ioannem Caualcātem vnicum amicum nostrum calendis Martiis sub lauro disputaueram. Quibus differendis interfuerunt præcipui familiares nostri tres, Christophorus Lādinus, Bernardus Nuthius, Georgius Antonius Vespuccius: viri probitate & doctrina clarissimi. His autem Ioannes summa cum attentione auditis, Marsilij Ficini, inquit, dici non posset quantum superiori disputatione fuerim delectatus. Sed hoc insuper cupio, vt postquam de communi animarum rationalium immortalitate disseruisti: deinceps, si placet, diligentius de animæ nostræ immortalitate propriis rationibus differas. Assentior equidē quinque esse rerum gradus, quemadmodum superiori disputatione disposuisti: atque horum medium obtinere tertiam illam essentiam, quæ à materia soluta sit, ac perpetua. Præterea cælestes animas in illius essentiæ gradu collocari non

A

dubito. Opinor etiam probabile esse, vt ibidem noster animus collocetur. Arbitror tamen non prius id posse penitus affirmari, quàm omnes opiniones philosophorum de hominis anima ad quinque capita reducantur: & quatuor confutatis, vltima teneatur. Aut enim anima corpusculum aliquod est tenuissimum corpori huic crassiori suffusum. Siue B igneum id sit, vt Democritus, Leucippus, & Hipparchus existimant: Siue aërum, vt Anaximenes: Diogenes Apolloniates, & Critias: Siue aqueum, vt Hippias: siue terreum, vt Hesiodus & Pronopides: Siue ex igne constet & aëre, vt Boethus & Epicurus: Siue ex aqua & terra, vt Xenophantes. Aut melius aliquid est anima, id est, non moles ipsa corpusculi proprie: sed qualitas illius aliqua per partes corpusculi sparsa, puta calor, vel complexio calida: quod voluisse videntur Zeno Cittieus, Cleanthes, Antipater, Posidonius. Aut purius aliquid, veluti punctum aliquod lucidum qualitatis illius in C quadã ipsius qualitatis & corpusculi parte potiori, puta corde vel cerebro, assignatum, ibi residens, inde reliqua membra gubernans: vt est apud Chrysippũ, Archælaum, & Heraclidem Ponticum. Aut liberius adhuc quiddam, ceu punD ctum aliquod nulli parti affixum, sed ab omni determinato situ secluſum, ac totum parti corporis cuique præsens: sed tale, vt fit ab ipsa corporis natura dependens. Dependens inquam, duobus modis scilicet, vel quia corporis cõplexio ipsum genuerit: vel quia licet complexio ipsum non genuerit, tamen genitor suus, quicunque sit ille, ipsum ex materiæ potentia eiusque visceribus eduxerit, id est, ex aliquo semine siue incohatione seu proportione materiæ ipsius in lucem eruerit, atque ipsi materiæ tanquam naturali gremio prorsus addixerit.

Quam sententiam Xenophantes Colophonius, Asclepiades: Aristoxenus, Critolaúsque sequuntur, apud quos anima est vel vis quædam corporis agilis ad mouendum, vel partium corporalium harmonia.

Aut postremò diuinum quiddam est hominis anima, id est, E aliquid indiuiduum, totum cuique parti corporis adstans: & ab incorporeo auctore ita productum, vt ex agentis virtute solummodo, non ex materiæ incohatione aut capacitate aut fomento dependeat: sicut nos docent pri-

sci theologi, Zoroaster, Mercurius, Orphæus, Aglaophemus, Pythagoras, Plato: quorum vestigia sequitur plurimum physicus Aristoteles. Præter hasquinque opiniones aliæ nullæ inueniuntur. Tu vero tunc demum immortalitatem ad nos pertinere monstraueris, quando reprobatis quatuor superioribus opinionibus, approbaueris vltimam. Sic enim constabit animam nostram in tertiæ essentiæ ordine collocari. Id verò non mihi solum videtur, sed etiam cũ superioribus diebus apud Bernardum Bembum tuum, clarissimum equitem, atque hoc tempore Veneti senatus oratorem, conuiuio discumberemus, meministi (vt arbitror) idẽ Antonio Cronico Veneto, ac Demetrio Attico disputatoribus argutissimis visum fuisse: mox etiam à Richardo Angellerio Anglarienſi, & ab Oliuerio Arduino Florentino in signibus Peripateticis similiter esse conclusum: vbi affuerunt tres amici, Naldus Naldius, Bartholomæus Fontius, Iohannes Baptista Boninsegnius, viri doctissimi. Eandem esse sententiam nosti Petri Leonis Spoletini, qui Platonica Peripateticis præclarissimè iunxit. Hęc ille. His ego ita respõdi.

Plebei philosophi non ratione aliqua persuasi, sed prava decepti consuetudine corporalem animam posuerunt.
Cap. 2.

G PRincipio plebeos philosophosqui corporalẽ esse animã arbitrantes opinionẽ ex illis quatuor aliquã secuti sunt, non ratione aliqua persuasos, sed longa quadã & infelicissima consuetudine in hanc sententiam compulsos existi-
H mo. Tria potissimum animæ nostræ officia esse videntur. Siquidem agit in corpore: agit per corpus: operatur etiã per seipsam. In corpore agit per eam potentiam quam vegetatricem vocant Peripatetici, Platonici verò nostri naturam, quando generat corpus, nutritque & auget. Per corpus agit secundum sensum tum exteriorem, quando videt, audit, olfacit, gustat, & tangit. Tum interiorem, quando eorum corporum quæ sensit extrinsecus, imagines quasi reliquias sensuum secum ipsa reuoluit. Per seipsam agit, quando neque corpora per sensus exteriores attingit, neque imagines corporum

porum per interiorem ſenſum recolligit, ſed ipſa mera vis
animæ incorporeaque incorporeum aliquid inueſtigat &
inuenit, quod neque corpus ſit, neque corporis alicuius ima I
go: quamquidem actionem, intelligentiã nominamus. Habes igitur actionem naturalẽ, ſenſum, intelligentiã. Actione naturali vtitur anima in ipſo fœtu ſtatim corpus ingreſſa: ſenſu paulò pòſt, homine videlicet ſtatim nato: intelligentia pura vix tandem adulto iam corpore: magna verò pars hominum ferè nunquam, illi præſertim qui etiã trigeſimo
ætatis anno ſunt pueri. Si potentiam illam naturalem, quid K
anima ſit interroges, corpus eſſe proculdubio reſpondebit.
Ea ſiquidem vis nihil attingit aliud niſi corpus. Si ſenſum
exteriorem rogaueris, corpus ſimiliter reſpondebit. Oculi
figuram quandam & colorem animæ aſſcribent, aures vocem, olfactus odorem, ſaporem guſtus, pondus ſoliditatemque & calorem & ſimilia tactus. Quòd ſi ſenſum interiorẽ,
qui reliquiis externorum ſenſuum paſcitur, de anima fueris
percontatus: ipſe quoque animam corporum pinget ſimulachris, nihil enim habet aliud quod adhibeat. Infelix adoleſcentia noſtra ſub indoctis præceptoribus his nutrita, cogit nos per omnem ætatem ſtultè ſentire de anima, dum eã
opinamur eſſe corporeã, ab his docti magiſtris qui ſola ſentiunt corporalia. Maximè verò hic error inde videtur exor- L
tus, immo verò potius confirmatus, quod ſi quando tribus
his præceptoribus tanquã ſophiſtis omnino dimiſſis ad mẽtem illam ſapientiæ magiſtram confugimus, & ab ea quid
ſit anima, ſciſcitamur: illa talem eſſe reſpondet, qualẽ & ipſa videt. Illa vero heu qualem videt, quàm fœdã? quàm miſerabilem? Profectò non talem qualis olim cælo deſcenderat. Sed potentiam illam animæ naturalem corporis fabricatricem cernit quatuor humorum (in quibus ipſa mergitur) tabe pollutam, & membrorum pinguedine ſuffocatã.
Senſus quoq; externos inſpicit vndique declinantes ad cor- A
pora: agentes per corpus: à corporibus quodammodo patientes. Senſum etiam interiorem, quem nominant phantaſiam, variis diuerſorũ corporũ figuris & qualitatibus quaſi
per ſenſus hauſtis cernit opertum. Dum igitur animã corporali veſte aſpicit inuolutam, & appetitum eius procliuem
eſſe ad corpora animaduertit: certè reſpondet eam eſſe cor-

poream: non aliter ac si puer aliquis statim natus luto oblitus ita fuisset, vt vndique per omnem pueritiam lutea testa esset obductus: ac postea rogaretur, quale tuum est ô puer corpusculum? nónne esse luteum responderet? Ablue puer corpus, absterge carnes à glebis: carneum te videbis, non lu
B teum. Dimittite sensus ô miseri, impios nimium præceptores. Piam duntaxat mentem interrogate: eo tamen pacto, vt animam illi puram, qualem accepistis, non corpori mancipatam, non vitiorum maculis sordidam ostendatis. Mens protinus respondebit, non incorporalem esse animam solum modo, sed diuinam. Magnum quiddam es, ô anima, si te parua non implent. Optimum quoque, si displicent tibi mala. Pulcherrimum, si horres turpia. Sempiternum, si temporalia paruipendis. Postquam talis es: si inuenire te cupis, quære obsecro ibi teipsam, vbi sunt talia. Magna verò ibi sunt solum, vbi nullum locus imponit limite finem. Optima, vbi nihil contingit aduersi. Pulcherrima, vbi nihil est dissonum. Sempiterna, vbi defectus est nullus. Quære te igitur extra mundum. Verum vt quæras te, & inuenias: extra vola: immo extra respice. Es enim extra, dum mundum ipsa cõplecteris. Sed esse te putas in infimo loco mundi: quia te ipsam quidem non cernis super æthera pervolantem: sed vmbram tuam corpus vides in infimo: perinde ac si puer aliquis super puteum constitutus, esse se in fundo putei arbitretur, dum in seipsum aciem non conuertit, sed suã in fundo prospicit vmbram. Aut si auis in aëre volans credat se in terra volare, dum vmbram suam videt in terra. Ergo relictis vmbræ huius angustiis, reuertere in teipsam. Sic enim reuerteris in amplum. Immensam esse scito in spiritu amplitudinem, in corpore vero infinitam (vt ita loquar) angustiam. Quod ex hoc licet perspicere, quod numeri (qui spiritali naturæ propinquant) cum & situ careant, & metiantur numerentque secundum formam tam incorporea quàm corporea, nihil aliud sint, quàm quædam vnitatis ipsius replicationes: vnitas autem sit incorporea: quia omne corporale sit multiplex. Numeri inquam, qui spiritales sunt, sine fine crescunt, non tamen sine fine decrescũt: magnitudo contra terminum quidem habet augmenti, quanuis non habeat terminum decrementi. Cur tanti facitis sensuum iudiciũ, infe-

lices, qui falsis imaginibus ita decipiuntur, vt visus solẽ, qui C
terra longe est amplior, vix bicubitum iudicet: cælum quod rapidissime currit, quiescere: rectum in aqua remum fractũ videat & obliquum: currere littus, dum nauis ipsa mouetur. Auditus vocem aliunde quã mittatur, sæpe venire significet: gustus sæpenumero quæ dulcia sunt, amara, & infinita generis eiusdem? Sensuum errata quis corrigit? Ratio. Nobilius autem est quod emendat: & perficit, quam quod perficitur. Idcirco diligentior & veracior ratio est quàm sensus. Ratio iudicat inueniri posse aliquid incorporeum: sempérque circa huiusmodi quiddam ipsa versatur. Est ergo verũ per iu- D
dicium rationis, esse alicubi aliquid incorporeum: sicut verum est per iudicium sensuum, esse multa in mundo corporea: horum tamen iudicium in eo fallitur, quòd nihil affirmat aliud nisi corpus. Sic etiam falleretur iudiciũ rationis, si forte assueueraret non esse in rebus aliquid corporale. Nũc verò tantum abest à falso, vt etiam fallaciã sensus emendet. Sentiendi autem vires vsque adeò fallaces sunt, vt non modò emendentur à ratione, verùm etiam à se inuicẽ ipsę dãnentur. Si visui te soli committas: nihil in mundo esse aliud dices, quàm quæ videntur in lumine: voces autẽ, & odores, & reliqua quæ non videntur, omnino non esse. Si auribus solis confidas, colores esse negabis. Si olfactui, solos esse in mundo putabis odores. Atque ita de aliis est putandum. Sicut autem quisque sensum negat esse alicubi aliud quicquã præter id quod est suum, & tamen per alium sensum damnamus aliũ, & esse aliquid aliud inuenimus præter id quod vnius sensus est propriũ, & rectè inuenimus: ita cuncti sensus vnà conspirantes negant esse posse aliquid in natura, quod non sit corpus. Nihilominus ratio cunctos redarguẽs, esse etiam aliquid incorporale vaticinatur: & verè vaticinatur: & multo verius quàm sensus: qui & à se inuicem damnantur, & redarguuntur ab illa. Quid enim stultius est, quã E
concedere nos bestiis ratione præstare: atque ea quæ sensu percipimus, existere aliquid confiteri, quæ etiam nonnullæ bestiæ acutius sentiunt: id autem quod rationis oculo intuemur, nihil esse contendere? Nullum enim animal esset insi- F
pientius homine, si ea vis animi q̃ hominis propria est magis quàm sensus, qui communis est bestiis, falleretur. Nefas

est autem, animalium regem dicere omnium dementissimum. Dementissimus autem is erit solus, qui non fatebitur tanto præstantius esse mentis obiectũ sensus obiecto, quanto mens est sensu præstantior: ac propterea incorporeas naturas in excellentiore substantiæ genere revera inueniri, q̃
G corporea: præsertim quia si obiecta mentis eam mouent, sicut obiecta sensus mouent sensum, oportet ea ipsa mentis obiecta aliquam per se habere substantiam, vt mentẽ mouere queant. Sinautem dicatur intellectum à suis obiectis minime agitari, iam satis probatum erit saltem intellectũ ipsum esse naturam incorporalem, postquam dum fabricat sua, non mouetur ab alio: & ædificia fabricat incorporea. Meminisse verò oportet, quemadmodum puer qui natus est cęcus, difficilè credit colorum varietatem, lucémque esse, cũ tamen ceteris hominibus nihil sit luce clarius: sic animum nuper tenebris corporis circunfusum, vix adduci vt existimet lucem aliquam incorporalem existere: cum tamen ni-
H hil sit illa in rerũ ordine angelis manifestius. Hoc Plato in septimo de republica longè conqueritur: hoc Aristoteles in secundo diuinorum confirmat, dicens humanum intellectũ ad ea quę sunt per se in ordine rerum manifestissima, non aliter se habere quàm ad solis lucem noctuæ oculum. Respiscant igitur quandoque minuti philosophi, qui sensuum indicio freti, incorporalem diuinámque esse animã cogitare non possunt. Animaduertant aliquando ex diuturna cũ corpore consuetudine se factos esse vsque adeò corporales, vt merito nihil nouerint nisi corpus, aut rẽ corpore natã. Puri fiant, & pura percipient. Experiantur aliquando in seipsis. possunt enim, modò velint quod iam diu in vniuerso desirant, percipiunt certè composita: percipiunt & formas plurimas in cõpositis. Formas insuper desiderant aliquas extra cõposita segregatas: ipsi ex anima & corpore cõpositi sunt. Habent vitam ab anima corpori traditam: habent & vitam animæ ipsius in seipsa vigentem. Illã ergo despiciant, hanc aspiciant. Vitam intellectualem agant à corpore separatam:
I separati statim separatas formas attingent, Socraticamque mox sententiam re ipsa probabunt, super formas quæ in subiectis formatis iacent, quoniam imperfectæ sunt, esse formas in seipsis, atque perfectas, vnde informia subie-

cta formentur: atque vnicã ad incorporea non attingenda solum, sed etiam possidenda, viã esse, seipsum videlicet incorporeum reddere: hoc est, mentem à motu, sensu, affectu, imaginatione corporali pro viribus seuocare. Sic enim experientia ipsa constabit, primò quidem qualis sit purus animus, id est ratio secum ipsa viuens, seque circa ipsum veritatis lumen auide versans. Secundò, qualis angelus, id est intellectus purus, infuso iam veritatis lumine gaudens. Tertiò: quando animus ipse tanquã angelus pleno veritatis gaudebit lumine, deum esse persentiet tum veritatẽ ipsam seipsa lucentem, atque gaudentem: tum ipsam lucem veritate gaudentẽ propria: tũ ipsum gaudiũ veritate propria lucens. Esse verò plebeiorũ errorem à corporea consuetudine natum nosse incipiemus aliquantum, si saltem contrariam illius educationem aliquam cogitemus: qualem in sexto naturalium excogitat Auicenna. Creetur à deo homo aliquis subito (inquit Auicenna) in ætate perfecta constitutus, sed ita disposítus, vt nihil per aliquem quinque sensuum apprehendat. Sic affecti hominis mens aliquid cogitabit, cum sit in ætate adulta, in qua corporis fabrica intelligentiam non perturbat: neque sit ad opera sensuum occupatus, quę mentis operationem impediunt. Ac etiã adsit aliquid quod possit intelligi. Adest enim ipsa animæ substantia menti. Mens igitur à nullo turbata præsentem sibi animæ substantiã cogitabit. At qualem cogitabit? Num coloratam, longam, aut amplam? Minime. Cæcus enim similia nõ apprehendit. Nũ sonantem, vel bene olentem, atque similia? Neque ista quidem. Nondum enim talia quædã per sensus accepit, vt possit talem naturam animæ assignare. Igitur nihil poterit corporale anima illa sibi tribuere. Quid tandem de seipsa asseuerabit? Profectò id saltem, quod sibi primo offeretur intuitu. Est autem hoc, ipsius essentia: quapropter affirmabit esse seipsam: neque tamen corporale quicquam in seipsa perspiciet. Itaque affirmabit esse se prorsus incorporalem. Neque fingere quidẽ poterit esse se corpus: sicut plebis animæ nũc aliter creatæ atque educatæ nequeunt seipsas incorporales considerare. Quod si quis dixerit animam illam nihil de seipsa affirmare horum corporũ quæ per quinque sensus accipimus, sed aliud quoddam corpus diuersæ naturæ: vanum A

hoc nimium. Nam sine nunc quidem, cum tot varia corpora perceperimus, possumus noui aliquid machinari quod non vel in his insit, vel ex his saltem aut componatur aut eliciatur: quomodo in eo statu horum corporũ ignarus posset animus noui corporis naturam effingere? Ac etiã si possibile esset eam aliquod sui corporis membrum excogitare: illud nullo modo putaret ad propriam substantiam pertinere. Affirmabit igitur animus ille de seipso esse: tamen corporeũ aliquid non affirmabit. Diuersa vero inter se sunt duo hæc, id quod affirmatur, & id quod minimè affirmatur. Igitur essentia animi in ea consideratione erit aliquid præter corpus. Iudicium verò considerationis illius ideo verum fore putamus, quia meram prorsus naturam animæ sequeretur: non imagines acceptas extrinsecus. Esset ergo iudiciũ naturale admodum, ideóque verissimum. Itaque si deinde expergiscatur, vt nos nunc, & sentiat: non erit (vt nos) ad inquisitionem spiritalium ineptissimus: sed viam aliquã habebit commodiorem, per quam ita quandoque ad sui ipsius considerationem se cõparet, vt pronunciet se esse aliquid præter corpus. Quaquidem via carent nunc animæ miseræ, quæ per naturam & sensus corpora tũ propria tum aliena prius attigerunt, quàm seipsas considerarent. Vnde miserabilis ille profectus est error, vt nequeant seipsas seorsum à labe corporis peruidere.

Hactenus educationem fictã ab Auicenna narrauisse sufficiat. Deinceps qualem Plato noster educationem in septimo de repub. libro describit, breuiter perstringamus.

B Finge, inquit, quandam sub terra spelunca: in ea homines nutritos à pueritia, ita ceruicem & manus à tergo, pedésque columnis quibusdam alligatos, vt neque moueri vsquã: neque alia nisi quæ è conspectu impositæ speluncæ parte apparent, aspicere possint. Post tergum verò supernè lampas accensa sit: atque inter lampadem & illos qui ligati sunt alij multi deambulent, loquanturque inuicẽ, ferentes manibus varia arborum animaliúmque simulacra. Qui igitur ita vincti sunt, nunquam reuera vel seipsos, vel alia eorum quæ narrauimus, vlla videbunt, sed solas vel sui vmbras, vel aliorum quæ propter ignẽ à tergo accensum tantum ante suos oculos in aduersam partẽ speluncę resultant. Quãobrẽ

nihil aliud aut se esse quàm sui vmbras, aut alia aliud esse q̃ vmbras illorum existimabunt: aut lumen ipsum esse aliud quàm exiguum illud quod ibi reflexum apparet, opinabuntur. Siquis autem horum qui vincti sunt, forte soluatur, subitóque lampadem & alia sub illa quæ sequuntur à tergo, retro versus intueri cogatur: caligabit protinus, & dolebit: ac propter splendorem intueri non poterit illa quorũ vmbras paulò antè cernebat. Multóque id agis id illi malũ cõtinget, si à spelunca sursum ad cæleste diurnũque lumen repentè trahatur. Quare non subitò, sed paulatim conuenientibus gradibus ab vmbris rerum ad res ipsas, item à luminis imagine ad lumen ipsum est perducendus: ita vt quæ in spelunca sunt apud illos, prius illic in aqua videat, quàm ibi dem in seipsis inspiciat. Rursus quæ extra speluncam apud nos sunt, primò nocte hic ad lunã in aqua similiter, deinde in seipsis terrena hæc, similiterque in cælo cælestia nocte itidem solum intueatur. Postea verò die tam solem ipsum, quàm quæ sub sole videntur, prius in aqua, post in seipsis illa, demum solem in cælo suspiciat. Hac potissimum ratione singula sincerè faciléque discernet: atque existimabit se cæcum deceptum miserumque fuisse quando sub specu vinctus exiguis rerum vmbris fuerat occupatus. Proinde quæ comparatio est speluncæ illius ad hunc mundum, quem visibilem nominamus: eadem ferme mundi huius ad illum quem inuisibilem diuinumque vocamus. Siquidem hic animæ miseræ moribundi corporis clausæ tenebris, & carcere cæco: neque seipsas vnquam, neque alia vlla reuera, neque verum solem, immo sui aliorũque vmbras, & exilem quandam veri solis imaginem intuentur. Verę enim mentes, veræ res quæque, verus sol in mundo solũ sunt inuisibili: quæ si absque congruis educationis disciplinarumque gradibus repentè intueri conemur, caligamus protinus, & dolemus. Conuenientibus verò tum morum tum doctrinarum tum temporis perducti gradibus, sincere discernimus iudicamúsque cæcos illos & miseros, qui falsis mundi huius vmbris imaginibúsque falluntur, occupantur, atque premuntur. Veruntamen quando animus ab immenso inuisibilis mundi lumine in corpus obscurum regendum mouendumque descendit, nouis, suæque naturæ contrariis obrutus tenebris, C

cæcutire diu & titubare compellitur. Adde, & propter repentinam maximamque in deterius mutationem, diu cogitur ægrotare, atque ferme sic affici, vt ij qui propter phrenesim vel somnum vel ebrietatem falsis imaginibus illudūtur atque vexantur. Aut certè non aliter se habere, quam si quis à solis lumine in cauernam illam quam descripsimus, repentè præcipitetur. Adeo enim nouis tenebris offundetur vt aut nullo modo, aut vix tandē sub exiguo illo cauernę lu-
D mine vmbras illas tantum quas narrauimus, discernere possit. Præterea ob subitam illam & in peius mutationem, in morbos tam sensus quam corporis varios incidet.

Hæc à Platone in libro de repub. septimo.

Sed redeamus tandem ad ea quæ ab initio statueramus. Emergite obsecro mortalium animæ nunc immersæ corporibus: naturam vestram supra corporis fines statim reperietis. Corpus siquidem longum est, latum, atque profundū. Quoniam verò nullum corpus est infinitum, ideoque finē habet profunditatis: finitur in superficiem non profundam. Habetis iam superficiem longam quidem & latā, sicut corpus: sed profunditate carentem, atque ex vna hac parte surgentem ad incorporea. Superficiei quoque latitudo finita, ad longam lineam terminatur, neque profundam, neque latam. Habetis lineam duabus partibus ad spiritum accedentem. Sed hæc ipsa lineæ longitudo quia finita est, ad punctū ducitur, non profunditate solùm & latitudine priuatum, sed etiam longitudine. Habetis punctum tribus partibus ad naturam vergens incorporalem. Sed hoc quoniam lineæ terminus est, ideo certum habet situm in corpore: neque implet totum, neque viuificat. Separate, si placet ipsum à linea. Potest autem cogitatione saltem à linea separari, quod est lineæ terminus: & prius in seipso est quodam modo, quàm terminet lineam. Quod autem prius est: licet ab eo quod est posterius, separare. Habetis punctum quodammodo, id est, cogitatione solutum à linea quarto iā gradu discedens à corpore. In hac ipsa solutione assequitur, vt omnes partes corporis ęquè respiciat. Fundatur per omnes, & moueat: hic irrationalis anima sedē habet. Et quoniā rationalis cogitatio non fallitur ascendēdo: ideo sicut inuenit punctū à corpore cogitatione liberum, sic reuera inueniet punctum, id

est indiuiduum aliquid re ipsa solutum à corpore: quod non modò impleat corpus & moueat, sed ipsum liberè moueatur, & tollatur ad supera: quod iam vnitatis nomine appellatur. Hic anima viget rationalis quinto gradu à mole corporis aliena. Si tanto quid impurius est, quanto eget, patiturque magis: corpus impurius est quàm superficies. Pluribus enim ad hoc vt sit, dimensionibus eget: atque ex partibus diuiditur pluribus. Superficies simili ratione cedit lineæ, linea puncto: punctum denique vnitati: quæ neque dimensionibus indiget, neque situ. Si horum perfectissima substantialis vnitas est: & quia perfectissima, ideo potentissima, & verissima, atque hæc sunt aliquid existúntque: quis negauerit verè existere vnitatem? Ergo quid prohibet animam esse aliquid, & id quidem virtute magnum, licet nõ sit mangum aliquid quantitate? Agite, igneam formam quæ in corpore vestro tricubito tricubita est, colligite totam in cordis centrum. Hinc tantum virtute crescat, quantum creuerit vnione, non aliter ac solis radij in concaui æneíque speculi collecti centro, qui vsque adeò roborantur, vt inde resilientes durissima quæque accendant subitò atque consumant. Subtrahite portiunculam illam cordis, qua forma ignis illa deprimitur: restet forma indiuidua, agilis, calens, lucens & aliter quam prius, & mirabilius. Quia indiuidua agilísque est secundum se totam, corpus totũ æque collustret. Quia feruet incredibiliter, vitalis sit atq; viuifica. Quia mirificè fulget, sentiat. Intelligat insuper, si reflectitur in seipsam, sursumque attollitur. Hactenus per ea quæ tanguntur, pedetentim progredientes inueniſtis animam: quando à solido corpor ad quiddam quasi punctum omnino liberum processistis. Rursus per ea quæ cernuntur oculis, animam perscrute A
mini. Cur (quæso) diffiditis esse spiritale aliquid in natura, cum ipsis etiam oculis spiritum quodammodo videatis? Scitis lumen ipsum solis oculo manifestum, ideo corpus non esse, quia momento se fundit in omnia: infusum non frangit corpora, nec inficitur. Ecce videtis spiritum. Quid negatis? An forsitan illum negabitis esse, quem non cernitis? Si ita est: sphæras aëris igniſque & cęli, aqua & terra præstantiores, quia non videantur, nihil esse dicetis. Itaque pars maxima & præstantissima mundi, quia non sit visibilis, nihil e-

rit. Sed redeamus ad lumen. Ita lumẽ esse negabitis in sphęra ignis, quoniã oculis non perspicitur. Sed & ipse solis fulgor etiam si non videretur, existeret: quandoquidem existit nunc, & non videtur à noctuis: atque ipsius splendor aliquis mixtus vaporibus potius quàm ipse videtur à nobis: sed ipsum esse alicubi ex hoc eius splendore coniicimus. Sic etiã inesse lumen cælestibus animis spiritale, ex ipso siderum lumine, quod illius imago est, coniectamur. An nescitis lucis actum nihil esse aliud quã lucere: ac tanto clarius rutilare, quanto longius à crassis corporibus separatur? Secernite ipsam ab omni materia: mirabilius rutilabit: & viuet quidem tunc maximè, si quando victura sit. Vbi enim crescit actus, augetur & vita: Præsertim cum per eius calorem hęc omnia viuant. Sentiet quoque, vt ita dixerim quando per eius radios hæc omnia sentiunt, ipsa tamen minime sentietur. Nã & tenuitate subterfugiet aciem oculorum, & vbertate fulgoris intelligibilis superabit terreni visus capacitatem. Scitis in sphæris elementorum ignem infimum vsque adeo ad naturam supremi aëris declinare, aërem verò contrà supremum ita ad ignem illum attolli, vt & ignis ille nihil ferme aliud videatur esse quam tenuis aër, & aër ille crassior ignis: adeò vt quicunque aërem illum cernit, vidisse se ignẽ possit absque mẽdacio affirmare. Eadem comparatio est mentis infimæ, qualis est anima rationalis, ad sublime corpus, quod est cælum. Ergo & anima quodammodo est tenue cęlum, & cælum est crassior anima. Et qui cælum suspicit: prospicit animam. Cogitare punctum aliquod geometricum: quod quia æquè respicit quamlibet loci partem circundantis ipsum: siquando mouetur, per quamlibet mouetur in orbem: vnde quod erat punctum, circunferentia videtur effectum: vbi sanè circũferentia est punctũ circuncurrens, euolutumque foras. punctũ verò est circunferentia stabili quodam cardine conuoluta. Cogitate rursus scintillam quandam luminis inuisibilis: quæ quoniam super omnem existit locum, æquè in partem loci quamlibet sese fundat: ac dum mouetur in gyrum, flammeus orbis efficiatur. Orbis inquam oculis manifestus: vbi scintilla est flamma compressa: flamma est scintilla profusa. Scintilla huiusmodi anima est, flamma corpus æthereum. Et quanta est in animabus

C

rationalibus varietas luminis spiritalis, tanta est in propriis earum cælestibusque corporibus visibilis luminis varietas. Atque id lumen ita lucem sequitur spiritalem, vt lunæ D
lucem pallidus orbis in nubibus. Ea verò est inter rationales animas differentia, quòd animæ fixarum stellarum planetarumque solum lucido corpore circundantur, cæteræ corporibus geminis, lucido, & opaco: aut certè altero lucidissimo, altero minus lucido. Eadem quasi lux esse videtur, quę dum scintilla manet, sentit quidem, sed non sentitur: cũ verò explicatur in flammam, sentitur quidem iam, sed ipsa nil sentit amplius: & sicut sensu careret quicunque flammã videns, scintillã se videre negaret, ita carebit anima, qui dũ globos æthereos suspicit quasi quosdam circuitus animarum, animas inesse illis quasi centra non senserit: neque concesserit animas esse globos luminũ implicatos, globos autẽ esse animas explicatas. Quod ita significauit Heraclitus.

αὐγὴ ξηρὴ, ψυχὴ σοφωτάτη,

id est, lux sicca, anima sapientissima. Hinc efficitur vt nihil animo aut gratius aut mirabilius sit quã lumen: neque pos- E
sit alibi quàm in lumine spirituum habitare: dum collit terras. Iam igitur & hic inueniſtis animam esse tanquam lucẽ inuisibilem, viuificam, sentientem, intelligibilẽ, intelligentem. Et paulò antè, tanquam punctum à corpore liberum, agile per seipsum, calens, viuificũ, sentiens, capax superiorũ: quod substantialis quædã vnitas appellatur. Atque hæc prima quædam excursio fit, & quasi præludiũ, quo infelix diffidentia illa tollatur, quæ longissimè à spiritalium confessione abducit animos plebeiorum.

Anima non est corpus, aut forma diuisa in corpore: vt ostenditur per virtutem animæ naturalem.
Cap. 3.

PRopositæ quæstionis ordo requirit, vt in prima sequen- F
tis disputationis parte ostendamus, per virtutem animę naturalẽ, hominis quidẽ animã potissimũ quidẽ nõ esse corpus: partim etiã nõ esse formã diuisam in corpore. In secunda parte per virtutẽ sentiendi monstremus idẽ scilicet,

animam esse formam indiuisibilem: ac insuper illud adiicia mus, eam videlicet non alicui corporis membro affigi, sed totam per singula fundi. In tertia verò parte, per virtutē intelligendi eadem confirmemus: scilicet eam esse formā impartibilem vbique totam: & illud adiiciamus, quod nullam trahat originem à materia. Sic enim anima hominis ad tertiam illam essentiā, quæ est perpetua, pertinebit: & immortalis meritò iudicabitur. Iā verò primā disputationis partē diuino numine inuocato in hunc modum aggrediamur.

Prima ratio, quia anima est principium nutriendi, & quomodocunque aliter operandi.
Cap. 4.

A ANimantes & plantæ virentes, corpora sunt. Corpora etiam sunt ligna, & saxa ex terra conuulsa. Corpora illa coalescunt: hec verò nequaquam. Quid autem est in illis principium alimenti? Non materia corporalis: quoniam alia etiam corpora nutrirentur, quibus talis materia est communis. Cum ergo vis illa per quam adolescunt, aliud quiddam sit præter materiam corporalem, & illa non sit aliud quàm ánima nutritiua: sequitur vt talis anima non sit corpus. Siquis autem obiecerit ita: Immo verò est corpus, non corpus quodlibet, sed tale quiddam, & sic affectum, qualis natura plantis & animantis propria sit, saxis verò & lignis aridis non communis: quæremus ab illo de huiusmodi tali certoque corpore quod vocat animā, vtrū duo quędam in se contineat, corporalem scilicet molem, atque insuper certam quandam affectionem per quam tale vocatur, & certum sit propriúmque corpus: an nihil habeat vltra materiam corporibus omnibus vbique cōmunem. Si nihil respondeatur habere prętер communem hanc molem, vana erat nimium obiectio illa per quam dicebatur non quodlibet corpus esse animam, sed corpus tale, & certo modo dispositum. Non enim fit corpus tale & certo modo dispositū, nisi per qualitatem ipsam, & propriam quandam affectionem ipsi corpori superadditam, per quam non modo sit corpus, sed & tale: per quam etiam à quolibet alio differat corpore. Itaque si nihil aliud est ibi prætер molem solam com

munémque corporis: cum illa etiam aridis ligneis insit & saxis, hæc quoque habebũt animam per quã alentur. Quod quia falsum esse constat, necessarium est corpus illud tale quod aduersarius animam appellabat, non materiam corporis solam, sed qualitatem etiam siue formam aliquã continere. Atque illud non propter materiam ipsam corporis, anima nominatur: quia materia omnibus etiam vita carentibus corporibus competit. Restat vt propter formam: formam inquam viuificam. Id enim est animæ proprium. Formam itaque ipsam viuificam vocabimus animam: materiã verò illam cui adiuncta est, quia inde vitæ fit particeps, neque animam, neque animæ partem, sed animarum quiddã esse dicemus. Præsens autem ratio maximè per eam sententiam confirmatur, quã induximus à principio quando disserebamus corpus ex se agere nihil posse: quippe cum videamus anima corporibus accedente multas inde operationes proficisci quæ & ante animæ accessum & post eius discessum minime fiunt. Quapropter animam quę huiusmodi operationum principium est, corpus non esse concludimus.

Secunda ratio. Neque corpus animatum est anima, neque inanimatum. Cap. 5.

QVale corpus esse vis animam? animatúmne, an inanime? Inanime non dices, quòd alteri vitam tribuit animalẽ. Quomodo enim si anima inanime corpus sit, viuificat corpora? Neque animatũ corpus eam potes dicere: quia si anima animatum corpus dicatur, certè illud corpus postquam animatum dicitur, per aliquam animam dicitur animatum. De illa anima rursus interrogo, corpus ne sit, an non? Si corpus, vtrum animatum, vel inanime? Si inanime respondetur, absurdum quidem. Si animatum, iterum de anima illa quęrã per quã dicitur animatũ. Atq; procedere cogeris in infinitũ quandiu corpus esse animã asseres, ac semper respondere cõpelleris absurdé. Vtraque enim responsio delira videtur, tum animam esse animatam, tum inanime: quemadmodum de sapientia tum esse illam sapientem, tũ etiam insipientiem. Aut de lumine, tum esse illud illuminatum, tum obscurum. Sicut enim neque obscurũ est lumen, B

quod alia illustrat: neque ab alio illuminatum, quod ipsum est primum lumen: sic anima neque est inanimis, quia dat vitam: neque etiam per aliud animata, cū ipsa illud propriè sit per quod revera quodlibet animatur. Ac si ad aliud illam retuleris per quod animetur, ergo similiter illud aliud rursus ad aliud referam: aliudque rursus ad aliud: neque cessabo vnquam: aut si cessabo, in eo ipso certe quiescam, vt dicam aut illud ipsum quod primo ponebatur, aut aliquid sequens: neque animatum neque viuificatum esse ab aliquo, sed ipsum propriè per se esse, quod animat aliud atque viuificat. Tale quiddam animam & vitam propriè, non quoduis aliud appellabo. Tu forsitan vt infinitum illum progressum & responsiones deliras iam deuites, & tamen animam corpus esse asseras: inferes eam esse corpus non quidē animatum, sed corpus animale: non viuificatum, sed viuens: Si ita est, reuolueris eodem. Equidem percontabor, vtrum illud ea ratione qua corpus est, anima sit: an alia quadam ratione, nempe nouæ alicuius additionis per quam animale dicatur & viuens? Certè non ea ratione qua corpus. Omnia siquidem corpora essent animæ, ac operationes præ se ferrent. Sequitur vt alia quædam illic insit natura præter corporis rationem, per quam animale corpus illud viuensque dicatur. Illam ego vitam proprie & animam nuncupabo.

Tertia ratio. Neque crassum corpus est, neque subtile.
Cap. 6.

C NVnquid crassum corpus est anima, puta vel aqua, vel terra, atque similia? An potius subtile, rarúmque, vt ignis & aër? Primum dici non potest: quoniam animæ officium est, penetrare facillimè corpora, implere, mouere. Huic autem operationi crassa corpora sunt ineptissima. Secundum verò illud esse fortasse videbitur probabilius, vt rarum sit corpus anima: vt ignis, aut aër. Verum si ignis dicatur esse: vtrum ignis ille qua ratione ignis, anima est, an quadam alia ratione? Si qua ratione ignis est: esse dicatur anima profectò quilibet ignis anima erit, & omnia ignita viuentia. Igitur alia ratione. Ita de aëre percontandū:

concludendumque, animam semper esse vltra naturam corporis requirendam. Neque adducat quisquam quintum aliquod tenuissimum corpusculum præter quatuor elementa, quod crassioribus infusum corporibus illorum sit anima. Eadem nanque redibit quæstio: vtrum corpusculum illud per materiam suam sit anima, an per vim aliquam materiæ superadditam. Si primum dicitur, omnia corpora erunt animæ: quia omnibus subest materia. Si secundum: assecuti erimus iam quod cupimus, vt anima sit ad aliquam vim quodammodo incorpoream referenda. Afferuntur hic à nonnullis breues quædam persuasiones huiusmodi. Si anima dicatur esse diuisibilis, quæritur nunquid partes eius viuant vt totũ, nécne? Si viuunt, tota anima in singulis est suis particulis: quo fit vt non egeat quantitate: quandoquidem per diuisionem non diminuitur. Si non viuunt, ex non viuentibus vita consistet: quod est impossibile. Rursus omne corpus alicui quinque sensuum innotescere potest: anima nulli. Omne corpus figura aliqua vel termino circunscribitur: anima minime. Omne corpus operationem suam necessariò peragit temporis interuallo (cum enim diuisibile sit in essentia, multo magis in actione) anima sæpe momento temporis operatur. Corpus per quantitatem potius quam per essentiam est in loco, quia propter quantitatem implet locum: anima per essentiam adest corpori. Vt enim adest illi, dat illi esse. Esse per essentiam datur, sicut per sapientiam sapere: adest igitur per essentiam. Corpus ita in alio est, vt contineatur ab eo in quo ponitur, atque excedatur: anima in corpore est non cõprehensa, sed cõprehendens. Ipsa enim corpus perficit, continet, atque ducit. Anima denique quolibet corpore & toto corpore præstantior est: quare lineis punctisque quæ in corporibus sunt vt in subiecto, est præstantior. Indiuisibile diuisibili excellentius est. Animus igitur magis indiuisibilis est quàm aut linea aut punctum. D

Quarta ratio: corpus ex materia & forma componitur.

Cap. 7.

*

A Corpus naturale ex materia & forma componitur. Animal est naturale corpus. Materia itaque in eo est, & forma. Constat autem ex anima atque corpore. Corpus quidem non est forma naturalis: quia forma naturalis alicuius est forma, & in aliquo est tanquam subiecto quodam atque formato. Corpus autē nullius forma est: neque in aliquo est subiecto, sed loco. Restat vt anima forma sit, ob hoc potissimum, quòd est proprium internúmque operationum motionumque principium: immo etiam essendi principium est animali. Totum hoc ad formam spectat. Est igitur anima forma. Quòd si ipsa quoque esset corpus, opus esset adhuc alia quadam forma tam animæ quàm corpori, per quam ambo simul vnum animal vocarentur: quā quidē formā aliam animā proprius vocaremus. Nā per animā quasi per formam corpus quod antè potentia quadam est viuens, actu fit viuens, & animal actu. Anima igitur solum est forma: præsertim quia si duas haberet partes, materiam
B scilicet atque formam, tria sequerentur absurda. Primum, quod non secundum se totam formaret corpus: quia non formaret ipsum per partem eius quæ est materia. oportet autem propriam formam secundum totam sui essentiā totam perficere materiam propriam. Secundum, quòd parsilla animæ quæ forma dicitur, duarum materiarum rationis eiusdem perfectio foret: quod natura non patitur: sicut neque patitur formas duas rationis eiusdem eandē informare materiam. Tertium: quoniā anima in corpora hæc inferiora commutaretur, atque vicissim, si communē cum his materiam possideret. Quod ideo nefas est, quia si fiat corporū animarūque mutua cōmutatio, multo magis fiet quarūlibet animarū in quaslibet animas trāsmutatio, rursúsq; quorūlibet corporū incorpora q̄libet Sit igitur anima solū forma. Forma inquā non accidentalis, sed substātialis. Nā cū anima ipsa sit rectrix motrixq; corporis, ita vt non contineat
C ipsum, sistat & torqueat corpore p̄stantior est. Corpus substantia est. Nullū verò accidens nobilius est substantia. Rursus motor, quantum est principium motionis, non pendet secundum esse suum ex eo quod mouetur. Igitur anima ipsa quæ revera est motrix corporis, à corpore non dependet quasi pedisequa corporis. ita non est corporis accidens. Præterea

terea quicquid vicissim opposita suscipit, atque ipsum interim permanet idem, substantia est. anima eadē permanens recipit tum opinionem hanc, tum illam, inter se contrarias: tum scientiam, tum ignorantiam: & repugnantes affectus, anima igitur est substantia. Substantia inquā, vt forma quędam substantialis. Forma autem non est corpus: quia omne corpus forma aliqua designatur. Forma verò qua ratione forma est, formari non potest. Hinc fit vt anima non sit corpus. Missas facio in præsentia rationes quibus ostenditur animam nostram accidens esse non posse: quia si necessitate quadam hæreret subiecto non posset illi repugnare: neque in se vnquā reflecteretur: neque super accidentiū genus ad substantiæ genus ascenderet. ipsúmve propriè diffiniret: vel discernere posset ab accidentibus: vel quanto interuallo accidentia superat, rite metiri.

Quinta ratio. Corpus natura sua dispersum est.
Cap. 8.

CORpus natūra sua dispersum est penitus: primo, quia distantiam partium patitur: ita vt semper in alio loco sit alia. Secundo, quia continue transmutatur. Nam si subiicitur tempori: sicut varia momenta succedunt in tempore, sic affectiones momentis singulis variantur in corpore. Quæ quidem varietas cum fiat in cælis: multo magis fit raptu cælorum in elementis. Tertio, quia contrariis subiicitur qualitatibus, calori & frigori, & similibus. Vnde fit vt contra naturam corporis sit coire in vnum, manere simile, & sibiipsi constare. Extensio nanque ipsa quantitatis partes corporis disiunctas manere compellit. Motus perennis cogit mutari naturam: neque sua simul habere, sed aliud amittere, quærere aliud. Qualitatum contrarietas impellit vt altera fugiat, alteram per quam fugam corpus ipsum compositum dissipatur. Quanuis autē per hæc appareat corpus natura sua nullo modo posse firmiter in vnitate consistere, tamen corpus quodlibet aliquo modo in suis partibus nectitur, cunctis in vnam totius corporis copulā conspirantibus. Est igitur in corpore aliquid vltra corporis naturam, quod ipsum vnit, sistit, & continet. Vnit inquam distantiam par-

tium: sistit fluxum perennem: continet inuicem per suam simplicem consonantiã dissonas corporis qualitates. Quid hoc est? corpúsne? Si corpus est, eget similiter alio connectente. Quid aliud illud? Num corpus? Si corpus, eget & alio. Quocirca fatendum est nullam esse posse in corporibus vnitatem, nullam constantiam, nullámve concordiam, nisi illis insit vis aliqua incorporea. Ergo si & anima corpus dicatur esse: eget ipsa etiam aliqua copula. Vim autem huiusmodi copulantem nos animam, vel virtutem animæ potius quàm illud copulatum asseuerabimus, cum videamus esse animæ proprium, humores contrarios membraque diuersa in vnam animalis compagem deuincere: qua abeunte diffluunt omnia. Igitur anima neque est corpus, sed copula cor
G poris intima, vel substantia copulatrix. Neque forma diuisa per corpus. Talis enim forma (vt Platonici putant) simplicitatis & constantiæ naturam amittit in corpore: vnde ipsa æquè vt corpus eget alio continente, quod vnum in seipso
H consistat, ad diuisionẽ corporis minimè dissipatum. Si quis autem quærat vnde saxa & ligna sortiuntur suarum partiũ vnionem, respondebunt Platonici, illa quamdiu affiguntur terræ, ab anima terræ sortiri & vnionem & augmentum: postquam verò auulsa sunt: non augmentum amplius, sed vnionem.

Sexta ratio. Duo corpora non sunt in eodem loco.
Cap. 6.

I DVo corpora in eodem loco penitus inuicem æquari non possunt. Nam si eodem in loco penitus esse debeant, oportet illa primùm in partes diuidi, deinde partes illas inuicem iungi. Quæ quidem partes si indiuisibiles sunt, iã corpora illa in indiuidua resoluta sunt. Et quoniam ex iisdem composita fuerant, neque dissoluuntur: sequitur vt ex indiuiduis quibusdam corporis magnitudo cõcreuerit. Quod ideo fieri non potuit, quia indiuidua congregrata simul nunquam conficiunt magnitudinem. Sin autem partes illæ diuisibiles fuerint, quælibet per se erit corpus, ac situm proprium seorsum habebit ab alia. itaque non erũt corpora duo in loco vno: immo in multis loculis mul-

ta corpuſcula. Si ergo corpora duo eodē in loco æquari inuicem nequeunt: anima quæ corpori viuo ſeſe vbique infundit, & per omnia ſe porrigit corporis puncta, nō eſt corpus. Quòd autem vbique in corpore ſit, ex eo in præſentia patet, quòd nihil magis intrinſecum eſſentiæ eſt quàm eſſe. Ideoque forma per quam eſſe ſubſtantiale tribuitur tum corpori toti, tū partibus: toti partibuſque eſt intima. Et quia ſicut res ſe habet ad eſſe, ſic & ad vnū: anima quæ per ſe dat eſſe, per ſe quoque abſque medio vnitur corpori vniuerſo. Quòd autē eſſe ſubſtantiale tribuat, inde patet, quòd ea ſublata omnia membra mutant ſpeciem: Quoniam verò ab eſſentia fluit eſſe, à virtute operatio: anima quæ ſingulis mē bris eſſe operationémque largitur, ſingulis quoque eſſentiā ſuam virtutemque communicat. Ita enim eſſe operationē- que præſtat, ſicut vnitur. Quare ſi illa præſtat ſingulis: vnitur & ſingulis. Nónne ſi corpus quodlibet naturale carens anima, vnum quiddam eſt per formam vnā in toto & partibus exiſtentē: multo magis animatum corpus vnū erit per animam toti partibúſque præſentē? Quòd ſi anima in vno ſolū mēbro ſit, illius ſoliuserit forma, reliquorū alię erūt formę: vnde nō cōficietur ex mēbris omnibus naturale corpus revera vnū, ſed cōgregatū quiddā, tanq̄ domus ex parietibus. Neq; erit in qualibet animalis parte cōſenſio & cōcordia ad quālibet, qualis modo eſt: niſi per vnā animā varia membra conglutinentur: ſicut neque ad tractū nerui omnes articuli contrahuntur, niſi idē ſit neruus in omnibus. Adde quod in quauis quantumcunque minima corporis portiuncula eſt vita, & in plurimis motus & ſenſus. Hæ animæ vires operationéſque intimæ ſunt. Vis actioque agenti alicui intima, ſine agentis ſubſtantia non exiſtit. In illis ergo eſt anima, ſi in illis viget & agit. Quæ quādo ſuo modo mouetur, corpus nō diſſipat: quia non fit dolor: aliquis ex animę motu per corpus. Fieret autē perpetuus in corpore dolor, ſi ad motū animæ partes eius diſſiparentur & turbarentur. Diſſiparentur autē proculdubio, ſi anima eſſet corpus: cū ipſa p corpus ſuo quodam motu perpetuò moueatur. Quonam pacto anima corpus erit, quæ eſt vbique per corpus, & ſine vlla corporis offenſione totum vndique implet & penetrat? Porro ſi ſolidum corpus eſſet: vel totum corpus non imple-

K

A

ret,neque viueret inde totũ:vel si impleret,penetrando frangeret,frangeretuŕque,& dolor in nobis perpetuus proueniret.Sinautem corpus esset fluxum & labile:anima corpus animantis neque deuinciret,neque firmiter solidaret: sed & ipsa alio quodam vinculo(vt supra diximus)indigeret: cuius stabilitate firmaretur regeretúrque & moueretur.Illud verò vinculum libentiùs animam, immo virtutem animæ appellabimus.Siquidem animæ virtus in corpore idem fer-
B me est quod vel coaguli virtus in lacte quod inde coagulatur:vel vis Magnetis in ferro,quod inde trahitur & suspenditur:vel temperatio artis in horologio, quod inde ordine mirabili regitur,mouetur,& sonat.Ipsa verò anima non est virtus temperatióve humorum, sed forma quædã substantialis,simplex,indiuisibilis, quæ virtute & arte naturali spiritus,humores membraque temperat.

Septima ratio. Corpus non est simul totum in pluribus.
Cap. 10.

NEque corpora,neque formæ diuisæ per corpora, possunt omninò esse simul in pluribus partibus aut lo-
C cis.Vis seminaria tota est in qualibet particula seminis.In quot enim particulas semen diuiditur, totidem animalia oriuntur:quod maxime in piscium ouis apparet.Si ex quacunque guttula seminis totum pullulat animal, tota illic delitescit seminaria virtus.Hæc verò est animæ instrumẽ
A tum generationi subseruiens.Quapropter multo magis tota anima est in qualibet seminis corporisque particula.Post quam ergo tota est in singulis animæ virtus, nónne virtus vegetatrix tota est in quolibet plantę semine,cum plantam integram producat ex quolibet?certè. Vegetatiua quoque anima exigua primum radice vel germine capitur: deinde crescente arbore per omnes se fundit ramos. Siccatis deni-
D que ramis vel amputatis rursus sese contrahit in radicem. Hanc animam quantitate carere Plotinus Porphyriúsque existimant:q̃ æquè clauditur minimis, implet amplissima.
E

Octaua ratio. Anima est vita,aut fons vitæ.
Cap. 11.

ANimam esse putamus naturam quandam quæ aut vita quædam sit, aut vitam ceu comitẽ habeat & pediseq̃am, postquam corpora vitam per animam sortiuntur. Corpus necessariò in plures partes diuiditur. Nam corpus aliud est ex pluribus elementis compositum: aliud elementum, ex elementis aliis minime congregatũ, sed ex forma & materia constitutum. Si animam dixeris esse corpus constructum ex pluribus elementis, sciscitabimur nunquid illa elementa quælibet per se seorsum ab aliis vitã habeant, aut nulla, sed congregata simul vitam pariãt: aut vnũ quiddam illorum possideat vitam. Si quodlibet illorum per se habet vitam: tot ibi sunt animæ, quot elementa. Neque ibi est anima vna ex multis conflata partibus, sed animæ multæ sedem eandem colentes. Si nullum illorum habet vitã: nunquam concursu mutuo vitam creabunt. Ac si in eorum concursu vita nascatur: non quidem ipsorum vi, cũ ipsa vita careant, sed vi potius alicuius concursum illum ordinantis vita illa nascetur: præsertim cum sit fatendum, etiam si concursione multorum vita confletur, non tamen quomodocunque concurrãt, verùm si certa ratione viaq; concurrant, vitam in illis gigni. Ita illius certę concursionis intimus ordinator, anima ipsa erit, vitam suo modo confluentibus exhibens. Sin dixeris vnum aliquod è multis elementis habere vitam, illud solum modo anima ipsa erit: neque opus erit I
prẽter istud aliis elementis vt anima generetur. Quamobrẽ anima nullo modo putanda est esse corpus ex elemẽtis pluribus constitutum. Sed neque elementum vnum: quia elementum quodlibet ex materia & forma componitur. Si i- G
stud viueret, non per materiam viueret: cum informis materia nequeat vitã aut alicui aut sibiipsi præbere. Igitur tale viueret per formam. Forma igitur esset anima. Quinetiam I
si anima est corpus, siue elementum sit, siue simile quiddã: & seu simplex, seu compositum: certè ita vt dicam, vel similiter erit affectum, scilicet calidum vel frigidum, siccum vel humidum, leue vel graue, rarum vel densum, fluxum solidũ, album nigrum, atque similia. Si calidum, calefaciet solum. Si leue, alta petet: & omnino qualecunque corpus sit, secundum naturam propriam operabitur: & effectum naturæ suę
oppositum nunquam aget. Non enim frigidũ calefacit. Est H

autem cuiuslibet corporis certa & determinata natura ac forma: sicut locus terminatus est, & certum tempus, & finita potentia. Igitur cuiusque corporis determinata operatio est: & ad effectus contrarios non extenditur. Anima verò ad contraria quælibet vim habere videtur. Nam & in diuersis corporibus animalium & in eodem multa inter se efficit repugnantia. Sistit, mouet: contrahit: extendit rarefacit, condensat: acuit, obtundit: aperit, claudit: fundit, & solidat. Contrarios odores, sapores, atque colores, oppositas vires & figuras humoribus membrisque tradit: leues spiritus deorsum mouet ad pedes: graues humores sursum ducit ad caput: quod fit contra corporum naturam. Agitat corpus in omnem partem: sursum contra grauium elementorum ponderа: deorsum contra leuium sublimitatē: in latus & in circuitum contra omnem corporis facultatem. Cum ergo omnes ferme effectus inter se contrarios faciat, & ad repugnantes motus ita sit compos, vt præter corporum ordinē moueat: quis adeo demens erit, vt aut corpus, aut eius qualitatem, siue qualitatis aliquid, esse animam fateatur?

Nona ratio. Corpus seipsum non mouet.
Cap. 12.

I QVod verè & primò est per seipsum mobile, ita vt ipsum omnino idem sit & fons & receptaculum motionis: secundum se totum per se mobile debet esse: sicut in cæteris omnibus apparet quæcunque per se & primò sic talia quædam dicuntur esse vel talia: sicut quod ita est clarum, secundum se totum est clarum. Quod ita bonū, totum bonum est. Quod ita intellectum, intellectuale est
K totum. Nam essentia quæ primò effundit qualitatem aliquam, & amplectitur susciptique primo: quia perfecte agit vtrunque, efficit vtrunque per totum. Oportet autem in natura reperiri essentiam illo modo per se siue ex se mobilem atque animam esse talem: vt libris superioribus demonstrauimus. Corpus autem etiam si fingatur per se primoque esse mobile, nondum tamen secundum se totum poterit esse tale: quoniam oporteret quamlibet eius partem à seipsa moueri, & partium partes atque particulas. Nam si vna

particula sit in corpore quæ se non moueat, non erit corpus illud secundum se totum ex se mobile, atque ita non verè & primò erit tale, sed alterius cuiusdam primo talis participatione atque præsentia. Quare ad hoc vt perfectè per se mobile sit, concedendum esset quaslibet eius particulas à se ipsis moueri. Illæ diuiduntur in infinitum: vnde innumerabiles erunt illæ particulæ quæ se mouebunt. Quod mouet, agit: quod agit, existit actu. Erunt igitur infinitæ partes in actu sese agitantes, & infiniti in quouis corpore mundi motores. A Immo verò non erunt partes illæ alterius corporis ex eo ipso quod actu erunt suo, sed quælibet per se tota consistet: atque erit infinita quædam multitudo corpusculorum existens actu. Impossibile autem est talem esse multitudinem in natura. Quoniam igitur nequeunt esse corporis partes actu infinitæ, immo verò neque actu quidem revera esse omnino, quando nullum habent esse proprium, sed sub ipso esse totius compositi continentur: sequitur vt partes corporis sese non moueant: nec propter hoc actu cogantur esse, & actu penitus infinitæ. Concludamus igitur corpus non posse verè primoque per se mobile esse: B cum ipsi secundum se totū id competere nequeat, quando partes eius assequi id non valent, vt se moueant. Ad idem rursus alia via progrediamur. Quando aliquis corpus asserit mouere seipsum: ex iis quatuor vnum aliquid potissimum compellitur confiteri: aut partem corporis alteram moueri ab altera: aut totum à parte: aut à toto partem: aut totum à toto, id est ab omnibus partibus partes omnes. Si primum affirmetur: cū aliud quiddam sit pars altera, aliud altera: non idem mouebit seipsum, sed aliud potius aliud. Neque ex hoc corpus illud compositum vere mouebit seipsum: cum sit ex aliquibus partibus constitutum quę se nō mouent: sed duo quedam habebit in se distincta inuicem, quorū alterum moueat alterum. Si secundū illud diuisionis membrū acceperis, scilicet quod pars mouet totū: vel tertiū scilicet quod totum mouet partem: nondum verè cōpositū illud sese agitat. Aliud nanque partem, aliud totum esse volumus. Atque illa pars quæ mouet totum, mouet vtique omnes partes: ideóque in numero aliarum partium etiam seipsam mutat. Similiter si totum mouere partem di-

catur:per omnes partes vnam commouet partem. ergo vnam quandam solummodo agitat quodammodo per seipsam. Vides in his duobus diuisionis illius mẽbris non posse aliter dici totum illud mouere seipsum,nisi per partem illã sui quæ sese agitat:per alias minimé. Atque ita non totum illud revera erit per se mobile,sed pars forsan illa totius:quę etiam pars eius non erit,cum per se aliquid operetur. Quòd si quartum concesseris scilicet totum à toto moueri:cũ totũ
C fortasse non sit aliud quàm cunctæ simul partes, fateberis partes omnes ab omnibus permutari, vbi compositũ illud non aliã ob causam affirmari debet mouere seipsum, nisi quia pars quælibet eius agitat semetipsam. Quapropter ad partem semper confugere cogeris per se mobile corpus affirmaturus. Quod in primis idcirco dãnamus, quia corpus illud compositum non erit propriè per se mobile, postquã id ab alio,id est,à partibus mutuatur. Nam ratione partium dicitur per se mobile. Licet enim corpus illud quodãmodo cunctas simul partes esse constet: tamen motũ huiusmodi mutuari videtur à singulis:sicut & substantiam suam à singulis accipit. Respondę quæso de illa parte vel partibus illis quarum ratione totum asseritur sese mouere ex eo quòd illæ se mouent:sũntne indiuiduæ? Si sunt,profectò quod sese mouet,non corpus est, sed indiuiduum quiddam in corpore,cuius impulsu etiã corpus sponte sua ferri videtur. Sin diuiduæ: illã similiter partiemur: vt & totum iã secuimus: atque eadem ratione comperiemus nullo modo affirmari posse de illis partibus quòd per se moueantur, nisi ratione particularũ quæ se moueant. De particulis similiter perseru tabimur:quæ quoniam in infinitum distribuuntur, nouos semper & plurimos motores inueniemus: neque vnquam peruenie mus ad vnum, cũ diuidendo semper plurimos habeamus. Neque vnquam ad primos aut primum:cum diuidamus similiter infinité. Nusquam igitur est in substantia corporis vnus ac primus ipsius motor:quamobrem nullam in se habet sui motus originem, per quã revera asseri valeat ex seipso moueri: sed ad impartibile aliquid cõpellimur deuenire,vnde nascatur omnis corporalis agitationis origo.
D Internus autem corporis agitator est anima: qua præsente, corpora sua sponte quodammodo & in omnem partẽ se-

runtur: absente verò anima, externo indigent cõmouente. Si ista quoque sit corpus, eget ipsa quoque mouente: mouente inquã intrinseco. siquidem absque impulsu externo viuentia quæque mouentur. Ille quidem motor intimus anima ipsa erit, quam per se oportet moueri: quandoquidẽ corpora per animam vim sese mouendi habere videntur. Omne autem tale ad naturam aliquam verè suimet agitatricem est reducendũ. Ita anima proprie per se mouetur, si eius participatione facultatem cætera nanciscuntur vt per se quodammodo moueantur. Hæc igitur non est corpus: sed neque etiam forma in corpore dissipata. Nam hæc etiã per rationes superiores se mouere non valet, iisdẽ subiecta quibus & corpus conditionibus: vt apparuit. Vbi cauillatio illa excluditur, qua nonnulli contendunt ostendere corpus aliquod per se moueri: dicentes ipsum ex materia & forma vel ex quatuor elementis ita componi, vt alia quædam natura præter materiam & formã & quatuor elementa proueniat, quæ sit totius integritas quæ seipsam moueat: quia per formam habet hoc vt moueat, per materiã vt moueatur. Talis obiectio aduersus Platonicos nihil valet: tũ quia in alia essentia erit radix per quam mouere, in alia per quam moueri videbitur. Oportet tamen ad aliquam essentiã peruenire quæ sit & fons & receptaculum motionis & vitæ: quemadmodum ad aliquam peruenitur quæ lucis, & ad aliquã quæ caloris radix est simul & fundamentum. Tum quia natura illa quæ est totius integritas, si quantitate protenditur, non magis poterit ex seipsa moueri, quam moles ipsa corporea: vt suprà monstrauimus. Sin autem indiuisibilis est: iam (vt cupiebamus) ad naturam peruenimus incorpoream, in qua sit sui ipsius agitandi potestas. Non quod in seipsam agat, & patiatur. Motio enim in ea non transitũ significat ab agente in patiens, sed naturalem essentiæ illius vicissitudinẽ, qua suarũ affectionũ variat vices: atque ita per se discurrit, non agitante alio: vt per se calet ignis, neque alio calefaciente, neque parte sui alia in aliam fundente calorem. Motus igitur animalis cum non sit à corpore, quod est sua natura pigrũ: neque sit à solo cõposito, in quo non erit vis vlla mouendi, si ex partibus talibus sit conflatum, in quibus nulla vis sit ad motũ: necessario est ab anima: quæ si vim migrandi ex ocio

in actum tribuit animali, multo magis priusque tribuit ipsa sibi. Quicquid enim boni actúsque vitalis à causa traducitur in effectum, prius explicatur in causa. Sic enim calor calet feruetque secum ipse prius, quàm materiam aliam calefaciat: & animata corpora turgent seminibus, fœtúsque concipiunt in seipsas prius, quàm partus edant. Dum igitur anima vitalem à potentia in actum progressionem explicat in seipsa, dicitur à seipsa moueri. Motum quidem in anima,
F propriè actionem Platonici nominant: quoniam in fonte suo sit, formetque corpus & agitet. In corpore vero motum
— nominant passionem. Cumque molem corpoream etiam vniuersi oporteat moueri ab alio: concludunt vniuersi corporis motum passionem esse à motu animæ vniuersalis, tãquam ab actione quadam illarum. Et quemadmodum in quolibet genere imperfecta semper ad perfecta reducunt: ita
G motum corporis imperfectum ad animæ motum tanquam perfectum in ipso motionis genere referunt. Proinde cum quæritur quonam motu præcipuè anima moueatur respondent: non corporali: est enim incorporea. non imaginabili: caret enim figura non cognitiuo: ignorat enim seipsam sed motu secundum essentiam vitalem. Sicut enim essentiæ actus est esse, atque intellectus ipsius actus est intel-
A ligere: sic vitæ actus est viuere. Non enim aduentitiam, sed ex seipsa possidet vitam: atque vt illorum verbis vtar, anima est vita se generans & producens. Vita vero omnis est motus. Quare si omne viuens mouetur: etiam quod per se viuit, per se quoque mouetur: atque quod viuit semper, mouetur & semper: non intellectuali videlicet motu, sed vitali. Quapropter semper mouetur: & non semper. Nam mens quidem secundum potentiam est: vita verò secundum actum. Denique essentia semper viuit, perpetuúmque intrin secus exercet motum: quoniam essentialis vita semper est mobilis: vires autem & actus quæ tam circa vitam quàm circa intellectum contingunt, vel intermitti vel aberrare quandoque possunt. Sed regrediamur iam vnde digressi sumus. Idem nobis tertia hæc sequens ratio persuadet. Mo-
B tus omnes hi sunt, alteratio, generatio, corruptio: augmentum, decrementũ: condensatio, rarefactio: progressio. Nunquid secundũ alterationem seipsum mouet corpus? nequa-

quam. Si enim se debeat calefacere: calorem habeat oportet quem sibimet tribuat. Oportet etiam vt non habeat, si modò sit accepturum. Non enim accipit quisquam quod possidet. Ergo vt calefacit: calidum iam est: vt calefit, nondū est calidum. Dictu quidem ridiculum, istud habere aliquid simul & non habere: nisi forte quis aquam dicat frigiditatem quandam secundum virtutem habere, quam retineat etiam postquam igne fuerit calefacta: per quam remota ab igne ad frigiditatem secundum actum iterum reuertatur. Huic Platonici respondebunt, vel aquam illam ab elementis extrinsecis frigefieri: vel si qualitas eius secundum actū (quæ aliquantum ad naturam vergit incorporalem) pullulat ex intrinseca illa virtute qualitatis productiuæ (quæ quidem virtus etiam multo magis naturæ incorporali propinquat) sequi vt virtus huiusmodi rursus à substantia quadam scaturiat, quæ penitus incorporalis existat. Substantia verò huiusmodi erit principium motus in corpore.

Nullum igitur corpus alteratione seipsum mouet. Sed C
neque etiam seipsum generat: quia quod generat aliud, generato dat esse. Habet igitur genitor esse, quod tribuit genito. Quod generatur, aliunde accipit esse, quod ipsum non possidet. Nihil igitur sibi potest esse tribuere. Haberet enim ipsum simul & non haberet. Et cum genitor genitum antecedat: qui sui ipsius secundum finitam naturam genitor est, & genitus, seipso simul prior est atque posterior: quod in natura finita nemo vtique finxerit. Atqui neque corrumpit etiam seipsum corpus: Quippe cum res quæque prolem suam ex natura propria generet, atque ideo sibi conuenientem proferat non contrariam: sequitur vt naturalis rei ciusque instinctus, qui proles quædam est essentiæ atque ipsius esse, contra essentiam & esse non surgat.
Nulla ergo res instinctu suo ducitur ad non esse, nedum sui, sed neque alterius cuiusquam.
Immo cum rei cuiusque nixus ad seipsam seruandam proficiscatur, in contrariū non flectetur. Sed neq; auget seipsum corpus aut minuit. Non enim fieri id sine alteratione cōtingit, ac etiā generatione quadā & corruptione. Nā per qualiD
tatū alterationē crescimus & decrescimus. Et dū crescimus, nouæ in nobis partes corporis generantur: dum decresci-

mus, veteres corrumpuntur. Si ergo incrementum & decrementū alteratione generationeque & corruptione indigēt: corpus quod per alterationē, generationem, corruptionē se non mouet, neque augendo quidē mouet seipsum vel minuendo: neque etiā condensat seipsum vel rarefacit: quoniā
D sine alteratione ista quoque non fiunt. Dixerit forte quispiā: corpus saltem per se loco mutatur per transitū vel circuitū. Hoc quoque impossibile est dictu. Si enim ad superiores illos motus qui interni sunt, est impotens: multo magis erit impotens ad externos. Motus quidē externos voco circuitū atque transitum: qui ad terminos remotiores tendunt quā motus interni. Itaque si corpus non valet per se moneri ad terminos proprios, quonam pacto poterit ad terminos alienos? Quamobrem sic iam concludamus. Nulli apparent in corporibus alij motus prēter illos octo iam numeratos. Per nullum illorum ex seipsis aguntur. Ergo nullo modo ex se corpora agitantur. Mouentur tamen (vt cuique constat) à
E natura quadam intrinsecus agitante, etiā sine externis impulsibus. Hanc animā esse Platonicus nemo negauerit: quā moueri per se possibile est: quia in ea alij quidam prætor octo illos alterius naturæ motus reperiuntur. Quantū ad partem spectat qua regitur corpus, reperitur in anima tēporalis vicissitudo seminū aliās aliter in ea emergentiū ad corporalia generanda. Quantum verò ad partē animæ pertinet quæ in cognitione versatur: inest in ipsa de cognitione affectioneque alia in aliam discursio temporalis: ab effectibus naturæ vltimis in superna principia per causas medias temporalis ascensio: ac vicissim à supernis principiis per medias causas ad vltimos effectus descensio. Hæ discursiones, motiones quædā sunt, & naturæ animi propriæ: vt aliās declarauimus. Non enim deo vel angelis congruunt, qui simul omnia possident atque vident. Non corporibus cōpetunt, quæ per se nihil agunt. Non formis corporeis, quę ad incorporalia non mouentur. Huiusmodi verò discursiones ad diuina nos ducentes, supra naturam corporis eleuant. Efferri verò supra naturam suam neque corpus neque aliud quicquam per seipsum valet. Igitur reuolutiones tales quæ sunt
C à corporibus alienæ, animo tamen insunt: testantur animā vel corpus vel formam diuisam in corpore esse non posse,

Motus animo

præsertim cum anima secundũ illas per se, id est, per naturã ac vim propriã agitetur, ideoque per se moueatur: quod nequit corpus. Præterea apparent in anima motionũ corporalium exemplaria: generationis, quando diuinis hæret. Corruptionis, quando mortalibus. Augmenti, quando reminiscitur. Decrementi, quando obliuiscur. Alterationis, quando variat vices affectionum. Condensationis, prout subito aliquid intuetur, vel sese colligit. Rarefactionis, prout discurrit, vel circa multa distrahitur. Progressionis in rectum, cum primum attingit externa. Circuitus autem, cũ vel in rebus ipsis effectum resoluit in causam, & à causa deducit effectũ: vel in seipsam considerandam reflectitur. Moueri rursus videtur in rectum, quando ad corpus sensumque declinat. In obliquũ, quando in se angelũ ve reflectitur. In circulũ, quando in deum principiũ finemque suũ. Sursum ad vniuersalia. Deorsum ad particularia. Ad dextram quoque atque sinistrã in oppositas videlicet generis differentias. Denique ante & retro, quando ad causas naturales effectús ve se vertit. Quis itaque neget animam motionũ fontem esse, cum in ea proprij motus sint, & motionum corporalium exemplaria: in quibus contra corporis naturam ipsa sese generat quodãmodo: vel (vt ita dixerim) quasi corrũpit, auget, minuitque, & transfert, & reliqua? Merito igitur per eius præsentiã corpora viuentia facultatem hanc adipiscũtur, vt sese alterent, nutriant, augeant: dum ex se aliquid generant in seipsis. Ac rursus vt ex se gradiantur, quocũque iudicauerint gradiendum. Quorum nihil efficiunt quę non viuunt: quasi sponta neus motus vitæ sit proprius. G H

Decima ratio. Anima non crescit ad corporis huius augmentum. Cap. 13.

SI anima corpus est, implet certè corpus istud quod vides solidum, vt viuat totum: & ipsa tenue atque agile corpus est: quod animi celeritas indicat. Quare si corpus animalis partiaris in membra: sicut frusta omnia corporis corpora sunt, ita corpuscula illa quę in membris sectis supersunt, sunt animæ, præsertim cum anima vnius sit tota naturę, vt diuersa coniũgat. Viuent igitur, mouebuntur & sentient ad I

tempus brachia & crura à corpore seperata: & anima quę in reliquo restat corpore, quę sæpe brachiis & cruribus amputatis viuit decennium: multo erit minor quam antea: ideo pusillanimis erit, hæbes, obliuiosa. Immo etiã sic argumentemur. Si anima corpus est, manifesti huius corporis magnitudinem quantitatem penitusę quans crescente ipso crescet, decrescente decrescet. In vasto corpore magnificentior erit & diuinior animus. Atque in eodem homine quando adolescente corpore adolescet & anima: oportebit vt per adiunctionẽ corporis sibi similis adolescat. Alimentũ huiusmodi viuit ne in se antequam ab anima capiatur, an non? Si non viuit: quonam pacto vitam animę præstat, & auget, quod & vita caret, & antequam vitã animæ mutuet, oportet ipsum vitam ab anima mutuari? Si viuit, iam habet animam. Nouæ igitur quotidie animæ à nobis hauriuntur ad nostrę huius animæ nutrimentum. Transit autem semper alimonia in eius naturam quod alitur. Itaque multæ quotidiæ animę à natura perdentur, vt vna seruetur anima: quod bonitas naturæ non patitur. Immo vero neque prior anima nostra seruabitur, si substantia sua assiduè subterfugiat, vnde nouas animas cogatur sibi semper adsciscere, per quas anima iugiter innouetur. Verùm quonam pacto recens anima cũ priore consentit? Quomodo si continuè effluit aliquid ab anima nostra, & influit in animam alimentum, sicut fieri in carne videmus: manet voluntas eadem in plerisque semper, idem mos, opinio eadem & scientia, perpetuaque eiusdem rei memoria? Quomodo post decennium agnoscimus illa statim visa quæ ante decennium videramus nisi earundem rerum nobis acceptę quondam incolúmes adhuc seruentur imagines? Quis eas seruat nisi idem qui acceperat & iudicauerat animus? Quo pacto seruat, si non seruatur? Qua ratione non stante animo stabunt imagines & scientiæ? Neque dicat quisquam stare diu animum, si corpus fuerit. Quod enim corpus sub cælo manere in eodem statu potest diu, cælo ipso tam celeriter percurrente? Proinde si corpus aliquod tale sit, vt maneat aliquantum: corpora tamen subtilia & agilia minime omnium permanebunt. Anima verò si corpus sit, tenuissimum sit oportet, vt visceribus suffusa facillimè cuncta viuificet. Ideo & ossa & nerui diutius con-

sistent quàm anima: immo etiam caro, quæ tamen breui tempore labitur,& renouatur in dies. Erit autem anima flatus alicuius instar,instabilis prorsus, & momentis singulis A euanescens:quapropter neque diem quidem vnum scientias rerum imaginésque seruabit. Idem quoque patietur si anima qualitas sit & complexio aliqua humorum atque mẽbrorum. Pariter enim qualitas fluit & humor: atque in ipsa nutritione anima effluet refluetque sicut corpus:neque constabit animal secundum formã magis quàm secundũ materiam propriam. Neque seruabitur innumeralis vnitas animalis, neque continuatio motionis nutrimẽti aut augmẽti. Neque erit in animali vis aliqua horum motuũ ordinatrix, quæ ita sibi ipsa cõstet,vt & ordinẽ ipsis ,pgrediendi,& terminum imponat grogressioni quousq; nutriri oporteat vel augeri. Necesse est enim rectorẽ illũ in se consistere,qui ordinat sistitque mobilia. Obiiciet forte aliquis ita: Videmus in corpore nostro figurã eandẽ diutissime permanere, licet caro labatur & refluat. Similiter ergo quid prohibet in anima easdem rerũ cognitarum imagines permanere,licet animæ substantia ex vetere mutetur in nouam? Respondemus, neque eandem prorsus manere figurã,neque penitus similẽ sed priorẽ frequenter abeunte carne abire,& in carne recẽte nouam priori quodammodo similem refici: idque fieri à quodam artifice stabilissimo interius fabricante: qui cum maneat semper idẽ, habeatque in se membrorũ familiaris corporis disponendorũ rationes & semina,potest nouis humoribus quotidie influentibus complexionem similem ac prioribus tradere,& recenti carni similem ac veteri præbere figuram non aliter quàm vultus qui flumen supernè despiciens,fluentes vndas nouasque quolibet momento nouis imaginibus sui depingit: ita vt idem in variis vndis vultus persistere videatur. Intimus autem ille faber corporis atque stabilis, anima est: quæ si & ipsa fluat, certè neque similes corpus præ se diu feret effigies & figuras, neque anima scientias similes retinebit: quia tunc neque ipsa vi sua eas tenebit: neque aderit illi aliquis qui aut stabiliat illas in animo, aut similes prioribus alias generet. Non enim dicendum est, quando anima imaginem rei possidens, effluit, eandem influenti animæ imaginem seipsam

insinuare: quia nequit qualitas vlla in subiectum nouũ de vetere suiecto transire: neque etiam euanescens illa prior anima imaginem aliam siue similẽ in anima veniente figurat. Figurare enim cum fit actio, perfectum requirit agentem. Illa verò anima dum interit, deficit quidem ipsa: neque potest tunc animam nouã perficere. Formare verò seipsam anima noua nequit, eo præsertim ipso momento quo nasci tur: quia ipsa etiam tunc est imperfecta. Quocirca nullo modo potest anima rerum earum quas olim nouit imagines scientiasque tenere memoriter, si corporis & qualitatis instar effluat paulatim, & influat.

THEOLOGIÆ PLATONICÆ De immortalitate animorum eodem Ficino authore,

LIBER SEPTIMVS.

Anima non est corpus: tut forma diuisa in corpore: aut talis forma punctum aliquod: sed est forma in qualibet parte corporis tota: vt ostenditur per potentiam sentiendi. Prima ratio. Corpus non capit imagines aptas ad sensum.

Cap. 1.

B Escio quo pacto in superiori argumentatione incidimus in secundam disputationis huius partem, in qua probaturi sumus propositum nostrum per potentiam sentiendi. Sic igitur hanc partem vlterius prosequamur. Corpus siquando suscipit quicquam, modo susci pit corporali: partes videlicet rei in suis partibus: neque po test rem maiorem quàm sit ipsum, capere: quemadmodum cera à sigillo figurã suscipiens, nunquam ampliorem figurã quàm ipsa sit accipit. Quòdsi haberet cera sensum, quo figuræ magnitudinem iudicaret: tantã plane iudicaret, quan tam haberet. Neque potest aliam rursus figurã accipere nisi vel amittat priorem, vel vtrasque ita in se confundat, vt vix

inuicem

inuicem discernantur. Sic anima si corpus sit, per oculũ corporũ imagines modo suscipiet corporali: ita vt imago Platonis in oculo Socratis non maior sit quàm Socratis oculꝰ. Ita Socratis anima non maiorem putabit esse Platonẽ, quã suus sit oculus: vel certè non maiorem quàm sit cerebrum in quòd ab oculo transferetur imago. Tandem non maiorẽ quàm sit Socratici corporis magnitudo. Anima enim Socratis si magna est, non est suo corpore maior. Ideo si in se tota Platonis imaginem suscipit: non maiorem suscipit quàm C
sit ipsa: quapropter nihil vnquã maius existimabit esse Socratico corpore. Quin etiam quando Xenophontis & Alcibiadis & Phædri imagines accipit, tunc vel amittit Platonis imaginem, vel ita habet cunctas deinde confusas: vt aliũ illorum ab alio non discernat. Concludo etiam ita: Anima vel solidum corpus est: vel fluxum. Si solidum, vix à corporibus figuratur: peritque docilitas & acumen: atque vna vnius rei accepta figura, vel alias non capit: vel si alias post alias ceperit, cunctæ inuicẽ obfuscantur. Si labile corpus est, nullas tenet figuras: nullámque prorsus habet memoriam. Præterea nónne constat rem candẽ in specillo paruulo paruam videri, in maiori maiorem? ceu si vultum tuum in mea pupilla prospexeris, deinde in speculo: hic exiguum, illic ingentem pronunciabis. Nam pro speculorum ipsorum magnitudine & paruitate, maiora vel minora corpora iudicantur. In anima autem hominis corporum penè omnium lucent imagines, per quas anima corpora quanta sunt iudicat: nullũque est tam ingens, tam immensum corpus, quod ipsa vel intueri vel excogitare non possit, sempérque aliud corpus vltrà excogitato corpore maius. Ex quo apparet nullũ D
esse animæ præscriptum magnitudinis terminum, tũ quod ad illa quæ comprehensura est, tum quod ad propriam spectat animæ ipsius substantiam. Si quam enim haberet in se propriam magnitudinẽ, tanta esset præcipuè, quanta est proprij corporis magnitudo. Vnde in tam pusillo animali speculo non possent res tam variæ, tam perspicuæ, tã immensę lucere: cum pro diuersa speculorum quantitate maiores minorés ve soleant apparere. Non tamen putare debemus spiritales colorum imagines vel à corporibus fieri, vel suscipi in speculis atque cerebro. Ipsæ enim nihil aliud sunt quàm

splendores luminis corpora verberantis. Id autem visibile lumen licet emicet in corporibus: fit tamen atque seruatur ab inuisibili lumine cælestium animorum, quod ex ingenti copia exuberat foras, euaditque perspicuũ. Corporibus quidem nullis affigitur: potest tamen luci nostri spiritus, quæ à nostra anima pendet, coniungi: eique suos splendores offerre. Significationes præterea vocum ad auditum peruenientes, quæ ipsæ quoque spiritales sunt, neque à corpore fiunt, neque figuntur in corpore: sed ab anima transmittuntur in animam: atque animarũ virtute fiunt & conseruantur. Verum superiorem disputationem hac diuisione breuiter concludamus. Si anima sit aliquid corporale: vel simulacra corporum eius faciem attingent, sicut speculum: vel corũ qualitates in profundam animę substantiam penetrabunt, sicut in aquam sapores atque odores. Si primum contingat: corpora forsitan præsentia sentiemus, sed non poterimus absentia cogitare. Nam simulacra non seruabimus. Sin alterũ fiet sensus gradatim semper, & cum corporis passione, similitérque memoria, & qualitates sine discretionis iudicio inuicem confundentur.

Secunda ratio. Oportet quinque sensus ad vnum centrum conduci. Cap. 2.

VIsus colores attingit, non voces: auditus voces duntaxat: olfactus odores. Animus colorem, vocem, odoré, ita inuicem comparat, vt aliud colorẽ esse quàm vocem, & alia similiter iudicet. Illa vis per quam ita iudicat animus, cognoscit tum colores, tum voces, & alia quæ inuicem comparat. Quomodo enim diceret colorem aliud esse quàm vocem, nisi simul vtrunque cognosceret? Quænam ista vis est? Visúsne? Minime. Non enim voces agnoscit. Ita neque auditus, qui colorum ignarus est: neque vnus aliquis omnino quinque sensuum. Quisque enim illorum vnum quiddam nunciat solũ: neque potis est plura inuicem comparare. Vis vna certè illa est interior animæ, ad quam velut centrum à quinque sensuũ instrumentis circumpositis vndique varia nunciantur: illa verò vna omnia illorũ quinque sensuũ obiecta & operationes diiudicat. Neque dicas duas

aut plures esse animæ vires internas, per quas anima illa cõparet. Sint enim, si vis, geminæ vires. Respondeigitur: quotiens anima colorem ad vocem comparatura est, vtrum per vtranque vim apprehendat vtrũque, colorem scilicet atque vocem: an per alteram alterum? Si vtraque vis apprehendit vtrunque: quid opus est viribus geminis, cum vna sufficiat ad comparationis opus, & tantundem faciat vna, quantum ambæ. In necessariis rebus natura non deficit: superuacuis non abundat. Sin per alteram vim alterum tantum nosci: B per neutram inuicẽ comparabit vtrunque. Tamen per vim aliquam comparat. Est igitur alia quædam vis præter gemi nas illas antè confictas, per quam anima plura illa comparat inuicem. Vtrum vis illa vna indiuisibilis sit, an corporis instar in plures partes diuisa: puta vtrum sit vis illa tanquam pũctum aliquod indiuiduum quod a vocetur: an linea quẽdam ab a in b protracta? Si dixeris eã esse lineam ab a in b, talem a b, quęram abs te hunc in modum. Quotiens anima colorem ad vocem per huiusmodi lineam comparatura est, certum est quod vtrunque istorum eam tangit linam. Vtrũ igitur color solum caput lineæ quod est a, attingit, ad b, non peruenit? Et vox solum b, lineæ finem tangit, ad a, non transit? An potius ambo tam color quàm vox ad ambo simul, tam scilicet ad a quàm ad b veniunt? Si primum cõcesseris, scilicet quod alterum tantum venit ad terminum lineæ alterum: profecto duo illi termini, duæ à se inuicem erunt distinctæ vires: quarum vtraque quod suum est agnoscet, alterum ignorabit. ideo per neutram vim illa animus comparabit. Sin concesseris ambo illa ad terminos ambos concurrere, ita vt vis vtriusque termini ambo persentiat: vna illarũ sufficit, Vacat altera: quandoquidem nihil plus vires ambæ quàm alterutra faciunt: immo verò duæ vires erunt indiuisibiles ambę. Ita cogimur confiteri vim illam animæ vnam per quam plura diiudicat, non esse partibilem. Igitur vis illa magistra sensuum, neque corpus est, neque qualitas diffusa per corpus. Si talis est animæ vis, quid prohibet animam esse talem? Nisi forte putes substantiæ alicuius vim substantia sua esse nobiliorem.

Tertia ratio. Quo angustior sensus est, eo est perspicacior. Cap. 3.

C PRofectò oportet imaginē visibilis corporis ad aliquid impartibile colligi. Quod & in ipsis fit pupillis. Alioquin ingentia corpora, atque cœlum ipsum per tam minimam pupillam non cerneremus. Quòd si quantum ad o-
D culum spectat, vt cernat acutius, ampliore quantitate opus non est, immo paruissimi oculi acrius inspiciunt quam amplissimi, vt oculi aquilæ quam bouis: quasi visum non modò non iuuet, sed impediat magnitudo: si inquam exterior acies magnitudine ad percipiendum minime indiget, quid de illo interiori visu & communi sensu dicemus? Qui quanto singulis sensibus est præstantior & acutior, tanto etiam debet sufficientior esse: erit autem sufficientior, si nulla indigeat corporis quantitate. Denique & ipsa animæ substantia sensuum fundamentum, erit omni sensu sufficientior, si
E quantitate non egeat. Quis eam dixerit quantitatis dimensionibus indigere, cum neque conducat ad animi dotes corporis magnitudo, neque noceat? Si conduceret necessariò, non esset apis oue solertior, vulpes astutior sue, simia ingeniosior asino, leo boue audentior. Sin necessariò noceret: nō esset elephas prudētior equo, canis agno sagacior. Quod si ad has animæ vires quæ versantur circa corporum quantitatem, nihil valet corporis quantitas: multo minus eam valere putandum est ad eam vim animi quæ transcendit corporum quantitatem, ad rationem scilicet, quam suo loco tractabimus.

Quarta ratio. Si sensus diuiduus sit, in eo imago sensibilis diuidetur. Cap. 4.

F ESto (si vis) intimus ille visus corporea mole distentus: quid inde sequatur, atttende. Cū coloris externi capit concipitve imaginem, suo modo accipit, atque corporeo. Imago huiusmodi per partes huius visus diuiditur: & alia pars visus aliam coloris aspicit partem: nec erit in nobis aliquid quod totum colorem visibilem comprehendat. Oportet tamen vnam rei vnius cōprehensionem ab vno fieri

comprehendente. Ac si dixeris vnum ipsum comprehendẽs esse formam quandam totius compositi, cunctis communem partibus: quæremus nunquid diuidua sit, vnde quæstio redibit eadem: an indiuidua: vnde comprehensionem in vi indiuidua collocabimus. Oportet igitur sensum esse magnitudinis corporalis expertem: præsertim quia si magnus sit, paruis non congruet, neque sentiet illa totus, sed pars eius ipsa quæ paruis æquatur. Si paruus, magna non capiet: si medius, non quadrabit extremis. At tu si vis sensibilem colorẽ vnà cum sensu partiri: quonam pacto distribues? An æqualem æquali aptabis? Sed non potes. Non enim æqualis est sensus rei cuilibet sentiendæ. In quot autẽ partes vtrunque distribues? Num in quasdam partes numero quidem termi natas, & naturali ordine minimas? Quod si feceris, non inuenies vnam rei vnius comprehensionẽ. Sed more mathematicorum in omnes quas habent, puto te partiturum. In particulas igitur infinitas tam visum quàm colorem secabis: & visus partes singulæ singulas coloris sentient portiones. Itaque innumerabiles ibi erunt visus, innumerabiles visi colores, innumerabiles visiones. Atque ita nunquam poterit color vnus visum incurrere, quin eodem illo momento infiniti visus infinitos colores videant infinité. Quod ne fingi quidem potest. Forsan, vt hæc monstra vitemus, subiiciemus totum illum visum sentire? partes eius nequaquam. Sed hoc etiam temeranum. Quo enim modo quæ sensu carent, sentientem substantiam generabunt? nullo. Igitur neque partes illæ sentiendi expertes sensum ipsum constituẽt. An dicemus singulas partes visus sentire, sed per eandẽ totius visus & integram visionem: ac sentire speciem totam, partesque cum tota? Non. Primo, quia species non videtur: sed color ipse per speciem. Deinde quia operatio quæ fit ex congregatione partium distinctarũ, fit quoque per congregationem momentorum, ac transigitur paulatim: sensus autem fit subito: quod significat sentiendi vim esse indiuisibilem. Denique si pars quæque visus per se sufficit ad videndum, quid opus est pluribus? Si non sufficit, ex non sentiente fit sentiens. Nisi forte partes illæ cõgregentur in vnum à superiore aliquo sentiente. At illud erit anima potius atque sensus. Quapropter nunquam deliras responsiones effugie-

mus, quandiu sensum esse partibilẽ affirmabimus. Sit ergo impartibilis sensus: sit & anima talis: quę fons est indiuisibilis virtutis atque subiectum.

Quinta ratio. Anima sentit vbique tota.
Cap. 5.

ANignoras partem corporis alicuius ipsi toti æqualem esse nõ posse, atque ideo formam, quæ talis est, vt per diuersas partes corporis protendatur, in qualibet corporis parte totã existere non valere? Alioquin toti pars foret
A æqualis. Admitto ista. Quid tum? Nẽpe anima cuilibet parti corporis adest tota: quia tota sentit cuiuslibet corporalis particulæ passionem. Nam si aliquo offensus casu pes doleat: statim illuc aduertitur oculꝰ: admouetur è vestigio manus, os clamat, & reliqua membra ferme similiter. Quod certe nunquã fieret, nisi id quod ipsius animæ inest partibus corporis omnibus, etiam in pede sentiret. Atqui sentire quod ibi factum est, absens non posset. Neque enim nũcio aliquo credendũ est id fieri non sentiente quod nunciat: quia quod non sentit, non nunciat. Neque passio quæ fit per continuationẽ molis, semper potest occurrere, vt cæteras animæ partes quę alibi sunt, latere non sinat: quia non semper fit dolor vbique. Sed illud tota sentit anima, quod fit in pedis parti-
B cula: & ibi tantum sentit, vbi fit. Tota igitur singulis partibus simul adest, quæ tota simul sentit in singulis. Formæ autem sparsæ per corpus, puta albedini, idem in hoc accidit quod & corpori: vt videlicet passio vnius partis non necessariò reliquas partes omnes commutet. Quid enim prohibet vnam corporis albedinisque partem infici & fœdari reliquis non pollutis? Cæterum nihil in vna quauis particula animalis accidit, quin id ad totam mox pertineat animam. Mysterium hoc Platonicum Augustinus noster ita confirmat. Anima per totum corpus quod animat, non locali diffusione, sed quadam vitali intensione porrigitur. Nam per omnes particulas tota simul adest, nec minor in minoribus, nec in maioribus maior: sed alicubi intensius, remissius: & in omnibus tota, & in singulis tota est. Neque enim aliter quicquid in corpore etiam non in toto sentit, tamen tota

sentit. Nam cum exiguo puncto in carne vnum aliquid tangitur: quanuis locus ille non solum totius corporis non sit, sed vix in corpore videatur, animam tamen totam non latet. Neque id quod sentitur, per corporis cũcta discurrit: sed ibi tantum sentitur vbi sit. Vnde ergo ad totam mox peruenit, quod nõ in toto sit? Nec vt tota ibi sit, cætera deserit. Viuunt & enim illa ea præsente vbi nihil tale factum est. Quod si fieret vtrunque simul: vtrunque totam pariter non lateret. Hęc Aurelius. Verùm dices fortasse animam quidẽ ita per vniuersum corpus porrectam, vt pars eius in pede sit, pars in crure, alia in femore, pectore, colo: summa in cerebro, vbi fiat iudicium principale: ac dolore pedis non ideo iudicari à vi animæ quæ sedet in cerebro, quia illa vis assit & pedi: sed quoniam successione quadam altera pars animæ alteri ad cerebrum vsque passionem pedis enunciat. Profectò non negabis partes istas animę inferiores sentire: cum euidenter appareat in membris illis percipi passionẽ. Si enim pedis passio fit cerebro nuncianda: vel ex eo nunciatur, quod gradatim membra intermedia patiuntur: vel ex eo, quòd licet non patiantur, sentiunt tamen dolorem pedis: eumque cerebro referunt. Certè non semper totum patitur æquè: nec est idem in mediis membris, qui in pede est cruciatus, sed molesta quædam cruciatus illius persensio. In omnibus igitur molestia quędam inest & sensus. Quid hinc sequatur, aduerte, pars animæ quæ in pede est, cruciatum sentiet pedis: pars quæ in crure, non pedis, sed cruris molestiam sentiet (ibi enim sentit solum vbi est: & passionem sentit solummodo quæ in eam incurrit) Pars quæ in genu, præsentem similiter tantum percipiet passionem: cæteræque similiter. Post omnes vis illa iudiciaria cerebri prę sentem sibi solum molestiã animaduertet. Partes animæ à pede ad cerebrum, sicut & corporis, ferme innumerabiles sunt, si & ipsa sit corporalis. Ergo semel offenso ad lapillum pede, non fiet vnus sentiendi actus & subitus: sed multi gradatim & innumerabiles penè contingent dolores, sicut perceptiones innumerabiles: post omnes autem animæ partes (quod nephas est) sentiet illa in qua principalis est sensus. Sentiet autem non pedis passionem, sed suam solummodo: neque iudicabit vnquam vbi sit læsio, vbi sit

ſuccurrendum:neque per eius imperium membra corporis
conuertentur ad pedem. Vt hęc abſurda videntur,fatendum
D eſt totam vim illam iudiciariam animæ vnà cum tota ani-
mæ ipſius ſubſtantia ſingulis membris eſſe pręſentem : vt
quicquid vbique fit, ſtatim ſine internũcio tota perſentiat,
tota ſibimet compatiatur & conſonet:cunctas animę vires,
cunctas etiam partes corporis imperio ſubito ad medelam
lęſæ partis adhibeat. Atque ita quicquid & quantumcunque
animæ eſt in membris vllis, ab alio quouis mẽbro non ab-
eſt:quia in quouis ad quodlibet admouet quęlibet. Corpus,
& forma per ipſum fuſa,eiúſve punctum, talia non ſunt, vt
in multis ſint tota ſimul:& ſecum ipſa in ſuis partibus abſ-
E que mora prorſus compatiantur atque concurrant. Eſt igi-
tur anima ab iis longe diuerſa. Neque nos turbent animalia
multa,quorum corpora cum ſecantur, vtraque fruſta mo-
uentur & ſentiunt,quaſi anima ita longa fuerit ſicut corpus
poſtquam dũ corpus ſecatur in corpora,anima quoque ſe-
cari videtur in animas. Non enim diuiditur anima primo,
ſed interit cum primùm illa ipſa corporis compago reſoluí-
tur cui fuerat attributa. Fiunt autem ſubitò nouæ animæ à
vita mundi in fruſtis illis ad animam ſuſcipiendã idoneis.
Talis enim illorũ natura eſt,qualis fuerat & totius. Et quia
animæ tales ita viles ſunt, vt pauciſſimas vires operationeſ-
que habeant, ideoque pauciſſimis egeant inſtrumentis, fa-
ctum eſt vt corpus illis ſufficiat etiã ſi non ſit variis inſtru-
mentis inſtructum:quod non ſufficit perfectioribus anima
bus,quæ ob hoc in ſingulis membris viuunt. Si lignum a-
liquod ſecetur in puncto:punctum hoc licet indiuiſibile ſit,
perit tamen:ac in duobus fruſtis duo extrema videntur pun
cta renaſci. Si ſpeculũ fregeris in quo tui vultus apparebat
imago, non conciditur imago primò, ſed abit:ac duæ à te
pro vna imagines in duobus ſpeculis recreantur. Si nomen
hoc Lucifer,in quo vox locum tenet corporis,ſignificatio a-
nimæ,in duo membra diuiſeris quaſi animal,luci,& fer:ceſ
A ſat primò illa ſignificatio per quam Venus deſignabatur:
non tamen diuiditur(eſt enim indiuiſibilis ſignificatio no-
minis,vt aliàs oſtendemus)adhuc tamen duæ quædam ſunt
in duabus partibus ſignificationes, per quas tanquam ani-
mas dictiones huiuſmodi ſuperuiuunt:luci, per lucis ſignifi

cationem:fer,per ſignificationem aliquam lationis. Quid igitur prohibet quo minus reptilia animam habeant ſecundum Platonicos indiuiduam, quamuis mẽbra diuiſa viuãt? B

Sexta ratio. Anima non neceſſariò patitur ſentiendo. Cap. 6.

ANima ipſa(vt vera philoſophia docet)cum ſit puriſſima,craſſo huic & terreno corpori ab ea longè diſtãti C non aliter quàm per tenuiſſimum quoddam lucidiſſimumque corpuſculum copulatur, quem ſpiritum appellamus,à cordis calore genitum ex parte ſanguinis tenuiſſima, diffuſum inde per vniuerſum corpus. Huicanima ſibi cognatiſſimo facilè ſe inſinuans, primò quidem per hunc totum ſe fundit ſpiritum,deinde hoc medio per corpus penitus vniuerſum:vitam primum huic præſtat & motum,facitque vitalem:perque hunc regit mouétque corpus: & quicquid à corpore in hunc ſpiritum permanat, anima ipſi præſens continuò percipit,quam perceptionem ſenſum cognominamus:deinde hanc perceptionem animaduertit & iudicat:quam animaduerſionem phãtaſiã eſſe volumus. Quorſum hæc? Quando ſecat medicus cutem corporis extimam, frangitur caro,diſſoluitur & contrahitur ſpiritus. Sentit hęc omnia tactus, qui per omnia mẽbra vniuerſalis eſt animæ ſenſus:iudicat hæc:& condolet phantaſia. Quomodo poteſt diſcindi caro,quin ſpiritus illi ſuffuſus partim cũ ſoluta carne ſoluatur, partim etiam in ſeipſum fugiens contrahatur? Quo etiam pacto ſolutio & contractio ſpiritus latere ſuam animam poterit? Ac ſi non latet: cur non moleſtè ferat anima operis ſui perniciem? Spiritus quidem & corpus, opus eſt animæ. Opus verò proprium omnia diligunt. In carne D quidem eſt paſſio:cruciatus in ſpiritu:ſenſus in tactu: compaſſio & condolentia (vt ita loquar)in phantaſia. Complectere paucis. Tam in carne quàm in ſpiritu pernicioſa quædam fit ſubſtantiæq; corruptrix ſolutio vel contractio:hanc vocemus noxiam læſionem. Nunquid etiam in animam læſio tranſit huiuſmodi? Minime. Hæc enim ſubſtantiam perdit. perdit igitur ſubſtantiæ ipſius virtutem:perdit deinceps virtutis operationẽ. In qualibet igitur carnis & ſpiritus vel

leuissima lęsione, animę substantia illis pręsens similiter lederetur: lęderetur & virtus multomagis: lęderetur & operatio. Sensus & phantasia, vires animæ sunt: sentire & iudicare per sensum, harum virium actiones. Ergo si discisio illa in animæ substantiam pertransiret: neque sentiremus eam, neque qualis sit & vnde, & quomodo succurrendũ, iudicaremus: sed vel lateret animã penitus: vel minimũ quid ꝓciperetur, & falso iudicaretur ab anima. Et cũ anima sit vbiq; tota: si ipsa in parte corporis secta patitur, tota patitur. Eadem vero tota anima quę ibi est, est & per totũ corpus. per totũ igitur corpus patitur. Si vbique patitur, non potest percipere & nunciare passionem illam in parte vna animalis magis quàm in alia esse. Quinetiam cum aliud sit passio, aliud iudicium passionis: & passio semper iudicetur ab alio: si in ipso iudicio insit passio, opus est vlterius alio quodam iudicio: quo passiuum iudicium iudicetur. Si illud quoque sit passiuum, rursus opus est alio. Quapropter veniendum denique est ad iudicem quendam liberum passione. Hic dum iudicat corporis passiones: si accipit inde qualitatem aliquã corporalem, proculdubio patitur. Si non accipit, non formatur à corpore. Sit ergo oportet talis iudex, vt neque passiones accipiat à corporibus, neque formas. Non posset autem anima talis esse, si ipsa vel corpus esset tenuissimum in hoc corpore mersum: vel aliqua corporis huius affectio, siue punctum quoddam affectionis. Platonica hæc ita Augustinus Plotinusque comprobant. Videtur mihi anima cum sentit in corpore, non ab illo aliquid pati, sed in eius passionibus attentius agere. Et has actiones: siue faciles propter conuenientiam, siue difficiles propter inconuenientiã, non eam latere. Et hoc totum est quod sentire dicitur. Sed iste sensus, qui etiam dum nihil sentitur, ineſt tamen: quasi instrumentum est corporale: quod ea temperatione agitur ab anima, vt in eo sit ad passiones corporis cum attentione agendas paratior: similia similibus vt adiungat: repellatque quod noxium est. Agit porro (vt opinor) luminosum aliquid in oculis: aëreum sereniſſimum & mobiliſſimum in auribus: caliginosum in naribus: in ore humidum: in tactu terreum & quasi lutulentum. Agit autem hæc omnia cum quiete, si illa quæ sunt in animali, in vnitate valitudi-

nis familiari quadam consensione cohæserint. Cum autem adhibentur ea quæ nonnulla (vt ita dicam) alteritate corpus afficiunt: agit attentiores actiones, suis quibusdam locis aut instrumentis accommodatas: & tunc sentire dicitur. Quibus actionibus congrua libenter associat: & molestè obsistit incongruis. Has operationes passionibus corporis puto animam exhibere cum sentit: non easdem passiones recipere. Cum aëreus auris spiritus verberatur sono: anima quæ ante percussionem huiusmodi in silētio corpus aurium vegetabat, vegetat tunc attentius: idque facere est, non pati. Attentior operatio non latet animam operantem. Non latere, sentire est. Summatim, sensus est aut animaduersio operationis illius attentioris, aut iudicium corporeæ passionis & qualitatis, excitatum ab attētiore illa animæ actione. G

Septima ratio. Rationes propriæ per naturalem & sensitiuam animæ vim, quod anima non sit forma diuidua: quia qualitatis opus vnum est.

Cap. 7.

ET si superioribus rationibus non modò animam corpus non esse probauimus, verùm etiam neque sparsam per corpora formam: tamen propriis argumentationibus secundam hanc partem ostendēdam fore putamus. Atque vt commodius hac de re loquamur: formam talem (vt diximus aliàs) tum qualitatem, tū affectionem corporis Platonicorum more vocabimus. Si anima esset qualitas corporalis: vel esset simplex qualitas: vel complexio: vel forma istis astricta. Simplex esse non potest. Quælibet enim simplex qualitas, aut forma illam sequens: (vt aliàs declarauimus) vnum quiddam facit duntaxat: ad opposita non extenditur: anima plurima, & contraria. Neque etiam erit cōplexio, aut forma sequens complexionem: quoniam in hac semper vna quædam præ cæteris qualitas dominatur, cuius operatio ante alias viget in corpore. Anima nulli qualitati, nulli proprio motui est astricta. H

Octaua ratio. Complexio agit per vim qualitatum.
Cap. 8.

I ACtio complexionis, eiúsque formæ, ſemper per qualitates ex quibus ipſa eſt conflata, peragitur: ideoque nunquam aliquid tam ſublime complexio operatur, quin ad illud qualitatum ſe vires extendãt. Caloris opus eſt penetrare atque diſſoluere: animę autem nutritiua potentia per calorem tanquam inſtrumentum non diſſoluit tantùm cibos, (quod ipſius caloris eſt proprium) ſed etiam concoquit digeritque, & ad formam viuæ carnis & figuram humanam perducit: quæ quidem actio caloris excedit potentiam. Augmentum quoque animalis à calore prouenire nõ poteſt tanquam cauſa principali. Non enim fit niſi per nutrimentum: & cum ad certum terminum magnitudinis perducatur, certamque figuram: calor autem ſi detur materia, ſine certo termino vel figura ſe fundat: cúmve oporteat terminum figuramque operi à principali agente præſcribi: conſtat principalem augmenti fabrum calorem eſſe non poſſe: immo neque aliam vllam accidentalem formam id poſſe facere, ſi non poteſt calor, qui eſt omniũ præſtantiſſimus. Fit tamen augmentum ab anima. Ex quo concluditur animam non eſſe formam accidentalem: quod ſæpiſſime nobis eſt probandum. Concluditur etiam non eſſe eã ex formis accidentalibus conſtitutam: quia non poſſet qualitates quę abſque certo termino, gradu, proportione, figura vagãtur, ad hæc ipſa rationaliter ordinare. Concluditur poſtremò, animam non eſſe ſubſtantiam aliquã formã elementi vel mixti. Talis enim formæ motus ad vnicũ dirigitur terminum, ſicut diximus: augmentum verò in quamlibet partem æquè porrigitur.

A *Nona ratio. Complexio eſt accidentalis forma.* *Cap.* 9.

COmplexio, natura quædam eſt ex contrariis quodãmodo qualitatibus conſtituta, quæ inter eas quaſi me diũ obtinet. Ex quo fit, vt forma ſubſtantialis eſſe non poſſit: quia non in ſe ſubſiſtit, ſed in eo corpore quod eſt cõtrariarum illarum qualitatum ſubiectum: quæ quia inuicẽ

pugnant,seſe inuicem non ſuſcipiunt:verum ſuſceptę à materia,& inuicem mixtæ,complexionem generant.Hæc igitur complexio tum ex eo quod dixi,ſubſtantia non eſt:tum ex eo quòd aliquid ſibi habet contrarium : puta exceſſum alicuius extraneæ qualitatis conflationem ſuam diſſociantis.Præterea ſuſcipit magis ac minus.Intenditur enim ac remittitur natura vis operatioque complexionis . Subſtantia verò neque habet proprium ſibi contrarium,cum conſiſtat in alio genere quàm ſubſtantiæ ipſa rerũ contrarietas , hoc eſt in genere qualitatis:neque in natura ſua aut in magis intenditur,aut in minus remittitur : vt nunc magis nunc minus hæc aut illa ſubſtantia ſit quod eſt ſemel ſubſtantia:hoc eſt magis minúſve lapis iſte quàm ille.Cum igitur complexio non ſit ſubſtantia:anima ſi ſubſtantia ſit , non eſt complexio.Quòd autem anima ſit ſubſtantia, hinc etiam patet, quia per eam animal certam aliquam & ſubſtantialem ſortitur ſpeciei generiſq; naturã atq; cognomen.Per hanc animam hoc quidem canis eſt,per illã illud equus,per aliam illud homo . Illa quidem qualitas quæ accidens eſt, ſubiecto ſuo aduenit poſtquam illud in ſpecie ſua iam eſt perfectum. Anima verò ſuum ipſa ſibi fabricat corpus: factum ſeruat: & dum defecit,reficit : pugnantia elementa connectit in vnum.Anima abeunte labitur corpus: neque prior cõplexio aut ſpecies retinetur.Talis quidem neceſſariò eſt anima nutritiua. Neque dicendum eſt animam illam quæ ſolum nutritiua eſt,corpus ita conſtruere: cui poſtea iam perfecto anima ſenſitiua tanquam accidens quoddam adueniat.Nam corpus animæ ſenſitiuæ congruum , inſtrumenta ſentiendi & progrediendi oportet habere . Anima quidem nutritiua quantum talis eſt,ſola inſtrumenta faciet nutriendi:alia verò inſtrumenta faciet anima,alia propter eas vires quarum vſui inſtrumenta ſunt ſeruitura. Neque ſunt in eodem corpore duæ quædam animæ quarum vna inſtrumenta fabricet alteri.Siquidem quæ nutrit,eſt eadẽ & quæ ſentit.Quippe ſenſuum perturbationes opus impediunt nutriendi vel augent . Triſtitia enim phantaſiæ illud debilitat:lætitia roborat:quaſi vna ſit anima in homine,cuius vtraque ſint officia.Quæ ideo ſubſtantia eſt,quia eſt artifex corporis, non pediſequa.Igitur non eſt complexio. B

Decima ratio. Harmonia complexionis nihil agit in corpus. Cap. 10.

C NEque liceat Aristoxeno aut musicis aliis somniare animam esse harmoniam quandam ex ipsa complexione progenitam. Sic enim anima similiter esset non substantia quædam, sed accidens. Nónne, harmonia totam vim suam trahit à fidibus? Neque quicquam ipsa per se existit: neque quicquã valet omnino in chordis efficere. Quippe non mouet ipsa chordas: sed iis aliunde motis nascitur harmonia. Anima ergo si sit harmonia humorũ certo modo compositorũ, tota pendebit ex illis: neque ipsa illos mouebit, licet illis ab alio agitatis anima oriatur. Neque illos reget, sed ipsam illi regent & sustinebunt. Non erunt igitur
D motus in corpore aliqui præter humorum conditionẽ: non opera vlla super illorum imperium, sicuti modo sunt: vt in superioribus enarrauimus. Non figura artificiosa, non dispositio. Non repugnabit vnquã animus affectibus corporalibus: neque se vel in se reflectet, vel disiunctum à corporeis incorporeis copulabit: neque per se aliquid operabitur, si nullo modo extiterint per seipsum. Sed de hoc aliàs diximus & dicemus.

Vndecima ratio. In omni corpore composito est harmonia. Cap. 11.

E IN omni corpore ex multis composito est aliqua suarum partium harmonia, per quam conspiratione mutua concinunt. Itaque si harmonia ipsa sit anima: corpora quælibet composita ea viuent & coalescent. Dices forsitan animam esse quidem harmoniam id est concinnitatem & consonantiam: sed non quamlibet harmoniam, verum aliquam certo & proprio modo contemperatam. vides non eandem esse rationem animæ atque consonantiæ, postquam non ex eo duntaxat quòd res aliqua consonantia est, est etiam anima: sed ex eo quod certo modo disposita. Certum huiusmodi dispositionis modum concinnitas ipsa non ex sui natura haurit: quia esset in qualibet cõcinnitate. Igitur aliunde ab extrinseco ne principio? Immo vero. Cæterum extrinsecum

istud non sufficit. Non enim mouet & temperat assidue & naturaliter harmoniam, quod extra ipsam est. Latet igitur in humorum consonantia vis quædam præstantior corporalis consonantiæ temperatrix: quæ in viuentium corporibus suo modo humores contemperans, ipsorum concinnitatem reddit certam, & ab aliis corporibus differentem: quæ propria consonantia vitalis harmonia est, à viuifico spiritu interius latente progenita.

Duodecima ratio. Harmonia intelligitur aut compositio ipsa membrorum, aut aliqua compositionis ratio.

Cap. 12.

F

QVando animam esse consonantiã asserit aliquis: duo quædam posse illum arbitror intelligere: aut compositionem ipsam humorum membrorúmque: aut cõpositionis ipsius aliquam rationem. Anima profectò nõ est compositio: quia oporteret quamlibet animæ partem esse partium aliquarum corporis compositionem. Quod planè quomodo fiat, assignare non possumus. Compositio quidẽ G corporis physicis manifesta est: Anima verò ignota. Et quomodo ex suis viribus scilicet intellectu, sensu, appetitu, & reliquis cõponatur, difficile est cognitu. Difficillimũ rursus, quomodo vires singulæ componantur. Præterea cõpositio H nihil est aliud quàm vnio plurium: plura verò non vniuntur nisi ab vno. Ab vno inquã quod insit pluribus: vt ab intimo, coagulo cõglutinentur. Illa igitur vna vis insita membris, à qua vnio membrorum: anima ipsa est potius quã vnio inde profecta. Neque etiam cõpositionis ipsius est ratio. Cũ enim diuersis corporis membris diuersæ insint compositionis rationes atque proportiones: singula mẽbra singulas animas possiderent: aliam quippe animã os, aliam neruus, caro aliã: similiterque de cæteris. siquidem membra ista sunt diuersa inter se proportione cõposita. Vnius vero animantis vitam vnam assignare nequaquam poterimus, nisi vnicam illi formam, motorem vnum atque rectorem, id est vnam animã tribuerimus. Cernimus etiam consonantię rationẽ qualita- I tibus corporis magis quàm animæ conuenire. Sanitas, humorũ est consonantia. Robur, consonantia ossiũ atque neruorum. Pulchritudo, quodammodo mẽbrorũ: atque colo-

rum. Sensus autem & intellectus, qui actus simplices sunt, nescio quales, & cuius sint harmoniæ. Quando substantiam rei cognoscimus, facilè inde possumus de accidentibus iudicare. Igitur quia cognita humorũ membrorúmve proportione, facilè de his iudicamus quæ ad sanitatẽ, robur, & pulchritudinem attinẽt: patet tria hæc in illorum proportione consistere. At verò quia tali quadam proportione inuenta, nondum tamen vires affectus, actus, habitus animæ clarè discernimus: constat substantiam animæ in ea proportione nequaquam consistere. Quis enim illa reperta statim sentiendi & intelligendi naturam reperisse inde se iactet? Cognoscit horum naturam Aristoteles melius quàm Hippocrates, illorum vero proportionem diligentius Hippocrates considerat.

Decimatertia ratio. Harmonia humorum nihil capit absque materia. *Cap.* 13.

A

QVicquid aliquid efficit: eo quod ab ipso fit, esse debet præstantius. Quo quid à materia liberius est, eo est & sublimius. Quare semper debet causa esse à materia liberior quàm effectus. Nullus itaque effectus potest esse à materia quàm causa sua liberior. Vis nutriendi à materia admodum libera est: quæ plurima & super & præter ordinem elementorum operari demonstrata est aliàs. Vis sentiendi etiam magis est à materia libera: quia in ipso suo sentiendi actu formas rerum accipit absque rerum ipsarũ materia. Non enim visus colorem parietis cũ pariete simul accipit: sed coloris attigit imaginem spiritalem. Multo magis intelligentia idem facit: vt in sequentibus apparebit. Quoniam igitur hæ vires animi multum sunt à materia liberę, nequeunt ab ea causa proficisci quæ sit materia, vel immensa materiæ. Humores omnino corporales sunt: quamobrẽ nullo modo humores possunt sua quadã mixtione vel consonãtia vires huiusmodi procreare: multo minus animam ipsam virium huiusmodi fontẽ. Quippe si anima in humorum qualitatibus substantiam habeat: quicquid capiet, per humorum affectiones suscipiet. Per eas verò formæ solum corporales suscipiuntur. Siquidẽ per caliditatẽ siccitatẽque

non

non ignis imaginẽ ſpiritalem accipiet, ſed ignis ſubſtantiã corporalem. Rurſus per frigus ſiccumque ipſam accipiet terram. Ipſa quoque terra, quoniam ſimiliter accipiet atque anima, ſimiliter ſentiet. Idem faciet lapis, & reliqua.

Decimaquarta, ratio. Quæ magis concinit, magis eſt harmonia.
Cap. 14.

HArmonia ita in plurium concentu conſiſtit, vt magis B
concinentibus fidibus magis ſit harmonia: minus cõcinentibus verò minus. Anima nequiſſimi hominis minime cõcinit ſecum ipſa. diſſentit enim à ratione ſenſus: pugnant quoque inuicem appetitus. Anima probi hominis concinit vndique. Si anima ſit harmonia: anima probi viri quę concinit magis, magis eſt harmonia. igitur & anima magis. Anima vita quædam eſt: ergo & magis vita. Viuacior itaq;, audentior & robuſtior erit probi viri anima quàm latronis. Neque concoquet cibum latronis anima perinde vt iuſti viri: neque generabit prolem: neque corporis membra ſuſtinebit vibrabitque: neq; acute inueniet, firmiter reminiſcetur, loquetur eleganter, aggredietur audacter, neque diu ſpirabit: & reliqua.

Decimaquinta ratio. Harmonia nihil admittit diſſonum.
Cap. 15.

HArmonia vera, vt rectius procedamus, nihil admittit
diſſonum, dum permanet harmonia. Si harmonia eſt, C
conſonat: ſin diſſonat, non eſt harmonia. Animam vero noſtram nónne videmus aſſiduè diſſonantibus opinionibus & affectibus diſtrahi, & nihilominus veram animam permanere, atque æquè vitalem? Neque obiicias quod affectuum diſcordia licet non perimat animam, diſcordia tamẽ elementorum humorumque perimit. Porrò ſi nõ poteſt animus propria intimaq; diſſonantia perire: alia nulla poteſt. D
Propria animi humani & intima diſſonantia illa eſt, quę ſoli & omni animo cõuenit, id eſt opinionum affectuumque diſſenſio: quæ corpora vita carentia non attingit: & omnes mortalium pulſat animos. Diſſenſio talis eos vitæ ſenſúſque

ſtatu non deiicit: multo igitur minus humorum diſcordia, quę ab animo alienior eſt, animi ipſius naturalem habitum diſſipabit: qui certè humoribus vel paulum diſſonantibus diſſiparetur, ſi in eorum concentu conſiſteret. Quamobrem nihil obſtat quin partes animi corporiſque lōge diſſonent, & anima nihilominus vera vitaliſque anima perſeueret. Id harmonia non patitur. Igitur errabit qui dixerit animam harmoniam.

THEOLOGIÆ PLATONICÆ
De immortalitate animorum eodem Ficino authore,

LIBER OCTAVVS.

Anima eſt forma indiuidua vbique tota: & nullam trahit originem à materia: ideóque immortalis eſt: vt oſtenditur per intelligendi virtutem. Animus per quatuor gradus aſcendit ad ſpiritum. Prima ratio. Cap. 1.

HEr tiam nunc diſputationis partem aggrediemur, quę propoſitum noſtrū oſtendit per intelligendi virtutem: ſi prius expoſuerimus quo pacto animus noſter ſecundum Platonicorum ſententiam per quatuor gradus cognoſcendo à corpore aſcendit ad ſpiritum: quorum eſt poſtremus intelligentia. Aſcendit enim per ſenſum, imaginationem, phantaſiam, intelligentiam. Per ſenſum quidē videt Socrates Platonem, vbi incorporale Platonis ſimulacrum abſque Platonis materia attingit per oculos, ea tamen conditione, vt oculus Platonē non videat aliter, quàm corpore ipſo Platonis preſente. Deinde etiam abſente Platone, per internam imaginationem Platonis cogitat colorem figuramque quam viderat, item Platonis ſuauem illam quā audiuerat vocem, & reliqua quæ per quinque ſenſus acceperat. Surgitque huiuſmodi imaginatio ſupra materiā magis

quàm ſenſus:tum quia vt cogitet corpora, præſentia illorũ non indiget:tum quia ipſa vna facit quicquid quinque ſenſus omnes efficiunt. Atenim non omnino pura eſt: quia nihil aliud ſapit quàm quod ſenſus accepit ſiue concepit. Senſus quidem circa corpora, imaginatio circa imagines corporum per ſenſus acceptas ſiue conceptas ſeſe volutat: paulò pòſt Socrates per phantaſiam de hoc vniuerſo Platonis ſimulacro, quod per quinque ſenſus imaginatio ipſa collegerat, ſic incipit iudicare: Quis hic tã procero corpore, ampla fronte, latis humeris, colore candido, glaucis oculis, elato ſupercilio, naſo aquilino, ore paruo, voce ſuaui? Plato hic eſt, homo pulcher: bonus, diſcipulus, dilectiſſimus. Cernis quantum excellat imaginationem Socratis phantaſia. Imaginatio ipſa talem quidem collegit Platonis effigiem, ſed quem deſignaret & qualem effigies illa, non nouit: phantaſia iam diſcernit eam eſſe effigiem hominis huius qui Plato vocatur: effigiem pulchram viri boni atque amici. Ergo in his ſenſum aliquem habet iam ſubſtantiæ, vt quidam putant, & pulchritudinis, bonitatiſque & amicitiæ. Platonici tamen ſubſtantiam à phantaſia cognoſci revera negant, quoniam rationem ſubſtantiæ non agnoſcat. Imaginatio neque ſubſtantiam rei ſuſpicatur quidem, ſed rei ſuperficiem, exterioremque picturam phantaſia ſubſtantiam ſaltem auguratur, dum pronunciat, Obuius ille, homo aliquis eſt, & Plato.

Atque etiam res incorporales quodammodo ſomniare videtur, dum Platonem iudicat pulchrum, bonum amicum, diſcipulum. Pulchritudo enim, bonitas, amicitia, diſciplina, incorporalia ſunt, neque ſenſibus neque imaginationi patentia. Huiuſmodi quidam conceptus phantaſiæ, incorporales quodammodo corporum intentiones vocantur.

Verùm nondum ſuper materiam prorſus animus euolat: tum quia phantaſia intentiones huiuſmodi eſſe incorporeas non agnoſcit: tum quia huiuſmodi Socratis phantaſia inſpicit propriè hominem hunc, Platonem ſcilicet, hoc in loco & ſitu, in hoc tempore & hora dici: hanc pulchritudinem, hanc bonitatem, & reliqua eodem pacto, vbi Platonem ſub eiſdem conditionibus in ſeipſa depingit, quibus extat & in materia. At enim dum phantaſia circa ſingulares

hominis huius conditiones vagatur,intellectus communes cõcipit rationes:& vterque simul suum opus exequitur. Sic enim intelligentia ratiocinatur. Qualis homo est Plato,talis ferme Antisthenes:talis est & Xenophon:effigie similes, pulchri ęquè & boni,amici,discipuli,eodem modo.Ergo in his tribus vna est cõmunis humanitas,per quam æquè sunt homines:vna pulchritudinis natura:vna etiã bonitatis: per quas æquè pulchri sunt,& æquè boni. Humanitas ipsa quæ his communis est, innumerabilibus quoque aliis qui sunt, fuerunt, erúntve, quocunque in tempore & quocunque in loco nascantur,communis existit: similiter pulchritudo, & reliqua.Sed quod loquor de humanitate:de reliquis etiã dictum puta.Si ergo humanitas singulis personis,locis, temporibus se æquè communicat,nulli est astricta personæ:nulli loco,nulli etiam tẽpori. Natura huiusmodi singulas conditiones corporum videtur transcendere. Est ergo secundũ seipsam quodammodo incorporea: & quia corporibus singulis se infundit:ex quo & in alio est,& in multis: & super id quod in alio est,esse oportet id quod in seipso manet: & super illud vnum quod est in multis, esse oportet vnum ipsum quod in seipso consistat: idcirco super corpora omnia extat ratio quædam ideáque humanitatis ipsius, cuius participatione quadam vel similitudine homines fiunt quicunque sunt homines.Siquidem natura illa quę personis singulis est communis,neque contingit casu,quia semper similiter ordinatur:neque per se subsistit,cum nequeat in se subsistere:eget enim materiæ fundamento.Fit ergo à causa quadam:non tamen fit à materia,quæ seipsam non format: nõ à persona vna, quæ non potest operari in omnes : quæque quicquid agit,proprium agit,reliquis non commune. Non ab omnibus personis:quæ quatenus inter se differunt, non commune aliquid faciunt,sed diuersa,quatenus conueniũt, per hanc ipsam naturam conueniunt:immo per eam consistunt:tanto illis priorem,quanto est ipsa simplicior. Quippe ipsi tanquam priori proprietates variæ superueniunt ad personas constituendas.Fit tamen ipsa ab vna quadam forma,postquam vna est:quæ forma sit super multitudinẽ personarum:ne illa quoque fiat ab alia,atque illa rursus ab alia sine fine.Sic ad diuinam ideam ascendimus,quæ necessariò

A

est super omnes, vt æquè agat in omnes, & communi natura conciliet. Si à parte quæ sub toto est, ad totum: ab hoc ad id quod super totum, surgendum est: meritò à singulis personis quæ in partibus loci temporisque sunt, ad naturam illis secundum se communem surgimus: quæ quasi per omnem locum sit, totumque tempus: ab hac ad rationem, quæ super locum totum tempúsque exístat: quam Plato vocat ideam. Ipsam deinceps diuinam ideam suscipit intellectus, siue apud seipsum, siue in diuino lumine existentem. Ratio enim dictat species naturales, quia sempiternæ sunt, à causa mobili esse non posse: alioqui per motionem factæ quandoque deficerent. Factæ tamen sunt, quia partes sunt vniuersi quod est aliunde compositum: & à causa vna omnes sunt. Siquidem ita ordinatæ sunt inuicem, vt in vna natura, in vnum opus finémque conducant. Hinc intellectus humanus concludit super mundum mobilẽ in mente immobili motrice mundi esse species specierum naturalium exemplaria, non in natura corporea vel animali (mobiles enim forent) sed intellectuali, immo intelligibili. intelligibilia enim in summo intelligibili sunt collocanda. Non tamen talis argumentatio necessaria est, vt intellectus rationes rerum cõmunes attingat: immo sicut phantasia suapte natura de rebus iudicat singulatim, ita intellectus vi naturali statim absque vlla discursione simul ac depicta est singularis imago illa Platonis in phantasia, subitò inquam dimisso certo hoc homine, humanam illam communem omnibus tum naturam tum ideam excogitat. Picta illa pulchritudine & bonitate, illico vniuersalẽ pulchritudinis & bonitatis cogitat naturam, rationẽque in nulla certa materia, nullo proprio situ vel tempore positam, sed vel in omni materia, vel absolutã à materia in seipsa simpliciter subsistentẽ. Quapropter sensus circa corpora versatur, imaginatio circa simulacra corporum, phantasia circa singulas simulacrorum intentiones, intellectus circa singularum intentionum naturas communes, ac rationes penitus incorporeas. Meminisse verò oportet, intellectum non vniuersalem modò naturam, sed particularem quoque cognoscere: alioqui non posset vtranque inuicem comparare: cognoscere insuper vires infra se omnes, actusque ipsarum, quãdo omnes comparat ad seipsum.

B C D

Prius tamen vniuersalem quàm particularem naturam ab ipso cognosci penè omnes consentiunt. Siquidem pro natura formæ intelligibilis in primis agit. Ea verò cum abstractione quadam concipiatur, absoluta est: vnde naturã in primis refert vniuersalem. Quam quidem vim à virtute intellectus in quo & à quo est, adipiscitur: quasi intellectus ipse sit absolutus. A simulacro vero quod in phantasia est, particulare solum repræsentatur. Quod quidem particulare ab
E intellectu solùm secundo quodam actu atque reflexo prospici, tum Platonici tum Peripatetici plurimum arbitrãtur, quatenus intellectus postquam subitò rectáque via per speciem vniuersale intuitus est, inde discursu quodam per actũ speciemque in simulacrum: quo incitante species concepta fuerat, sese reflectens, particulare iam prospicit. Ideo motus ad incorporea absolutaque, maximè naturalis est menti: quandoquidem primo subito, rectè ad ipsa se confert: vbi apparet intelligendi virtutem esse prorsus incorporalem. Si ergo per opera nutriendi, atque idẽ per opera sentiẽdi (quorũ prima in corpore fiunt) secunda per corpus, & circa corpora ostendimus animã non esse diuisam in corpore: quanto magis putandum est idem quoque per opera intelligendi patere, atque illud insuper animam scilicet neque ducere originem à materia, neque esse mortalem? Siquidem ipsa per se intelligendi opus exequitur: in quo materiam reliquit omnino, atque ad incorporales ascendit & perpetuas rationes. Age itaque videamus qua via possimus quod quærimus, per opera & effectus intelligentiæ inuenire.

Anima alitur veritate: Secunda ratio.
Cap. 2.

F ALimentum ea ratione assumitur, vt in substantiam eius quod alendum est transeat, sicut comeditur panis, vt caro efficiatur. Ideo cibus cognatus admodum esse debet illi quod est alendum, vt possit in eius naturam facilè pertransire. Ita aquatica aqueis alimentis, terrestria terrenis, aërea pascũtur aëreis. Similiter corpora corporalibus: incorporea incorporeis nutriuntur. Non enim corpus transit in spiritum, neque spiritus migrat in corpus: quia non subest

illis communis materia per quam & in qua inuicem se cõmutent. Constat animam corporibus non nutriri : constat incorporeis ali: constat igitur eam esse incorporalem. Si aliquibus anima vesceretur corporibus, illis maximè vesceretur, quibus & corpus suum. Nam cum istud maximè animę congruat, alimenta etiam sua inter omnia corporalia congruent maximè: dummodo alimẽta illa adeò tenuentur atque purgentur, vt corpusculo illi subtili quod vulgo anima esse putatur, conueniant. Erit igitur in corpore pingui validior anima, quam in tenui, acutior ad inueniendum, ad reminiscendum firmior, promptior ad agendum, ad peruincendas turpes corporis illecebras continentior. Magnanimitas in grandi corpore, in paruo pusillanimitas. Crescente corpore adolescet animus, etiam si nihil discat, si nullo studio rerum exerceatur. Decrescente per ætatem corpore, & viribus eius debilitatis, sapientia, iudicium, constantiaque perdentur. Post epulas & vina acutius erit ingenium & sublimius. Omnia hæc acciderent si animus cibis corporalibus coalesceret. Horum verò nunc contraria fiunt. Animus igitur corporalibus non pascitur alimentis. Quid ergo? nullis. Ita erit æternus, si nulla alimonia indigebit : quod nos maximè cupimus. An forte spiritalibus vescitur epulis? Immo verò aliis nullis omnino: quod sapienti viro non est dubium: qui talibus alitur sæpenumero. Neque assentiendum A est Epicureis opinantibus animam cum corpore coalescere, quia maiores vires sint in pueris grandiusculis quàm infantibus : atque inde adolescentes in dies viribus præstent, virique similiter, donec rursus senescente corpore minuantur. Siquidem ea est animæ ad membra comparatio, quæ artis ad instrumenta. Ars autem sæpe eadem permanens atque similis, modò facilius instrumenta mouet, modò difficilius : quoniam hæc aliàs aptiora sunt, aliàs ad motum ineptiora. Sic quanuis eadem semper vis sit in anima, membra tamen propter nimiam aut molitiem aut B ariditatem neque constant æque, neque flectuntur. Atque ipsa vis quę videtur in corpore esse, non tam carnis sequitur pondus, quàm proportionem membrorum naturalem, cõformationemque artificiosam: quæ duo ad spiritũ potius pertinent quàm ad molẽ. Vis etiã quæ inest animæ, nõ cor-

poris acquiritur incremento:(quod patet in iis qui torpent ignauia:in quibus crescente corpore nihil proficit animus) sed ex ipsa animi industria comparatur ingenio, vsu, affectu. Quis neget tempore vires corporis comparari? Animo autem sæpe momento fortitudo præstatur, quando vel ratio aliquid monstrat imperátque magnificum, vel furor arma ministrat:& sæpe pusillus homo superat grandiorem:& qui non crescit corpore, crescit tamen sępe virtute animi. Immo dum decrescimus corpore, sępe animo crescimus. Scientiam magnanimitatēque sæpissime acquirit subitò animus: corpus autem neque dare quicquam potest neque accipere nisi
C tempore. Denique virtus animi est æqualitas quædā, vt Magi tradunt, per quam animus & sibimet & ipsi vero bonóque consonat. Siquo pacto quadrangularis quædā linea circularis efficiatur, perfectior euadet:non tamen quod lōgior fiat, sed quod æqualior. Rursus si temperetur lyra, perfectior erit:non quod grandior fiat, sed consonantior. Ita cum adolescens aliquis virtute adolescit, tunc anima non quantitate crescit, sed spiritali quadam æqualitate & consonantia proficit. Neque obiiciat quisquam ita, quòd quando corpus neque grauatur epularum nimio pōdere, neque fame langueścit, sed mediocriter alitur:tunc animus similiter enutritur: fitque in eo statu validior:aliter autem contra. Nam id quidem verum est, animum in eo hominis statu valere quamplurimum:non tamen hoc inde prouenit, quòd similiter alatur vt corpus:sed quia animus natura regit corpus:& quā do ipsum ægrotat grauatúrque, animus adeò in eo curando atque regendo occupatur, vt ad inquirēdam veritatem non sit intentus. Quieto autem corpore, expeditè mens speculatur:& tunc maximè propriis vescitur alimentis. Escam vero animi quam esse dicemus aliam præter illam quam esurit semper & sitit, qua parta gaudet summopere, qua sumpta crescit & impletur? Omnis animus tum in omni ætate, tum continuè veritatem præ cæteris appetit. Quam in omni arte quærunt artifices: & in qualibet re quid de re ipsa sit verum, etiam infantes interrogant curioſe, neque semel aut bis aut ter singulis diebus, vt corporis escam, sed momentis singulis verum in omnibus negociis inuestigant. Proinde veritatis acquirendæ studio alimoniam corporis prętermit

timus sæpenumero: neque tempori neque pecuniæ parcimus, neque laboribus eneruamus corpus: quo eneruato animus fit neruosior. Hanc veritatem animus ipse cupit, non corpus. Hæc enim corpus non auget, sed obest plerunque illius studium corpori. Quinetiam propter seipsum expetit illam animus, non propter corpus. Quid enim corpori conferat? Quòd siquando videatur veritas conducere corpori: non propter ipsam veritatem id euenit, sed propter aliquod commodum corporale quod cognita veritate contingit. Immo verò animus, etiam si nihil inde sequatur vtilitatis, veritatem studiose perquirit: & pleno cibis suis corpore, esurit sititque adhuc animus veritatem: qua inuenta exultat, non ad tempus, sicuti propter corporis vsus: sed perpetuò gaudet: illuminatur: adolescit: euadit magnificus: adeo vt illi præ magnitudine sua, minima videantur illa quæ solent esurienti animulæ videri quàm maxima. Hac etiam alimonia fit inuictus, temperans, iustus, hominum gubernator & dominus excelsior cælo, par angelis, deo similis. Quis igitur ambigat vlterius quin veritas humanæ mentis naturalis sit esca? Eandem escam omnes appetunt mentes, eandem quæque mens semper. Quæ quidem consensio stabilis appetendi significat mentes inter se mirifice conuenire, & quamlibet mentem in natura sua stabilē permanere: quandoquidem appetitus earum non ita variatur mutatúrve vt appetitio sensuum: quæ p diuersitate corporum diuersa est & ad mutationem corporis permutatur: quasi sensus corporum mutationem sequantur, mēs diuinorum stabilitatem. Odit nanque corporis alimenta: atque eodem cibo vescitur quo cælestes & sempiternæ mentes. Hic cibus est veritas. Veritas autem non est corporea: alioqui rebus incorporeis E non inesset. Nunc autem ineſt Deo, angelisque, & numeris: quæ & incorporalia sunt, & vera. Et quoniam incorporalia tanto veriora sunt corporibus, quanto puriora firmioráque sunt: fit vt veritas in illis sit potius quàm corporibus. Atqui (quod maius est) non est propriè veritas in corporibus. In his enim duo sunt, materia, & forma. Non est veritas in materia. Nam per eam nihil verè in specie aliqua rerū est: non F homo revera per eam aliquid est, non equus, & reliqua. Neque tamen in forma corporis iacet veritas: cum vera forma

non sit, cuius virtus inficitur in materia. Testantur hoc & mathematici, qui veras figuras in corporibus non reperiũt.
G Verus quippe circulus locatus in vero plano, assiduè voluitur. hoc fieri ratio cogit: cum circulus ille planum tangat in puncto. in puncto autem corpus quiescere nequeat. Nemo hæc in corporibus vidit vnquam. Non insunt igitur veræ figuræ corporibus, quia forte neque vera principia figurarum, saltem quantum spectat ad sensum, qualia sunt puncta, lineæ, superficies. Ratio quidem ostendit verum punctũ longitudine carere debere, veram lineam latitudine, superficiem veram profunditate. Talia verò in materia nusquam sensu reperiuntur. Cum ergo alicubi sit veritas, & à corporibus sensúque absit: est proculdubio in spiritibus. est igitur incorporea. Idem ex eo patet, quia ibi maximè consistit veritas, vbi scientia. Hæc verò in rationibus rerum vniuersalibus revera versatur: ceu cum quis cognoscit quid bonitas ipsa sit, quid iustitia, singulis bonis & iustis actionibus officiisque communis, atque similia. Rationes verò huiusmodi incorporales sunt: quoniã in nullo particulari corpore concluduntur: sed sunt ad multa communes. Ratio corporis vel circuli tota in minimo corpore vel circulo sicut in maximo reperitur: ratio longitudinis vel latitudinis vel profunditatis tota in minima linea, superficie, altitudine, sicut in maxima. Denique ratio quantitatis ipsius tota adęquatur toti rei cuiuslibet quantitati. Quapropter rationes corporis, figurę, dimensionis, atque ipsius etiam quantitatis, corporales & extensæ non sunt: multo minus rationes aliæ corporales & extensæ esse possunt. Præterea rationes rerum immutabiles sunt: nam aliter se habere non possunt: omnia vero corporalia mutabilia sunt. Quapropter scientia cum in his versetur, est incorporea: igitur & veritas incorporea. Quo fit vt
H de ipsa veritate rerum quid sit, qua ratione constet, inueniaturque, quid ipsi sit propinquius, quíd ve remotius: non sensus vllus, immo sola ratio iudicet: & tunc potissimum, quando sese à sensuum corporumque fallacia seuocat. Est ergo veritas incorporea. Talis est autem maximè veritas & scientia diuinorum, qua præcipue animus oblectatur & alitur.
A Quo igitur modo animus potest corporalis esse, qui corporalibus cibis offenditur, spiritalibus alitur? Quandoqui-

dem veritate omni, præsertim diuinarum rerum veritate delectatur, alitur, augetur. Aut quo pacto mortalis erit, si veritate pascitur immortali, cum neque corruptibilis venter cibum incorruptibilem cupiat aut capiat: neque cibus incorruptibilis in corpus transeat corruptibile? Sanè immortalis est veritas: atque est continuus animi cibus: vt certè est. siue ipsa conuertatur in animum, siue animum in se ipsam conuertat, eum efficit immortalem. Quoniam verò dum familiari hoc vescitur cibo, ea voluptate perfunditur, quæ neque molestiam habet admixtam, neque in fastidium vertitur vel dolorem: constat mentem neque fatigari vnquam, neque turbari contrarij alicuius occursu: neque in B contrarium aliquid posse corrumpi. Rursus quia menti nihil natura optabilius est quàm veritas, veritas autem per separationem quandam à rebus mortalibus comparatur: nihil menti qua ratione mens est, magis est naturale familiareque, quàm à mortalibus segregari. Ex eo vero quod maximè naturale est, non remissio vitæ sequitur, sed intensio. Quapropter tunc viuet mens præcipue, cum hinc abierit.

Hanc verò argumentationem nostram argumentatione quadam Olympiodori Platonici confirmare possumus, quam partim Pythagoricis, partim Platonicis mysteriis à C Phædone Gorgiaque acceptis sic ille contexuit. Mens naturali veritatis auiditate continuè tum se à corpore, tum formas à materia separat, cupitque ita atque conatur separata viuere: quanuis quotidie in contrarium corpus sensúsque detorqueant. Separatam verò illam à caduco corpore vitam naturaliter appetit, tanquam naturaliter id est reuera bonam: præsertim cum vita sit omnino dedita veritati atque bonitati. Vita eiusmodi si bona est: ergo & possibilis est. Quod enim impossibile est: idem quoque inutile. Bonum vero inutile non est dicendum. Item si impotentia ad malum pertinet, ad bonum potentia pertinet. Ergo bonum omne natura sua possibile est. Hinc efficitur vt naturalis appetitio boni sit possessionis possibilis appetitio. Ac si etiam quod apparet bonum, est possibile: certè & ipsum reuera bonum potentissimum est: & vera bona vere benéque quærentibus possibilia sunt.

Tertia ratio. Virtus animæ: quia indiuisibilis est, corporis qualitas esse nequit.

Cap. 3.

*

D QVod indiuisibile est, corporis qualitas esse nequit. Nã si qualitas eius esse ponatur, ita interrogabimus: nunquid tangat partem aliquam diuisibilem corporis: an punctum aliquod corporis indiuisibile? Si conceditur primum: profectò qualitas huiusmodi diuisibilis erit, cum modo diuisibili tangat. Atque ita non indiuisibile diuisibilis ipsius erit qualitas, sed alicuius diuisibilis diuisibile. Si secundum conceditur: certè illa qualitas, puncti illius quod attingit solum, qualitas est, non corporis. Quamobrem quod indiuiduum est, corporis qualitas nunquam erit. Indiuidua verò virtus animæ humanæ est qualitas. Igitur anima non est
E corpus. Sufficiens quidē putabitur huiusmodi demonstratio, si duo illa planius ostenderimus: videlicet & virtutē esse animæ qualitatem, & hanc ipsam virtutem indiuiduam esse. Primum cuique est euidentissimum: quandoquidem per virtutis præsentiam talis ac talis anima fit: & dicitur sapiens, prudens, iusta, fortis, & temperans. Atque abesse virtus ab anima potest anima remanente. Huiusmodi verò est cõ-
F ditio qualitatum. Secundum præterea illud, videlicet virtutem esse indiuisibilem, sic ostendimus. Virtutum duo sunt genera: aliæ in intellectu, in appetitu vero siue rationali siue irrationali aliæ. Illæ speculatiuæ vocantur, istæ morales. Illæ speculatiuæ: quia speculando comparantur, & comparatæ versantur in speculando. Istę morales: quia more & consuetudine acquiruntur: atque acquisitæ in moribus & operum vsu consistunt. In eo genere sunt diuinorũ sapientia, scientia naturalium, ciuilium prudentia, ars operum humanorũ. In hoc sunt iustitia: quę suum cuique tribuit. Fortitudo, quę ad opera honesta promptior abiicit à nobis timoris impedimentum. Temperantia, quæ libidinis mollitiem (quod al
G terum honestorum impedimentum est) repellit. Hæ quidē sunt apud Platonem virtutum descriptiones. Si qua esset in iis virtutibus corporea magnitudo: quo quisque grandior

est,eo sapiẽtior iustiorque fieri posset:neque possent exigui homines grandes virtutibus superare aut æquare. Rursus scientia quæ maximorum corporum notitia est,amplior & clarior esset,quam scientia quæ minorũ. Cognoscimus autem multa quorum non valemus magnitudinem adæquare:totúsque animus & æque & ita rem magnam percipit sicut paruam. Summatim verò quid aliud speculatiua virtus est,nisi claritas intellectus? Quid aliud moralis, nisi feruor stabilis appetitus ab intellectus claritate succensus? Claritas H illa non paulatim fit,licet ad eam pedetẽtim perueniamus. Sicut post longam per vestigia multa inuestigationẽ subitò lepus aspicitur:ita quisque in seipso animaduertit post diuturnam indaginẽ se momento quid verum sit ea de re quã quęsiuerit,intueri. Subitò veritatis lumen(vt Plato inquit) effulget in animo:non subitò excussum à rebus, sed longa quadam discussione:vt ex lapide sæpius collisо scintilla. Similiter diuturna consuetudine iuuentus ad mores disponitur,Donec paululum quid ad accendendum stabilem illum rationalemque appetitus ardorem deficit, nondum sufficienter accenditur:nondum virtus moralis habetur:sępius in spirando,subito tandem flagrat ęstus appetitus sufficiens ad virtutem. Quid plura? Verso ad solem speculo,in speculo lumen momento refulget: suppositа illi speculo lana: statim vt parata est,in ipsa ignis accenditur. Quare & repentinus splendor in speculo fit,& repentinus ignis in lana. Non aliter subita in intellectu claritas veritatis:subita inde in appetitu flagrantia. Resume iterum hoc pacto. Virtus speculatiua est quędã cognitio veritatis. Si gradatim confletur: pars nunc quidem habebitur,pars deficiet,& quæretur. Quatenus pars veritatis habebitur:sciemus quidẽ. Quatenus pars deerit:etiam nescimus. Ita eandem rem & sciemus simul, & nescimus. Quod ne ebrius quidem aliquis somniaret. Quapropter speculatiua virtus non gradatim à parte sui in aliam sui partem progreditur, sed tota simul è vestigio lucet. Virtus quoque moralis est voluntas quædam constans quodcunque ratio dictauerit eligendi. Si parteshabeat multas,fiatque sensim: pars huius voluntatis inerit, pars adhuc I aberit. Quantum pars inest,volumus. Quantum pars abest, etiam nolumus. Sic eandem rem simul per candẽ vim ani-

mæ volemus pariter, atque nolemus. Quod est mõstro persimile. Quoniam igitur virtus sit momento indiuisibili, est ipsa quoque indiuisibilis: si modò natura cuiusque propriam originem sequitur: præsertim cum finem habeat indiuisibilem. Cuius autem ortus & finis indiuiduus est, cur non
K sit ipsum etiam indiuiduũ? Quis virtutis finis? Moralis quidem finis, animam à corpore diuisibili purgare atque seiungere: speculatiuæ autem incorporeas vniuersalesque rerum rationes à diuiduis corporibus procul positas comprehendere. Cernis finem vtriusque virtutis, sicut & ortum, esse indiuiduum aliquid: ideoque virtutes ipsas oportere indiuiduas iudicari ostendunt vtræque virtutes huiusmodi quandam sui naturam, in eo quammaximè, quòd multæ scientiæ simul in intellectu sunt, multę virtutes morales simul in appetitu, neque sese sua numerositate confundunt, sed augent potius & lucidant. Atque vnius scientię conceptionem in nobis seorsum ab alia peruidemus: ita vt sine consideratione alterius possimus alteram cogitare. Proinde tales habemus artificiorum ideas in mente, vnitas inquam pariter & distinctas vsqueadeo, vt possimus ad vnius ideæ exemplar loqui & fabricare aliquid ipsi proprium, etiam si nihil ad alterius conceptionis exemplar agamus. Corpora esse nequeunt tales intelligentię, quę ita in eodem manent animæ gremio, vt neque sese detrudant pellantque, neque se mutua mixtione confundant. Eadem est de moralibus virtutibus ratio. Quinetiam cum multæ sint in anima sapientis intelligentiæ: vnaquæque illarum tota in singulis inuenitur. Profectò qui in geometria siue theologia peritus est,
A propositionem aliquam habet facultatis illius primam: habet secundam, tertiamque, & reliquas: atque ex cognitione vnius in alterius cognitionem progreditur. Si prima docet secundam, secunda tertiam: & quisquis docet aliquid, possidet in seipso quod docetur: sequitur vt in qualibet præcedente propositione sequentes omnes contineantur. Quinimo & in qualibet sequente insunt similiter præcedentes. Quippe solemus sequentium indiciis præcedentia sæpe rimari. Neque id iniuria. Siquidem in effectibus lucent imagines causarum. Hac rerum serie fit, vt sapiens vna quauis propositione excogitata, velocissime percurrat in multas:

atque ita multas, immo omnes in vna conſpiciat. Eſt ergo quælibet intelligentia in qualibet, & vnaquæque tota continetur in ſingulis. Idē in virtutibus moralibus accidit. Nā acquiſita illarum vna, ſtatim omnes habentur. Quis enim iuſte diſtribuet, ſi aut timeat minas, aut libidini ſeruiat? Quiſnam metus fortiter ſuperabit, ſi emolliatur libidine? Quis domabit cupiditates, ſi formidini ſuccubuerit? Denique quis honeſtè vitam aget, niſi per prudentiam optimum vitæ finem ſtatuerit & vias ad finem elegerit rectiores? Aut quis prudenter inſpiciet, ſi mentis acies caligine vitiorum obnubiletur?

Sunt ergo virtutes iſtæ ita connexæ inuicem, vt in vna ſint omnes, & quælibet virtus tota comprehendatur in ſingulis: ſicut & tota Geometriæ facultas in præcipua eius propoſitione, immo in qualibet delitеſcit: cum per ſolertis ingenij ſagacitatem ex qualibet propoſitione omnes eliciantur. Non poteſt autem diuiſibilis qualitas tota ſimul rebus multis ineſſe. Profecto in vna ſola eſt, id eſt corpore vno, & alias ſui partes per alias corporis partes extendit: neque tota eius quantitas ſingulis corporis partibus ineſt: ideo intelligentiæ illæ moreſque omnino indiuiſibiles ſunt. Quamobrem anima neque corpus, neque forma diuiſa per corpus eſſe poteſt: ſiquidem ipſa eſt ſubiectum indiuiſibilium qualitatum. Ergo ſicut delirat qui aut quærit quanta ſit ſcientia vel iuſtitia, aut putat geometriam corpore geometrę eſſe minorem: ita deſpicit qui aut interrogat quanta ſit anima, aut eam opinatur corpore minorem eſſe: quandoquidem nullo modo corporalis eſt. Non ſolum enim incorporalia ſuſcipit, verùm etiam multa in ſeipſa facit incorporalia: dum ſpecies rerum rationeſque & habitus concipit: præſertim cum definitiones incorporalium fabricat. Quis autem eam quæ incorporalium cauſa eſt, eſſe dixerit corporalem: aut eam mortalem quæ ſubiectum eſt virtutum: cum virtutū officium ſit repugnare mortalibus, ſiquidē ſpeculatiua virtus illa fugit, moralis fugat. Non poteſt autem qualitas ſubiecto proprio repugnare: immo immortale eſt illud neceſſariò, quod naturale receptaculū eſt qualitatum earum quarum proprium eſt aduerſari & imperare mortalibus. Vis autem rationis huius in eo cōſiſtit maxime, quod

anima non modò subiectum est talium qualitatum, sed & principium: ideoque naturam illam mortalibus repugnantem sortiuntur ab anima.

Quarta ratio. Species conceptióque intelligibilis susciþi non potest à corpore.
Cap. 4.

B ID sentiunt Græci omnes Platonici. Idem possumus ita Platonicorum Arabum sententia confirmare. Intellectus rem aliquam, puta hominem, non intelligit, nisi formam quandam vniuersalem hominum significatricem adipiscatur: quam intelligibilẽ formam & speciem nominant. Hanc adeptus, quid sit hominis natura ita iudicat, homo est animal rationale. Iudicium hoc, tum conceptus & conceptio mentis vocatur, tum rei cognoscendæ ratio & definitio, quã etiam solemus scientiam appellare. Si intellectus à corporis latitudine protendatur, tam forma intelligibilis quàm conceptio latitudini corporis adhærebit. In hac ipsa latitudine duo considerãtur: punctum scilicet, & extensio latitudinis. Igitur formæ illius conceptionisque sedes erit vel solũ punctum aliquod corporis, vel extensio. At verò si neutrũ concedi debet, vt demõstrabimus: sequitur vt intellectus in corpore minime protendatur. Ostendamus prius punctum sedem talem esse non posse. Primum quidem animaduertendum est, punctum non existere per seipsum, sed esse mensuræ corporis sic affixum, vt semper eius sit terminus. Si pro natura sua rem capit, certè nunquam accipit nisi terminum aliquem magnitudinis alicuius quę in illa corporis mensura susciþiatur, cuius terminus est punctum: ita vt sicut corporalis mensura susciþit rei aduenientis magnitudinem, sic talis mensuræ terminus terminum susciþiat magnitudinis. Quare quicquid puncto corporis susciþi dicitur, non est à magnitudine liberum. ideo si formæ intelligibilis receptaculum sit punctum, fieri non poterit quin ea species diuisibilis sit, & terminum suum in puncto corporis habeat: reliquas verò partes in corporis latitudine. Eam tamen indiuisibilem esse probabimus in sequentibus. Præterea si dicatur punctum ita formam illam capere, vt solum ipsum sit eius

sedes

ſedes & fundamentum, atque illa per hoc maneat à corporis latitudine ſegregata: oportet punctum quoque eſſe diſiunctum à latitudine, præſertim cum nihil ſit proprium accidentis alicuius ſubiectum, niſi quod proprie exiſtit actu. C
Punctum huiuſmodi erit à linea ſeparatū: neque erit lineæ aliquid, neque terminus latitudinis: & linea per aliud quoddam punctū huic proximum terminabitur. Rurſus aliud illud punctum ſimiliter proprio exiſtet actu: quo poſſit & ipſum accidentis formæ ſedes fieri: eritque ipſum quoque ſeiunctum à linea, præcipue cum ſit eadem punctorum omnium ratio. Quo efficitur vt aut nullum ſit punctum in linea: quo nihil eſt dictu ſtultius (terminis nāque careret) aut lineæ longitudo conficiatur ex punctis: quod etiam dictu ridiculum: quia punctum puncto additum non auget longitudinem. Quod ea ratione conſpicitur: quoniā ſi tria puncta cogitentur ſibi inuicem ſuccedentia, interrogabimus nunquid punctum illorum mediū cogat duo extrema puncta inter ſe ita diſtare, vt ſe inuicem non contingant: aut nō impediat extremorum concurſionem. Si diſtare cogat, certe non eadem ſui parte tangit eorum vnum, qua tangit alterum: alioqui non diſiungeret inuicem. Quòd ſi altera parte ſui vnum extremorum reſpicit, altera alterū ipſum duabus partibus conſtituitur: nec eſt punctum, ſiquidem eſt diuiſibile. Quare cogimur confiteri punctum mediū non impedire aliorum concurſionem. Itaque erunt in omnibus omnia, neque vllam ſuo concurſu efficient longitudinem, quando per punctum medium nullum inter alia puncta naſcitur interuallum. Si non conſtat ex punctis aliqua corporis longitudo, nullum reperitur in ea punctum quod per ſe quandoque ita poſſit actu fieri, vt fiat intelligibilis formæ ſubiectū. Dixerit fortè quiſpiā punctū non actu ſed potētia eſſe in corpore, & p eā ipſam potentiā fieri intelligibilis forma ſubiectū. Quāuis id iam fuerit confutatum, ſic tamen iterum confutatur. Puncta huiuſmodi tū quia potentia ſunt, non actu, tum quia ſunt infinita: nulla ratione ita inuicem diſtinguuntur, vt aliud illorum potius quàm aliud formam illam capiat. Omnia itaque illam capiunt. Quocirca intellectus aut infinitas ſimul rei cuiuſque intelligendæ formas A
accipiet actu: aut infinitè ſimul per infinita puncta rem ean-

dem intelliget. Vtrunque impossibile est: tũ esse formas infinitas actu, tum esse simul intelligentias infinitas. Per hæc manifestum est, punctum corporis intelligibilis speciei sedem esse non posse. Sed nunquid ipsa punctorum continuatio, corporis ve extensio sedes erit: Nequaquam. Omnis enim forma quę diuisibili subiecto recipitur, fit diuidua: quẽ admodum niuis albedo niuis diuisione diuiditur. Itaque si à corporis latitudine species illa suscipitur, lata fit & diuidua. Talem verò illam fieri impossibile est: quod sic ostendam. Si species secatur in partes: aut partes illæ dicuntur omnino similes esse, aut dissimiles. Sed horum neutrum est admittendum. Non est admittendum quod similes sint omnino: quia si ita similes sunt, vt in quauis parte ratio integra sit speciei totius: sicut in singulis aquæ guttis integra ratio totius aquæ seruatur, certe intellectus in qualibet parte inspiciet totum: atque vna speciei pars ad totius rei intelligentiã satisfaciet: superfluæ erunt cæteræ. Præterea per talem speciem quæ vndique sibiipsi persimilis est, & tali similitudine decipit intellectum inde ductum ad cognoscendum: confundetur prorsus iudicium intellectus in partibus discernendis à toto, tum in qualibet re ex partibus constituta, tũ vel maximè in re illa quæ ex naturis variis est composita: neque poterit partes vel à partibus vel à toto discernere. Alia tamen revera ratio partis est vt pars est, totius alia vt est totum: & hoc semper per mentis iudicium affirmatur: cum neque ipsum totum pars esse valeat, neque pars totum. Negandũ igitur arbitramur speciei partes omnino similes esse, ob eã maximè rationẽ, quia cũ mens rei partes intelligat vt partes sunt, & intelligat totũ vt est totũ: & totum vere distinguat à partibus: neq; possit verè distinguere, nisi aliqua sit in ipsis distinctio naturalis: sequtur vt partes intelligibilis speciei, si modò partes habet, tam inuicem quàm à toto naturali aliqua discrepent varietate. Accedit & alia ratio. Nempe partes quæ inter se & ad totũ similes sunt omnino, quando totum aliquod mutuo congressu conficiunt, non aliter perficiunt totum, quàm per numeri vel magnitudinis augmentũ: quod in tritici granis, & aquæ guttis aspicimus. Vbi enim forma non variatur, & tamen aliqua intrinsecus fit mutatio: incrementum ibi quodammodo fit vel decremen-

tum. Itaque illa mentis ſpecies ſi talibus concreſcit partibus, numerus aliquis erit, vel aliquid numeroſum: aut cumulus, vel continuum aliquid. Ergo per illam numeros ſolum & numeroſa aut magnitudines quaſdam intelligemus ſiue figuras: eritque ſpecies ad imaginationem & phantaſiã pertinens potius quàm ad mentem. Ex his concluditur, formam intelligibilem in partes inter ſe ſimiles minime diuidi. Nũ forte ſecatur in partes diſſimiles, ſicut animalis corpus in oſſa, carnes & neruos? Nullo modo. Nã per hanc formã, mens quid rei ſubſtantia ſit cognoſcit: vt diximus. Subſtantia rei definitione maximè comprehenditur. Definitio genere conſtat & differentia: vt hominis definitio animali conſtat & rationali. Animal genus eſt, per quod homo cum cæteris animalibus communiter conuenit. Rationale differentia, per quam differt ab animalibus carentibus ratione. Quare ſiqua ſit in ea forma diuerſitas partium, hæc erit potiſſimum per genus & differentiam. Sint hæ duæ: ſi vis, intelligibilis formæ partes. Sint extenſæ per latitudinem corporalem. B

Quid hinc ſequatur, audi. Quia partes corporis diuidi poſſunt in infinitum, idcirco vnà cum illis tam genus quàm differentia abſque fine ſecabitur: eruntque in definitione vna innumerabilia genera, & innumerabiles differẽtiæ: nec erit revera definitio: quia non comprehendetur ab intellectu ſi infinita fuerit, neque ſuis finibus terminabitur: & (quod abſurdius eſt) vel infinitè eadem genera eaſdemque differentias replicabimus, vel à genere reſoluendo aſcẽdemus in genus in infinitum: à differentia ſimiliter diuidendo deſcendemus in differentiã. Aſcenſus talis atque deſcenſus impoſſibilis eſt: quia ratio vera tandem ad prima rerum genera & vltimas differentias peruenit, vltra quę non liceat progredi. Siquidem ſubſtantia ſupremum genus eſt in homine: quod in genus aliud non reſoluitur. Certa verò diſcurrendi potentia eſt vltima differentia: quam non licet in aliam differentiam coarctare. Auget errorem illum hoc prę cæteris, quod ſi genus & differentia in re aliqua ſunt, infinita talia erunt effectu. Quæ enim ad rei eſſentiã conducunt, & ad ordinem pertinent naturalem, effectu ac revera exiſtunt in natura: non cogitatione finguntur humana. Eſſe au

tem multitudinem aliquam talem re ipsa siue effectu innumerabilem, natura nō patitur, præsertim in corpore: in quo tamen esset innumerabilis multitudo, si genera innumerabilia & innumerabiles differentiæ per partes corporis pariter secarentur: totidemque nanque essent etiam ipsius corporis portiones. Rursus percontamur Epicureos, qui speciem diuidunt in intellectu velut formam in corpore, & partem eius vnam in vna mentis parte locant: verbi causa genus in parte dextera mentis, differentiā verò in sinistra: cur dextra pars potius congruat generi, differentię vero sinistra? Nónne quælibet pars mentis æque mens est? Ne ex partibus amentibus fiat mens. Quælibet igitur particula mentis æquè vtrunque tam genus quàm differentiam respicit: ideo quælibet capit vtrunque. Quod si quælibet ambo suscipit, & in vtraque sunt ambo: fit vt illa non sint inuicē separata. Verum, vt Epicurei volunt: casus efficit vt duorum illorum alterum in dexteram cadat, alterum in sinistram. Sed respondeant nobis illi: vtrum sic deinde distincta permaneant: an inuicem misceantur? Si dent primum: sequitur vt inde scientia non nascatur. Nulla enim fit definitio ex genere & differentia inuicem separatis. In neutro illorum seorsum posito perfecta habetur de re ipsa scientia. Misceantur oportet in vnum, vt vna scientia de re vna ab vna mente per definitionem vnā in vno tempore possit haberi. Oportet profectò vtrunque in tota mente esse, vt verè intelligatur. Nam quod in parte mentis est, nondum integrè intelligitur. Actio enim rei totius est, non partis. Fateantur ergo oportet illa misceri. Sed vnde miscentur? nūquid casu, vel mēte? Casu, inquiunt. Nimium hoc dictu nefas. Nam rarissima fieret mixtio talis: & quando fieret, tunc demum concederent illa sic vnita incorporalia esse: quod ipsi volumus. Concedent denique illa à mente misceri. Ex hac cōcessione duo statim nos inferemus. Primum, mentem esse incorporalem, si acceptas formas ducit ad habitum incorporeum quæ sententia Epicureis aduersatur. Secundum, mixtionem illā à mente factam nō aliter fore veram, nisi in rebus ipsis talis quędam sit vnio. Quod enim à mente præter naturam rerum fabricatur, figmentum est potius quàm scientia. Omnino autem oportet genera & differentias natura coniungi inui-

cem vel diſiungi,non mentis figmento,vel ſitu.Si enim figmento mentis id fiat,erramus,non diſcimus. Si autem ſitu, ita vt genus in parte mentis dextra ſit,differentia in ſiniſtra: ſanè quia licet menti communia hæc reſoluere,illa mens diuidet.Per hanc ipſam diuiſionem modo corporeo ſecabuntur,& dimidium generis vnum in parte dimidia dextræ partis relinquetur,dimidium alterum relinquetur in altera. Idem accidet differentię.Licebit partiri iterum.Hinc dilaniatio ſequetur,non reſolutio: & dum cõmunia diſcerpemus, ſcientiam diſperdemus. Quòd ſi per diuiſionẽ non lacerẽtur communia illa,ſed genus in quauis ſui parte ſuperſit integrum,& ſimiliter differentia:iam non erunt amplius corporalia:quia certa quantitate non indigent:ac etiam innumerabilia genera totidemque differentias, qui ita ſecabit, inueniet.Atque horum multitudo non natura cõſtabit, ſed mentis machinatione naſcetur.Forſitan Epicurei vt has obiectiones deuitent, non dabunt amplius ſpeciem illam intelligibilem ex genere differentiaque cõponi, ſed partibus aliis.Nos autem quæremus,nunquid ſpeciei pars,qualiſcunque illa ſit,à tota ſpecie differat,necne.Si non differat, ſane neque pars erit illa quæ à toto non differt,ſed erit totum:neque ſpecies illa erit cõpoſita,ſi nihilo differt à partibus:quia ſic partium caret diuerſitate.Ergo differre ſpeciei partem à ſpecie fatebuntur.Nos autem ab illis,quomodo differat,ſcire ſcitabimur.Si non tanquam genus differentiáve à ſpecie,vt oſtendimus,num ſaltem tanquam à ſpecie ſpecies,ceu à colore figura?Sed hoc admitti non poteſt. Non eſt enim ſpecies talis intra ſpeciem. Non continetur ſub colore figura. Pars tamen intra totum eſt:& continetur ab illo. Forſitan vt ſpeciem illam conceptionemque mentis habere partes conuincant,quæ ſub illa contineantur, ad numeros confugient:atque inferent ſpeciem à ſuis partibus diſcrepare,ſicut quatuor à duobus,ab vno duo: nos autem licet id ſuprà confutauerimus,rurſus tamen ita refellimus.An volunt partes illas ſpeciei conceptioniſque,quam ſcientiam vocant,eſſe ſcientias? Si nolunt, creabunt ſcientiam ex inſcitiis, ac ſi albedinem conſtituerent ex figuris.Si volunt:ſic eos arguimus.Conſtat apud philoſophos,quamlibet ſcientiam habere obiectum ſuum in quo verſatur,quod ſcitum vocãt. De- A

clarent nobis isti, siquidem scientiæ illæ quæ sunt vnius scientiæ partes, obiecto carere non debent: nunquid idem sit scitū propriū cuiusq; illarū atque totius, an aliud? Si idē esse respondeant, tunc nulla illarū pars erit, sed vnaquæq; totum postquā æquatur toti. Vbi enim æquantur obiecta: scientiæ quoq; æquantur. Sin aliud fateātur, rursus id sequetur absurdū, q̄ scientia ipsa totius sciti p̄ter partiū scientiā erit: neq; ex partiū cognitione cognoscetur totū: vbi non concurrunt scientiæ singulæ in scientiā vniuersam. Verū sic iterū procedamus. Mens vt plurimū intelligit rationē ipsam rerū & vnā, & vniuersalē, vtputa bonitatē ipsam, multis bonis æque cōmunem. Ratio huiusmodi quantū vna & vniuersalis est, est & simplex. Ratio quoque dei siue angeli quotiens vere cognoscitur, tanquā indiuisibilis iudicatur. Hæ rationes essentiæ intelligibiles appellantur. Eas nostra mēs nunquā cognosceret, nisi formas earū haberet in se velut imagines. Nā si cognoscendo agit aliquid, nec agit nisi sit actu, nec agit aliter quàm actu sit: actu vero fit per formam: nunquam essentias contēplatur, nisi earundē formis ornetur. Formæ tales licet quandoque intelligibiles appellentur, proprius tamen intellectuales dici debent, essentiæ verò intelligibiles. Hæc enim est veterū Platonicorū consuetudo. Si forma q̄dā talis essentiæ talis imago in nostra mente spargatur in partes, tunc partes illæ aut ita se habent, vt nulla illarum essentiam ipsam respiciat, aut alia respiciat quidem, sed non alia: aut omnes. Si primum detur, tunc forma illa tota essentiam nullo modo respiciet: cum nullus sit respectus in partibus. Sicut enim tota forma constat ex partibus, sic totius respectus ex partium respectibus congregatur. Quòd si nullo pacto essentiam aspicit, non erit eius imago, neque ad eius intelligentiam conferet. Si detur secundum: pars quæ non respicit essentiam, nihil attinet ad intellectualem formam, postquam ad essentiam non spectat intelligibilem. Si autē tertium concedatur, statim interrogabimus, vtrum quæque pars eundem habeat aspectum, an aliæ potius alium.

Si eundem habere respondeantur, & habere eundem non possunt aliter quàm si quæque referat essentiam totam: profecto nulla earum pars formæ intellectualis erit, sed quælibet erit tota: vna ad cognoscendum sufficiet: supererunt

aliæ:quæ etiam innumerabiles erunt actu, si corporis diuisione secantur,& conducunt ad actionem. Si autem aspectum habeant alium atque alium, nec aliter hoc fieri potest,quàm si partes singulæ formæ totidem aspiciant essentiæ partes: quandoquidem intellectuale in telligibili oportet æquari: sequitur vt essentia illa sit diuisibilis: quam tamen ratio vera esse simplicem concludebat. Neque posset simplicem iudicare,nisi aspectu simplici eam intueretur. Multiplici autem aspectu partium diuersarum, multiplicem iudicaret. Opinamur autem eos in hunc errorem propterea incidisse, quod scientias nonnullas in rebus compositis versari considerabant:qualis est scientia de homine,qui ex animali rationaliqúe componitur, tanquam genere suo & differentia. B

Qualis est scientia de septenario & denario, numerisque aliis qui ex numeris vel vnitatibus congregantur. Nos autem putamus hominem, quatenus homo est, vnum quid esse & simplex:quia vna eius est forma Huius signum est, quod in plures homines non diuiditur. Siue enim secundum speciem diuidas ipsum in genus & differentiam, neutrum illorum homo est.Siue secundum singula in caput,pectus & femur,illorum nihil est homo. Corpus quidē secas, quia discerpis in membra, quę corpora sunt:non secas hominem:quia nō secas in homines. Quod autem tale quiddam est in seipso, & in plura talia non diuiditur: illud certè quantum est tale, indiuiduum est & simplex.

Denarius quoque,quantum denarius, non diuiditur. Nam vna species est duntaxat,& vna forma: quam in plures denarios partiri non possumus. Quòd si partiamur, numerum quidem partimur,quia partimur in numeros: denarium non partimur,quia non distribuimus in denarios. Neque obstat quod in specie genus & differentia videatur includi. Non enim in ea sunt duæ formæ, sed vna. Nam licet aliud sit in rerum ordine, animal esse, aliud esse rationale: in homine tamen est idem: & (vt Platonice loquar) ipsa hominis natura rationalitas quædam est. Rationalitas autem nihil est in homine aliud, quàm animalitas ipsa in actum rationis educta. Talis autem forma simplex esse simplicis fundamentum species est: quæ C D

non dispertit seipsam in singulos homines, sed totam singulis se communicat, & per hanc singuli vnum sunt. Differunt autem per alia quę extrinsecus adiacent, ad speciem minime pertinentia: Quod quidem speciei simplicitatem significat: quæ ex eo quoque non parum significatur, quod species magis minúsve non suscipit, & in quodam certo consistit gradu naturæ: cui nihil addi potest, nihil demi, quin species ipsa mutetur. Testantur hoc species numerorũ. Septenarius species quædam est numeri: adiunge huic vnũ, nouam creabis speciem scilicet octonarium. Subtrahe vnũ, senarium habes, nouam rursus numeri speciem. Quoniam vero scientia non de singulis, vel generibus proprie, sed de speciebus habetur. Singula enim quia innumerabilia sunt, mutanturque, neque comprehenduntur, neque firma tenentur, genera verò propter confusionem in se perfecte non discernuntur: quoniam inquam de speciebus scientia est, species verò sunt simplices: sciẽtia quoque illarum est simplex:
E si modò scientia veritatis adeptio est. Veritas autem est rerum cum mentibus adæquatio. Neque nos turbet aut multitudo vocabulorum, aut cogitationum multiplicium varietas, ex quibus conflari scientia forte videtur. Præparationes quidem hæ sunt ad scientiam, siue pedisequæ. Sciẽtia actus est vnicus, siue habitus. Tactus inquam simplex simplicis formæ, indiuiduus indiuiduæ veritatis intuitus. Subitum in telligentiæ lumen. Sed ex hoc eorum error euidentius redarguitur, quod multæ sunt scientiæ de rebus proculdubio indiuiduis. Quis enim diuidat vnitatem? Quis item simplicitatem & puritatem? Quis diuidat esse ipsum simpliciter?
F Porro quicquid diuidimus, in partes diuidimus toto priores. Hæ vero ex nullis partibus præcedentibus componuntur. Hominem quippe in animal & rationale resoluimus: animal in corpus & sentiendi naturam: corpus in substantiam & quantitatem: substantiam in esse & sufficientiam sub sistendi: esse verò ipsum in quas partes resoluamus, ignoro, nisi forte in vnitatem & multitudinem Plotinus Proculusque resoluant. At verò vnitatem ipsam vlterius nõ resoluẽt. Nemo vnitatem resoluet in numeros, nemo punctũ in magnitudines, nemo formam rei vltimam in aliam formam, aut primam materiam in materiam, nullus denique simpli

ces illos mentis noſtræ conceptus, qui de ſcientiarum principiis ſemper intra nos lucent, in conceptus aut notiores referet aut priores. Vbi reſolutio ceſſat: ceſſat diuiſio. Vbi diuiſio deſinit: perfecta ſimplicitas poſſidetur. Quamobrem concludendum eſt, primos conceptus mentis ſimplices eſſe: & illa quæ inde noſcuntur, partim talia eſſe, vt quanuis diuidi videantur, ea tamen ratione noſcantur, qua minimè diuiduntur, ideoque notionem eorum eſſe indiuiſibilē. Partim eſſe talia, vt penitus ſimplicia ſint: & propterea ſimplicem eſſe eorum perceptionem, ſi modò intelligentia rebus intellectis æquatur. Si conceptus, notio, perceptio, ſimplices ſunt, formæ quoque intelligibiles vnde naſcuntur iſta, ſunt ſimplices. Si ita eſt, mens quoque eſt ſimplex: quę ſimplicium eſt ſubiectum. Et quoniam quo quid ſimplicius eſt, eo eſt magis indiſſolubile: menſque ſummum ſimplicitatis attingit gradum, vt diximus, in cognoſcendo: ſummum quoque gradum naturæ indiſſolubilis aſſequitur in viuendo. Intelligentia enim eſt vitæ reflexio in ſeipſam. Ideo ſi per intelligentiam quæ vitam ſequitur, ſimplicitatem ſummam attingit: quæ naturam antecedit indiſſolubilem: multo per vitā intelligentia priorem aſſequitur indiſſolubilem gradū ſimplicitate ipſa poſteriorem.

Quinta ratio. Si mens eſt corpus, tangendo intelligit, & currendo. Cap. 5.

SI mens eſt corpus, aut forma diffuſa per corporis magnitudinē duo quędam in ſe habet, vt aliàs iudicauimus: pūctum videlicet, & latitudinem: atque eiſdem conditionibus mancipatur, quibus & corpus. Ideo non aliter res intelligendas comprehēdet, quàm tangendo illas, ſeque per illas amplificando, & inſtar corporis tranſcurrendo. Aut igitur tangere dicetur puncto ſolum: vt intelligat, aut ſola latitudine, aut vtriſque. Si ſolo vtitur puncto, & ad cognoſcendū indiget tactu: rerum magnitudines non cognoſcet: quippe per punctum puncta attingit, non magnitudines. Atqui etiā ſi attingeret, nunquam tamen totus aut totas eas agnoſceret. Nam puncta in eo ſunt infinita. Infinita quoque in magnitudine. Illorum omnium cumulus eſt intellectus: horum

quodammodo cumulus est magnitudo. Infinita pertransire non licet. Ergo neque mens ipsa tota intelliget vnquam, neque totam intelliget magnitudinem. Igitur non solo vtitur puncto. Num sola vtitur latitudine ad tangendum? nequaquam. Sola nāque illa cognosceret, quæ latitudine ipsa tanguntur. Hęc verò ea sunt tantum, quæ & ipsa latitudine distenduntur. Nunc autem præter hæc alia multa cognoscimus. Confugient ad hoc nonnulli, vt mentem confiteantur ambobus vti ad cognoscendum, puncto quidem ad simplicia, ad alia latitudine. Verisimile istud apparet, non tamen est verum. Primò quidem per punctum simplicia illa attinget solum quæ corpori applicantur vt punctum: formas verò solutas aut numeros non attinget. Deinde per latitudinem suam percurret totam cognoscendi corporis magnitudinem, vt intelligat totum. Non potest autem latitudo aliqua totum aliquod transcurrere spacium magnitudinis, ni si qualibet sui parte in longum quamlibet spatij illius percurrat partem. Ergo mens singulas ipsius partes cuique parti corporis cognoscendi discurrendo per ordinem admouebit, admouendo cognoscet. Admouebit autem partes quodammodo infinitas. Tot enim partes mens habebit, si latitudo corporalis extiterit. Itaque breui tempore quasi innumerabiliter quamlibet illius corporis portionem intelliget:
B & ipsum corpus secundum particulas penè infinitas innumerabiliter cognitas, infinitis (vt ita loquar) vicibus innumere apprehendet. Sed hanc argumentationem nobili quadam Plotini nostri sententia breuiter concludamus. Quæcunque intelliguntur: aut sua natura simplicia sunt: aut saltem dum per resolutionem simplicia fiunt, intelliguntur. Quia verò indiuidua solis indiuiduis capiuntur, vis illa in nobis quæ capit talia, est indiuidua. Si ergo mens esse dicitur corporalis, non tamen latitudine sua capiet illa: sed aliquo potius impartibili. Si solo hoc capit: solo intelligit. Solum igitur hoc eius impartibile reuera mens erit. Quid reliquis opus est partibus vt sit intellectus, quando non opus est aliis ad intelligendum, postquam vnum illud impartibile sufficit? Vnum igitur hoc mens est. Hoc retine. Segrega cætera: mentem simplicem es adeptus. Cuius simplicitas etiam hinc apparet, quod accipit sine longitudine punctum,

sine latitudine lineam, superficiem sine profunditate, numeros absque situ, pulchritudinem sine turpitudinis mixtione. Sic enim seorsum ista discernit considerando: neq; considerat aliter quàm accipiat. Forma verò corporalis non omnino sic accipit ista seorsum. Si animum esse simplicem indiuiduumque illud liquido ostendit, quod simplicia & indiuidua cõprehendit: multo liquidius hoc declarat, quòd quæcunque secundum se simplicia vel indiuidua forent: & tamen quia cum aliis iunguntur, composita diuiduaque euadunt: animus segregat ab oppositis, redditq; simplicia prorsus & indiuidua. Non posset autem illis restituere simplicẽ indiuiduamque naturam, nisi ipse esset simplex & indiuiduus. Denique si infectis restituit puritatem, ipse est extra & super infectionem.

Sexta ratio. Intellectus accipit secundum se totum quicquid capit: quod non faciet, si fuerit corporalis.

Cap. 6.

NVllum corpus aliquid in se continet, nisi per eã quantitatis adæquationem, per quam se toto totam rem comprehẽdat, partem verò partem, atque maiore sui partem maiorem rei contentæ partem, minore minorem. Intellectus non hoc pacto res ipsas capit. Nam se toto capit quicquid accipit. Eodem quippe modo capit, quo intelligit. Intelligit autem se toto quicquid intelligit. Nempe siquis dixerit intellectum duas partes corporales habere, quarum vna quidem capiat rem & intelligat, alia minime: redarguemus eum, asseuerantes intellectum re vera esse partem illam quę rem capit atque intelligit. (siquidem ab intelligẽdo dicitur intellectus) illam vero quę non intelligit, intellectum non esse. Quapropter natura illa quæ revera intellectus est, se tota rem quamlibet intelligendam capit atque cognoscit. Quando ergo intelligit hominis corpus, intelligit & corporis illius membra: se toto cognoscit totum corpus humanum: se toto cognoscit quodlibet eius membrũ. Nam qui membrum quodlibet ad quodlibet comparat, & membra quælibet ad totum refert, necesse est vt idem tam singula membra cognoscat, quàm corpus totum. Neque C

duas ponere debes partes in intellectu: quarum vna vnum cognoscat membrum, altera alterum. Per neutram enim illarum posset illa comparatio fieri. Si vt cognoscit, ita & capit: se certe toto capit tam totum corpus, quàm mẽbra corporis singula. Nullum verò corpus, nullaque forma corporea hoc pacto potest aliquid capere: neque potest corpus vnum omnibus pariter ęquari corporibus. Quomodo enim corpus canis corpori formicæ: equi, elephantis, solis æquabitur? Mens autem corporibus omnibus tam maximis quàm minimis pariter adæquatur: cum omnia intelligendo similiter comprehendat. Neque iis solum, verùm etiam quodãmodo summæ se æquant æqualitati, dum res omnes minus magisve æquales per accessum ad æqualitatem summã rectè metitur. Vbi mens inter res quaslibet æqualitas ipsius participes & ipsam æqualitatem se inserit mediam. Quòd si summæ æqualitati proxime adęquatur, nulla inæqualium qualitatum iniquitate pulsatur.

Septimæ ratio. Intellectus accipiendo rerum formas, non amittit suã: corpora contra. Cap. 7.

A

SOlent corpora quando corporum aliorum formas accipiunt, suas amittere. Quomodo enim aqua igneam caliditatem induet, nisi frigiditatem suam exuerit? Quòd si quando aliena accepta, remanet etiam propria, fit imperfectior: vt quando remanet dulcedo in vino, etiam aqua illi infusa fit dulcis: sapor inde debilior. Mens autem rerum omnium accipit formas, dum omnes agnoscit, & cognitas in seipsa volutat: neque illas accipiendo, formam propriam amittit aut debilitat: quippe cum ex operatione semper cuiusque formæ habitus designetur: atque operatio intellectus intelligentia sit: sequitur vt forma intellectus sit ipsa (vt ita dixerim) intellectualitas naturalis: quæ tunc perfecta maxime iudicatur, quãdo operatio eius intelligentia perfectissima est. Hæc autem tanto est perfectior, quanto plures rerum formas attingit. Sublimior enim fit, velocior & lucidior. Quamobrem intellectus corporum omnium formas accipiendo, non modò non amittit aut non remittit suam, sed (quod est contra naturam corporis) summopere persi-

B

cit. Penetrat eorum ſubſtantias: & cuncta in ſingulis conſpicit, dum in ſimplicibus per compoſitionem videt mixta, in mixtis per reſolutionem ſimplicia intuetur. Ergo mens ita eſſe videtur in omnibus, vt in ſingulis ipſa ſit cuncta. Rurſus eſt extra & ſupra omnia corporalia. Alioqui non poſſet hęc ab incorporeis ſecernere, & illa ab iis diſcernere. Si eſt in omnibus corporalibus: omnia, atque etiam extra omnia omnibus imperat per naturam. Quapropter nullius corporis violentia è ſuo ſtatu deiicitur.

Octaua ratio. Forma eſt in mente vniuerſalis. Talis in corpore eſſe non poteſt. Cap. 8.

CORpus, & forma per corpus extenſa, adeò (vt ita loquar) materialia ſunt, ac particulari ſitui temporiq; C
aſtricta, vt vniuerſalem vim nullam habeant. Quo enim quid corporali materiæ propinquat magis, eo anguſtius eſt: quo diſcedit longius, eo fit amplius. Quamobrem intellectus eſſet corpus: vel forma diffuſa per ipſum: formæ omnes ab eo ſuſceptæ, etiam ſi in ſeipſis eſſent vniuerſales, in eo ſaltem particulares omnino materialeſq; euaderẽt. Nam formæ in ſubiecto quod eſt aſtrictum materiæ paſſio nibus, nullam vim retinent ad vniuerſale quicquam repræſentandum. Ita intellectus quicquid cogitaret: per formam materialẽ, ſingularibuſq; conditionibus aſtrictam excogi- D
taret. Cum vera operatio rei cuiuſque formam rei operantis ſequatur intellectus per talem formã operans id eſt excogitans, ſingulariter ſolum operaretur. Qualis autem operatio eſt, tale ſemper eſt opus. Ideo intellectus ſingulariter cogitans ſola ſingularia cogitaret: neque commune quicquam & vniuerſale cognoſceret. Vnum quidem hominẽ, puta Socratem vel Platonem in ſe reuoluueret: humanã verò naturã illis æquè cõmunẽ minimé. Neque regulam in moribus & artibus ad plura vniuerſalẽ ſtatueret: neq; legẽ conderet vnquam multos hominũ actus reſpicientem. Si mens etiam ſine electione & vſu quotidie in ſeipſa formas parit vniuerſales, fit vt ipſa fons earum naturalis ſit, & receptaculũ naturale. Formæ huiuſmodi propriæ alicui materiæ minime aſtringuntur: neque mẽs igitur materiæ alligatur: ne-

que corrumpetur vnquam. Corruptio enim ex materiæ infidiis prouenit.

E

Nona ratio. Mentes se inuicem complectuntur, corpora nequaquam. Cap. 9.

F Duo corporea se inuicem mutuis amplexibus continere non possunt. Quod enim per quantitatē aliud continet, maius est illo quod continetur. Non potest autē vnum corpus alio quodam vno corpore amplius esse simul atque angustius. Sic Saturni sphæra Iouis sphęram ambit & continet: non econuerso. Alia vero mens aliam continet, & ab eadē pariter continetur. Mens quidē mea tuā considerat: tua meā. Itaque nostrę mentes se inuicē considerando, vicissim se capiunt: capiendo intelligunt: cōplectuntur intelligēdo. Et (quod maius est) vna mens amplectitur omnes, quando mentium omnium naturā considerat. Quare si quæque mens mentē quamlibet intuetur: quod potest quidē, si animaduertat: quauis mente mens quęlibet clauditur. Nō potest autē quodlibet corpus quolibet corpore claudi. Si quælibet rerum species est immortalis, consequens est vt singularis substantiā quæ speciei suæ seipsam ęquat, sit immortalis. Mens autem quęlibet quaslibet (si cōtingat) introspicit: & in singulis cunctarum conspicit speciē: vbi suæ speciei per actum reflexum, qui cognitio est, se æquat. Ergo & per actū rectū, qui est vita, prius se ęquauit eidē. Si ita est: sequitur vt vel quælibet mens semper fuerit, futúra ve sit, sicut ipsa mētium species: vel saltem futura sit semper vt illa.

Decima ratio. Mens per omnia corpora operatur, & supra corpora. Cap. 10.

G Quoniam forma, operandi principium est, res quæque secundum genus suum agit: ex quo omnia prolē sibi similem, modo possint, in specie generant: vltra verò genus suum nihil agit. Sed neque etiam hæc inferiora vltra speciem operantur (nunquam enim canis generat ouem) & multo minus aliquid supra suā speciem operantur. Nā quo pacto canis hominem procreabit? Quo fit: vt corpus agen-

di vim ſuam nec vltra proprium genus,& multominus ſupra naturam ſuam poſſit extendere. Nunquam igitur attinget,aſſequetur,producet,aut quodlibet corpus aut incorporalia Intellectus ſi corpus eſſet,certum quoddã corpus eſſet in ſpecie aliqua corporum. Ex hoc duo ſequerentur abſurda. Primum, quod multorum corporum formas neque ſu H
ſciperet,neque conciperet. Corporum quidem ipſius ſimiliũ formas non caperet: quoniam iam haberet. Quomodo enim ignis formam alterius ignis accipiat? Diſſimilium verò corporum formas nequaquam conciperet aut pareret. Quælibet enim natura ſibi ſimile parit. Ad hoc autẽ quod intelligat,oportet vt rei intelligendæ formam accipiat primum, deinde ex illa definitionem rei rationémve cõcipiat. Tunc demum perficitur intellectio. Per pauca igitur corpora intellectus cognoſcet, ſi corpus fuerit: cum nullius corporis ſimilis accipiat formam, nullius diſſimilis corporis formam concipiat,& intelligere nequeat,niſi & accipiat pariter & concipiat. Quòd ſi quomodo fieri poſſit vt corporalem aliquam formam accipiat vel concipiat: profectò non aliter quàm ſecundum naturam propriam hoc efficiet. Si accipiet aliunde formam:in naturam trahet ſuam. Si concipiet ex ſeipſo ſecundum naturam ſuam parturiet. Ergo per formam quamlibet ab ipſo ſuſceptam vel etiam conceptam,ſemper certam quandam ſpeciem corporis ſibi conuenientem & congruam apprehendet: neque corporalium generum diuerſitatem conſiderabit. Nunc autem videmus mentem non modò quæcunque corpora ſunt animaduertere, ſed alia infinite plura & varia prout libet effingere.

Secundũ verò ſequeretur abſurdũ ſi intellectus eſſet corpus,quod videlicet ordinem corporũ non tranſcenderet, cũ I
corpora ferme nunquã vltra ſuã ſpeciẽ, certe nunquã ſupra ſuũ genus aliquid operẽtur. Mens igitur nunquã cognoſcet incorporalia. Vtrum horũ prẽſtantius arbitraris? Subſtantiã ne? an actionẽ? Subſtantiã certè: quæ ipſi' actionis eſt cauſa. Cauendũ itaque ne operationẽ aliquando ſubſtantia ſublimiorem confiteamur. Eſſet autẽ mentis operatio ſublimior quàm ſubſtantia, ſi ſubſtantia quidẽ eius certũ corpus eſſet ſolummodo, intelligentia verò eius & corpora quæque &

incorporea comprehenderet. Quapropter non est corpus: quandoquidem vltra corpora quælibet apprehendit etiam incorporea. Atqui neque etiam est forma aliqua mixta corpori: nam forma mixta sicut per corporis diuisionem fit diuidua, sic fit qualis per corporis qualitatem. Ideoque certam quandam mens sibi contraheret qualitatem à corpore per quam ipsa ad certam speciem corporalium rerum determinata, certam speciem corporalium cognosceret solum: sicut visus per oculum ad colores contrahitur. Et formas simillimas non caperet, vt diximus: neque etiam dissimillimas. Atque hæc Aristotelis sententia est Platonicis cõprobata. Sed addunt Platonici, quod mens si mixta esset, neque caperet incorporea: quia quod mixtum est, sincera non comprehendit: neque affectaret attingere aliquid à corpore separatum, alioquin affectaret à corpore separari atque dissolui. Neque aliter cognosceret quàm moueatur: sicut materialis potentia solet. Nũc autẽ nõ vt mouetur, sed vt ipsa sibimet efficit species: sic abstrahit, discurrit, seque in se quasi absque fine reflectit. Neque obstrepat hic nostris auribus Epicureus aliquis negans intellectum incorporalia capere. Sanè & cupit illa semper, & capit sola summa cum voluptate tanquã ipsi simillima. Neque solum illa cupit & capit: sed etiã procreat. Quid enim nos aliud modò in his disputationibus nitimur, nisi rem aliquam mentis nostre (vt ita loquar) manibus fingere à corpore alienissimam? Quam finximus iam & fingimus, atque iis ipsis mentis manibus attrectamus: & antequam effingeremus, prospeximus affingẽdam. Nempe cũ primum statuimus animam monstrare incorporalem esse: videbamus iam aliquem alicubi incorporalis naturæ gradum ad quem perducere animam volebamus. Quid quotidie facimus disputando? quotiens esse rẽ aliquam asseueramus: quæ existat quidem, nullam verò habeat longitudinẽ, latitudinem, profunditatem, vel qualitatem aliquam, vel figuram, tunc certè spiritum quendam mente creamus supra corpus, & corporis passiones. Ibi profectò nostra mens est, vbi parit: parit inquam prolem sibi persimilem, nullo modo
A substantia sua sublimiorem. Igitur mens nostra corpora & conditiones corporum supereminet. Quamobrẽ neque loco clauditur, neque temporum limitibus circunscribitur. V-

bique

bique igitur esse potest, & semper. Idcirco nihil prohibet illam fore perpetuam.

Vndecima ratio. Mens statu proficit, corpus motu.
Cap. 10.

B

NVnquam corpus formam nouam accipit, nisi per motum. Nam per alterationem (vt aiunt physici) forma inducitur in materiam. Mens autem neque per motum accipit formas, neque accipiendo mouetur. Quæ quanto magis ab omni perturbationum & negociorum motu quietem agit, tantomagis proficit speculando. Vbi etiã apparet eius æternitas: quia suapte natura solam speculationem veritatis affectat, atque ideo statum: sine quo non perficitur speculatio. Proficit autẽ corpus motu: quod per motum natum est. Quod ergo stando proficit, ex statu dependet: ideoque stabilem habet substantiam, atque perpetuam.

Duodecima ratio. Quæ in materia sunt contraria, non sunt in mente contraria. *Cap.* 12.

C

FOrmæ contrariorum elementorum dum sunt in materia, contrariæ inter se sunt: quia pellunt se inuicem, & interimunt. In mente non sunt contrariæ: quia ibi non modò non pellunt se inuicem, sed & iuuant. Simul quidem nostra mens habet contrariorum elementorũ formas, quãdo simul elementa considerat. Simul quoque comprehendit bona & mala: vtilia & inutilia: pulchra atque deformia: lucem & tenebras: vocem atque silentium: dulce & amarũ: & reliqua: atque ex cognitione alterius contrarij sincerius iudicat alterum. Non igitur est corporea: neque etiam propriè corruptibilis. Quippe quod corrumpitur: vt plurimum D
corrumpitur à contrario. Quid autẽ esse potest menti contrarium, quæ tantam habet super contraria potestatem, vt ab ipsis auferat contrarietatem, & sua pace conciliet inimica? Neque rursus corruptibilis est, quod à suis conseruatoribus disiungatur. Nam si aliena & contraria alienis contrariisque conciliat: multo magis se suis tum causis tum seruatoribus admouet.

Decimatertia ratio: Mens accipiendo formas non mutatur. Cap. 13.

E

CORporis cuiusque forma quando verè ab alio corpore capitur, tale reddit omnino illud quod suscipit ipsam, quale est corpus illud à quo forma tribuitur: veluti quando flamma ignis à ligno suscipitur, lignum facit calidum atque igneum. Flamma verò illa in speculo longe distante resplendens, speculum non reddit calidū aut igneū, quia non verè ab illo suscipitur: cum propter distantiam ad veram ignis flammam non sit paratum. Immo verò nullo modo flammula illa, id est imago illa flammæ, cum spiritalis sit, in speculi corpore figitur: sed in spiritali solis lumine, quod ambit speculi superficiem. Fiunt autem huiusmodi rerum imagines non à corporibus his quorum imagines sunt (corpus enim non procreat aliquid incorporeum) sed à lumine spiritali corporibus circunfuso. Lumē quoque ipsum à solis globo non nascitur, sed à solis anima: cuius lux cum
F intra se sit inuisibilis, effusa longius fit inuisibilis: in qua ipsa quoque anima fit conspicua. Nam vt placet Orphicis: & Heraclito, lumē nihil aliud est nisi visibilis anima, vnde per hoc omnia reuiuiscūt: anima verò lux inuisibilis. Sed ne longius digrediamur, formæ vel imagines corporum non sunt in speculis. Mens autem corporum accipit omniū formas, quando de corporibus iudicat. Num accipit vere? Verè profecto. Nempe vt accipit, ita iudicat. Vere iudicat. Vere igitur accipit. Accipit à seipsa (vt Platonici opinantur) quando corporum simulacris excitata, formas quę in mentis abditis latent, promit in lucem. Accedit, quod vbi perfectior forma est, ibi est & verior: Quanto verò perfectior sit forma corporum in mente quàm in ipsis corporibus, & aliàs declarauimus, declarabimusque. Et hinc patet quod humana natura in Platone vel Socrate solius Platonis est & solius Socratis propria. Humana autem natura illa: quæ mente concipitur, quando sub vna hominis definitione hominū conditiones considerat, ad singulos homines habet vim: siquidem omnes complectitur. Præterea si veritas rei cuiusque in pura integritate consistit, vel integra puritate, atque forma in materia vim suam integram non retinet propter pas-

sionis admixtionem,& extraneis accidentibus circunfunditur:verior res quæque inuenitur in mente, vbi rei ipsius idea naturaliter insita notionem rei parit:necessaria quidem includentem omnia, superuacua verò penitus excludẽtem. Mens igitur vsque adeo vere corporum capit formas,vt verius etiam eas habeat quàm materia corporum.Igitur si ipsa sit aliquid corporale,talis reddetur omnino, qualia corpora.Fiet ergo aqua cum aquam intelliget: cum ignem intelliget,ignis.Et quia simul intelligit calorem atque frigus: fiet contraria simul. Nunc autem formas accipit omnium, neque è suo statu deiicitur:immo perficitur capiendo. Hinc apparet intellectum non esse corporeum.Apparet etiam nõ esse mortalem.Ille siquidem eo modo quo est,accipit quicquid accipit.Esse suum intellectuale est duntaxat.Non ergo accipit quicquam aliter quam intelligendo.Per huiusmodi susceptionem non modo non deficit,sed & proficit. Nihil ergo suscipit aliunde,quod ipsum mutet & perdat: & quod maius est,tantum in omnibus formis suscipiendis lucratur, vt lucrari etiam videatur in malis. Si tanto perfectior euadit:quanto cognoscit plura:certe perfectior est si rerum priuationes,defectus & mala discernit,quàm si ignoret. Quæ G ergo in seipsis mala sunt & noxia, in mente fiunt bona atque salubria: Tantum abest vt ea natura à malis noxiisque rebus interimatur, quæ ita mala conuertit in bona, vt ipsi bona sint omnia.

Decimaquarta ratio.Operatio corporis tendit ad rem compositam, mentis ad simplicia. Cap. 14.

OPeratio cuiusque rei esse ipsum rei semper sequitur: ita vt illius sit operatio,cuius & esse: & modus ope- H randi idem sit,qui & essendi:& opus ad quod terminatur operatio,sit simile operãti.In rebus ex materia &forma corporali compositis, esse non est materiæ propriũ aut formæ, sed totius compositi ex vtrorumque coniunctione confecti. Igitur & cõpositi ipsius propriè operatio est:quare & modo composito operatur, & opus producit compositum.hoc in elementis,plantis,animalibus intuemur: quæ quidem opera composita sicut ipsa sunt,generat. Si intelle-

ctus corpus aliquod esset ex materia & forma compositũ: cũ eius operatio intelligentia sit, hæc ipsa intelligentia semper ad aliquid compositum terminaretur: vnde nunquam aliud præter res compositas intelligeret. Nunc verò nostra mens vsque adeò naturalem excellit compositionẽ, vt corpora composita in materiam resoluat & formam: & cogitet vtrunque seorsum. Vtrunque verò per se est simplex. Atque in hoc maxime excellentia eius aspicitur, quòd illa quæ in materia quodammodo falsa sunt, tanquam vera comprehendit, sicut figurans, & principia figurarum. Quę in materia sunt impura: discernit vt pura. Qualitates enim quę sunt in materia mixtæ inuicem, & infectæ contrariis: ipsa secundum proprias diiudicat rationes. Quæ in se multa sunt, conspicit tanquam vnum, ceu subvna specie homines infinitos. Quæ in se mobilia sunt, tanquam stabilia speculatur, quando temporis partes quæ in se ipsis fluunt, simul colligit, & præsenti annectit præteritum & futurum. Quæ in se distantia sunt, tanquam vnita sæpissime contuetur: quando totũ orbem videt in pũcto. Neque temporum interualla, neque locorum spacia mentis intuitum cohibent. Quæ (vt ita loquar) mortua tanquam viuentia. Siquidem lapides qui vita carent, mens viuos intra se possidet: quando ad primam à qua facti sunt, comparat vitam. Quæ corruptibilia tanquã perpetua: quando singula corpora quæ loco subiiciuntur & tempori, mens intuitu suo à locis & temporibus eximit. Ex omnibus his colligitur intellectũ neque esse corporeũ aliquid, cum longè aliter quàm corpora operetur: neque esse impurum, infectum, dispersum, mutabilem, corruptibilem: quippe cum illa etiam quæ talia sunt, sua quadam vi ab huiusmodi liberet passionibus.

Decimaquinta ratio. Actio mentis finitur in actione: actio corporis in corpore. Cap. 15.

A NVllius corporis actio in ipsam actionem propriè desinit, sed in exteriorem transit materiam. Nam si in actionem desineret, actio illa in operante restaret, vbi in seipsum operaretur: puta ignis seipsũ calefaceret. Quod non potest à corpore fieri: quia si corpus non agit ex se, eti-

am non agit in se. Rursus si quicquid corpus agit, mouendo agit: certe cū mouere se nequeant, in seipsum agere nequit. Videmus autem mentis operationem, ipsam scilicet intelligentiam, in seipsam desinere: neque quicquam per se extrin secus facere: nisi forte quandoque moueat voluntatem, quæ motis brachiis opus aliquod extra producat, quale fuerat cogitatum. Sensum autem dicimus quodammodo extra se fluere: Quia aliunde mouetur: prospicit aliena: externi finis gratia operatur: neque sui ipsius est conscius. Mens contra mouetur libere se, suaque inspicit, sui gratia operatur. Ideo essentia apud Platonē status dicitur: quia si sine vita sit, torpet: vita, motus: quia iam exit in actum: mens, reflexio: quia sine hac vita in externum opus efflueret. Sed mens sistit vitalem essentiæ motum in semetipso: reflectit ipsum in essentiam quadam sui ipsius animaduersione. Trahit quoque cętera omnia ad seipsam: prout res potius vt ipsa mēs est, quā vt res extra existunt, considerat. Vocatur etiam reflexio infinita: quia in operationem suam non modo semel mens hominis terminatur, verum etiam innumerabiliter: cum se aliquid intelligere animaduertit: & quod animaduertat agnoscit: & cū aliquid velle se vult: & vult quod velit se velle: atque eadem ratione deinceps: vbi vel operatio alia in infinitum terminatur ad aliam, vel eadem in se replicatur innumere. Hinc patet intellectum non solum esse incorporeum sed etiam immortalem. Siquidem per seipsum operatione sua se format semper & perficit, semper intelligendo atque volendo. Hoc autem nihil est aliud quàm seipsum vel facere, vel seruare, vel renouare continue: quod quidem quotidianæ renouationis nomine Paulus apostolus appellauit. Quo fit vt nūquam à suo perfectore vel seruatore desciscat & absit, cum nequeat abesse vnquam à semetipso: atque ideo formetur semper atque perficiatur. Quinetiam si naturalis generationis finis immortalitas quædā est: multo magis intellectualis generationis finis est immortalitas. Sed quia natura prolem extra se gignit: immortalitas eius expletur in successione nascentium. Quia verò mens generat in se ipsa tum se, tum alia: quantum & sui & aliorum omnium concipit rationes, quando aut se intelligit, aut alia: sequitur vt immortalitatis huius virtus in mente ipsa genitri-

cem seruetur. Hic etiam latet argumentatio quædam huiusmodi. Præstantius est bene esse, quam simpliciter esse. Quis-
D quis igitur bene esse sibi p̃bet, multo magis potest sibi esse se præbere. Intellectus sibi dare bene videtur, quãdo format perficitque seipsum tum speculatione, tum moribus. Quapropter esse quoque sibi potest secundum formam ita præ-
E stare, vt nunquam desinat esse. Mitto quod Proculus ait, animam, cum sit generationis principium, ita seipsam gignere atque viuificare, vt essentiam habeat à seipsa. Atque summatim de omni indiuisibili substantia in sua essentia existente, affirmat tum producere tum continere seipsam. De omni autem substantia diuisibili, etiam de ipso cælo, dicit necessariò aliunde produci atque contineri. Sed hoc ipse viderit. Latet præterea alia quædam talis argumentatio. Quando intellectus operationem suam primò, atque inde vim suam & substantiam comprehendit & amat: tunc proculdubio in seipsum agit. Igitur & per seipsum. Nihil enim inter intellectum, atque ipsummet medium interponitur. Adde quòd quemadmodum corpus quia ex se non agit, ideo non operatur in se: sic intellectus quia in se operatur: idcirco ex se operari censetur. Si ex se in se agit, igitur & per seipsum. Si enim vtrique in eo actionis termini sunt: igitur & medium. Quid ergo prohibet intellectum à corpore separatum operari & viuere? præsertim cũ operatio ipsius quæ ex se in seipsum p̃ se expletur, necessario fiat: & resideat in seipso? Sed hoc ita planius explicabitur. Si mentis operatio proprie in ipsam mentem finitur, mens ipsa quodammodo suę operationis est finis. Idem verò est rei cuiusque finis, ac principiũ:
F cum omnia originem suam appetant, & tanquam sui motus finem sibi illam proponant. Igitur substantia mentis est operationis suæ principiũ: per se igitur operatur: quod Plato noster appellat per se moueri. Vt operatur, ita viuit. Vita enim est interior operatio. Viuit itaque per seipsam. Vt viuit: ita etiam est. Nam vita est primus existentiæ actus. Est ergo similiter per seipsam. Quid impedit eam esse semper: quandoquidem sui ipsius est causa? Causa inquam non efficiens, sed formalis: cuius virtute esse tribuitur & seruatur. Qualitas & vita, cuius operatio omnis in alia effluit: necessariò secundum naturam suam quatuor ex partibus deficit.

Primò, quia effluendo vacillat, alieno indiget sustentaculo. Secundo diffluendo debilitatur. Tertio dum influit aliis, ab extraneis inquinatur. Quarto propter indigentiam, debilitatem, inquinationemque à natura sua quandoque defluere cogitur. Si ita est: sequitur vt rationalis vita quę relabitur in seipsam, seipsam sustineat, non debilitetur, non inquinetur, non defluat. Meritò sicut vita quæ omnino profluere cogitur extrà seipsam, dum discedit à vita, tendit consumiturque in mortem: sic vita quæ redundat in semetipsam, adolescit & consummatur in vitā. Denique si vberior motus, vitæ vberioris indicium est: vita rationalis quæ vniuersum motionum genus exercet, implet & terminat: vniuersum quoque genus implet viuendi: ideoque ipsi neque priuatio vitę miscetur, neque conditio vlla obnoxia morti. Exercere autem ipsam omnes species motionum in corpore, implere motionum omnium exemplaria in seipsa, terminare motū omnem in seipsam, suumque principium per mentis ipsius reflexiones, aliàs declarauimus.

Decima sexta ratio. Forma corporalis non habet vim infinitam: mens habet. Cap. 16.

COnstat apud physicos, formam corporalē, præsertim G elementalē, esse vsque adeo terminatam, vt nullo modo vim aliquam infinitam indefessamque possit habere: Mens autem absque termino peruagatur, neque fatigatur vnquam. Principio in seipsa quasi est fine termino: Intelligit enim seipsam. Ideo intellectio eius profecta ab ipsa mentis substantia, in eandem reuoluitur. Reuolutio infinitus est motus. Ad nullū enim terminū, pficiscitur extrinsecus acquirēdum, quo pacto quiescat: sed propriam ambit substantiā, sui ipsius auida. Sui vero ipsius auiditas nunquā extinguitur. Substātia igitur q̄ suimet cupiditate cœpit semel sibi vndiq; fieri obuia, & circūeundo seipsam vndiq; cō tueri: eadem cupiditate perpetuo instigāte: semetipsam perpetuo similiter pro arbitrio amplectetur. Motus igitur intellectus: quoniā orbicularis est, in seipsum circunuolutus, quatenus intellectualis est, est vtiq; sempiternus. Caret etiā fine, vt diximꝰ: ob eā causā, qꝰ infinitè intelligētia replicatur.

Potest enim qui aut se aut aliud quoduis intelligit: sicut rẽ ipsam intelligit, sic suam intelligentiam intelligere, itẽque aliam & aliam sine fine: dum & rem cognoscit: & quod cognoscat illã, animaduertit. Rursus, quod sic animaduertat, ipsum non latet: & similiter absque termino. Talem intelligentiæ cursum comitatur rationalis appetitio illa quã nuncupant voluntatem. Hæc sanè seipsam vult, aut quoduis aliud: & vult se velle: & rursus vult quod velit: similiterque deinceps. Quinetiam corpora diuidit in partes plurimas, partiumque particulas. Numeros auget supra numeros absque fine. Figurarum modos, mutuasque illarum proportiones, atque etiam numerorũ comparationes innumerabiles inuenit: lineam supra cælum vltra terminũ vndique protendit. Tempus in præteritum absque principio, in futurũ absque fine producit. Neque solum vltra omne tempus aliud antiquius cogitat & prolixius, verum etiam vltra omnem locũ alium semper cogitat ampliorem. Innumeros quoque effin
A git gradus in singulis qualitatibus. Accedit, quod non vno quodam rerum genere mens, sicuti sensus, contenta est. Nõ solis coloribus, vt visus: non solis vocibus, vt auditus: sed currit per omnia: per omnia inquam, non modò quæ sunt, sed quæ fuerunt, erúntve. Neque id solum, sed per illa etiã quæ neque sunt, neque fuerunt vnquam aut erunt. Multa enim excogitat quę forte esse possent, non tamen fient vnquam: & multa quę esse forsitan nunquam possent, ipsa fingit. Quanquam non minus in rerum natura esse videntur quæ mens per se pingit in seipsa, quàm per linguam in aëre, vel per manum pingit in pariete. Nouas quoque semper rerum facies vi propria & quodam ordine fabricat, & rursus innouat alias. Nonne etiam postquã gradatim per mundi sphæras ascendit, gradatim quoque angelos ita considerat, vt alium videat semper alio altiorem: neque tam sublimem reperit vnquam, quin possit alium vno saltem gradu, & alium rursus alio gradu inuenire maiorem? atque id tandiu facit, quandiu finitum esse angelum quẽque pronunciat, ex quo quolibet finito spiritu, inuenit alium altiorem. Atque ita sine termino progrederetur: nisi ipsamet sibi modum imponeret, concluderetque esse spiritum aliquem infinitum, qui
mnem angelũ, & qui esse, & qui cogitari potest, innumeris

gradibus superet. Quis infinitè progreditur? Quis infinitũ progressum quodammodo terminat? Quis terminum illum progrediendi infinitum assequitur? Mens certè hæc facit. Mentis igitur quodammodo infinita virtus est. Quæ in eo quoque apparet, quod non modo reperit infinitum actum, qui deus est: verum etiam potentiam infinitam, quę est materia subdita deo: atque ad innumerabiles formas inde capiendas idonea. hinc etiam infinitam inuenimus generationis vicissitudinem: quę potest per infinitum tempus B
ab actu infinito fundi in potentiam infinitam. Apparet rursus ex eo, quod vniuersales rerum rationes capit. Sub quolibet autem vniuersali seu specie siue genere innumerabilia continentur. Innumerabiles sub humana specie homines successione perpetua, itemque sub aliis infinita indiuidua colligit in vnam speciem, species multas in genus vnum, multa genera in vnam essentiam, essentiam vnam in diuinã vnitatem, veritatem, & bonitatem. Vicissim ab hac vna gradatim descendit in multitudinem infinitam. Mira profecto virtus: quæ infinita reddit vnum: vnum reddit infinita. Huic formæ non prius in natura gradus est vllus: quatenus sursum deorsum ve penetrat omnes. Nõ situs est prius: quatenus nusquam sistitur. Non certa (vt ita dicam) & terminata potestas: quatenus ad omnia æqualiter operatur. Illud quoque mihi videtur vim mentis (vt ita loquar) interminatam præ cæteris demonstrare, quod ipsam infinitatem esse inuenit: quídve sit & qualis, definit. Cum verò cognitio per quandam mentis cum rebus æquationem perficiatur, mens cognitæ infinitati æquatur quodammodo. Infinitum verò oportet esse, quod æquatur infinitati. Ac si tempus quod successione quadam metitur motum, infinitum esse oportet: si modo motus fuerit infinitus: quanto magis infinitam esse oportet mentem, quæ non modo motum tẽpusque stabili notione, sed infinitatem ipsam quoque metitur? Cum necesse sit mensuram ad id quod ipsa metitur, habere propor- C
tionem, finito verò ad infinitum sit nulla proportio. Idem quoque euidenter ex eo monstratur, quòd à non esse considerando transit in esse, atque econuerso. Esse autem & non esse, immenso inter se discrepant interuallo. Immensa verò oportet esse virtutem, quæ spacium percurrit immensum.

Currere autem illud quis neget? quando creationem quę ex non esse fit ad esse, & interitum qui fit contrà, certissimis tionibus comprehendimus, atque vtriusque extremi naturam describimus: & ipsius esse cõmunis vim intellectu consequimur, quæ rebus eius progressione nascentibus per in-
D numerabiles essendi modos cõmunicat. Denique vt summatim dicam: infinitam quodammodo esse in mente virtutem illud nobis testimonio esse poterit, quod fames corporis, sitisque, & somnus, cito & re paucula satiantur, mentis ardor nunquam extinguitur, siue humana respiciat, siue diuina. Si auet humana: quis diuitiarum cumulus, quæ imperij amplitudo hunc terminat? Si diuina, nulla rerum creatarum finitarumque scientia impletur. Meritò quiescit nunquam, nisi infinitum deum capiat: qui capacitatem eius ab ipso manãtem impleat infinitam. Quæ si finita esset, aliqua re finita vel impleretur, vel saltem sitis eius vtrunque leuaretur. Nunc verò per quorumlibet finitorum adeptionem non modò non extinguitur, sed flagrat ardentius: quoniam quo magis plura capiendo, deo infinito quadam præparatione propinquat, eo ardet magis igni suo facta propinquior: atque eo currit rapidius infinito sui motus fini iam proxima. Quod & ignis elementum facit, quando in propriam sphæram se recipit. Facit idem lapis etiã manifestiùs, quando descendit ab alto: qui quo terræ fit propinquior, eo vehementius defertur in terram. Quis dixerit mentem elementale corpus esse, vel corporale quicquam, si vim possidet infinitam? Vim inquam tum perseuerandi & capiendi, tũ ambiendi, percurrendique: siue seipsa hanc habeat, siue (vt verius loquar) quadam amplificatione diuina: quatenus videlicet absoluta infinitas dei mentibus animabusque proxime ab ipsa pendentibus: intellectualem vitalemque infinitatem inserit, seruatque continuè: atque ab infinito principio ad finem reuocat infinitum. Si enim solet vbique ab absoluta qualitate manare similis aliqua communicata qualitas: quid
E mirum ab absoluta infinitate talem quandam alicubi aut talem infinitatem effluere? Imprimis autem in mẽtes & animas, per quas Platonici putant in mundo quoque temporis generationisque successionem procedere infinitã. Quis igitur adeò demens erit, vt velit mentem habituram esse a-

liquem in perduratione sua terminum, cum in virtute saltem adeo amplificata & operatione non habeat? quasi possit habere extra se terminum, quem in seipsa non habet. Si vita origine antecedit intelligentiam: & intelligẽtia precio vitam excedit, atque humanus animus tanta est dignitate donatus, vt cõcessa sibi fuerit infinita quodammodo virtus intelligendi ac volendi: multo prius magisque concessa eidem fuisse debet virtus infinita viuendi.

THEOLOGIÆ PLATONICÆ
De immortalitate animorum eodem Ficino authore,

LIBER NONVS.

Probatur per rationalem virtutem animam non modo esse formam indiuiduam, verùm etiam à corpore nõ pendere: vt euidentius immortalitas demonstretur. Prima ratio: quia mens reflectitur in seipsam.

Cap. 1.

HActenus probauimus per virtutem rationalem animam esse formam indiuiduam, immortalemque. Deinceps probandum est eam à corpore non pendere: vnde propriè concluditur immortalitas. Res diuisibiles in seipsas minimè reflectuntur. At siquis dixerit rem aliquam diuisibilem in se reuolui: sic statim interrogabimus. Vtrũ pars huius rei alia vertatur in aliã, an pars in totã, An tota in partẽ, an tota potius in ipsam totã? Si datur primũ: non aliquid idẽ vertitur in seipsum: cũ inter se diuersæ sint partes. Si secundũ conceditur, aut tertiũ: sequitur idẽ. Aliud enim pars est, aliud totũ. Solus restare videtur modus quartus, quod totũ vertatur in totũ. Hoc non aliter fit quàm si omnes partes vertantur in omnes. Esto. Tandem nos conuersione huiusmodi facta quæremus: vtrum pars aliqua in re remaneat extra aliam, vel ab alia discrepans, an nulla. Si remaneat, alia pars in hoc erit situ vel modo, in illo alia: atque ita in se inuicem conuersæ nondum erunt. A

Sin nulla, certè nulla in ea re pars distabit discrepabítve à parte. Quod tale est, indiuiduũ est omnino, ita vt neque ex partibus quantitatis, neque ex materia & forma constituatur. Itaque aut non reflectitur res aliqua in seipsam: aut si reflectitur, est indiuidua. Animã in se reuolui modis quatuor alias diximus scilicet per intellectum in naturã suam, quando quærit, inuenit, considerat̃que seipsam: Per voluntatẽ in naturam eandem, quando se affectat & amat. Per intellectum in actum ipsum intelligendi, quando & rẽ intelligit, & se intelligit intelligere. Per voluntatem in voluntatis actum, quando & vult aliquid, & vult se velle. Atque has ro-
B tas quatuor Plato animæ currui tribuit: & hunc esse fontẽ illum quatruplicem arbitror naturæ perpetuę, quem Pythagoras inquit animæ hominum ab Ioue tributum. Si nulla res diuidua remeat in seipsam, profectò nostra hæc quadriga rationalis quæ per rotas quatuor in se recurrit: atque ipse fons intimus qui per quatuor gurgites refluit in seipsum, simplex est, & prorsus indiuisibilis. Huiusmodi verò conuersio non est à corpore ad corpus, sed ab anima ad animã: quę & ex multis aliis suprà, & hic ex eo probata est indiuisibilis esse, quod in se redeat. Quapropter conuersio talis à corpore libera est: cum neque exordiatur ab ipso, neque in ipsum regrediatur. Multo magis animæ substãtia libera est à corpore, si conuersio quæ eius est motus, est à corpore libera. Itaque rationalis anima nullo modo pendet ex corpore in essendo: sicut neque in mouendo & operando. Item si per operationem in se reflectitur, reflectitur etiam per essentiã. Ita essentiæ animæ in se conuertitur. Quò autem cuiusque rei conuersio fit, illinc est & profectio: atque contra. Igitur ex se est anima, quæ in se vertitur. Ex se inquam, tribus præcipue modis. Primo secundum formam: quia per formam aliam non formatur: alioquin non ad se, sed ad illam recurreret. Deinde secundum fundamentum: quia non sustinetur ab alio. Non enim innititur alteri forma hæc, quæ sibimet innititur, quando adnititur ad seipsam. Tertio secundũ simplicitatem: quia non constat ex partibus. Nam quo pacto explicatur ea forma per partium superficiem, quæ in suum centrum penitus replicatur? Quod ita est ex se, est semper: quoniam quod desinit esse, id aut quia à causa formatrice

derelinquitur,aut quia à fundamẽto deseritur,aut quia dissoluitur in partes,esse desinit. Quod verò ad seipsum conuertitur:quia indiuiduum est,non dissoluitur: quia suiipsius est forma,à formatrice causa non relinquitur:quia in seipso manet,nunquam à fundamento deseritur.

Secunda ratio. Mens quo magis separatur à corpore,eo melius se habet. Cap. 2.

C

SI anima originem vllam à corpore traheret:quanto coniunctius hæreret corpori,tanto melius se haberet. Quælibet enim res ab origine sua seruatur atque perficitur. Nunc vero contrà contingit. Præstantissimę animæ partes sunt intellectus atque volũtas. Quando circa corporalia occupamur,intellectus aut nihil cernit omnino,aut non sincere discernit,sensibus & phantasia deceptus:voluntas affligitur,dum multis inde vexatur curis. Contrà quando corporalia despicit,& sopitis sensibus expulsisque phantasmatũ nubibus animus per se aliquid speculatur:tunc intellectus sincere discernit,claretque maximè:quod etiam in his apparet qui per somni quietem aut aliam quanuis alienationem à corpore,vaticinantur. Ideo nonnulli(vt in Critone & Apologia inquit Plato)prope mortem cum sunt, futura prædicunt,quasi tunc illa videant in supernis numinibus præscripta,quibus suapte natura iungitur animus, modo non impediatur à corpore. Vnde Socrates tractus à falsis accusatoribus in iudicium,primò prædixit iudicibus futuram pœnitentiam,accusatoribus ruinam,ciuitati seditionem: deinde in carcere mortis suæ diem præsignauit,monstratum sibi à numine per quietem. Item Theramenes cũ esset coniectus in carcerem,biberetque venenũ:Critiæ aduersario suo proximam mortẽ est auguratus,quæ breui consecuta est. Rhodius quidam moriens(vt scribit Posidonius stoicus)sex æquales nominauit,dixitque qui primus eorũ, qui secundus, qui deinceps moriturus esset. Scribit & Aristoteles, Eudemum Cyprium familiarẽ suum cum venisset Phæras Thessaliæ oppidum,grauiter ægrotasse,eique visum in quiete egregia facie iuuenem,qui diceret fore vt breui conualesceret, pauciſque diebus Alexander oppidi illius tyrannus in-

D

E

teriret: ipſéque Eudemus quinquennio poſt domum rediret paulò pòſt conualuiſſe illum, tyrannum fuiſſe interemptum: Eudemum peracto quinquennio obiiſſe: atque ita eius animam in patriam remeaſſe. Nónne Calanus Indus iam moriturus citam Alexandro regi mortem prænunciauit? Et Perecides Syrus moriens Epheſiis victoriam contra Magneſios vaticinatus eſt. Leguntur alia multa generis eiuſdem.

Non ſolum verò intellectus, dum ſeorſum à corporis contagione viuimus, cernit multa perſpicue, ſed & voluntas impletur, neq; perturbationibus vllis affligitur, ſed diuinis gaudet ſummopere tanquam ſibi ſimillimis. Hinc ſequitur nõ eſſe corpus originem animi, ſi quo longius animus diſcedit ab illo, eo ſe perfectius habet. Sequitur & hoc: ſi quanto magis mens in hoc corpus immergitur, tanto deficit magis: & quo diſcedit longius, eo magis & proficit: tunc fore perfectiſſimam mentem, quando penitus ab hoc corpore euolauerit. Non eſt autem inde interitus, vnde ſumma perfectio: ſed integra vita, vſque adeo vt ſit perpetua. Qua enim mutatione animus vnquam deficiet, quando non perit exeundo è corpore: qua nulla ipſi maior poteſt eſſe mutatio?

Tertia ratio. Mens repugnat corpori. Cap 3.

NVlla res ſpõte ſua poteſt ſuæ origini repugnare: alioqui ſponte ad ſui ipſius ferretur interitum, qui neceſſariò ſequitur origine perdita. Quinetiam quicquid effectus aliquis operatur: ſuæ originis vi & auxilio facit. Si ergo aduerſus cauſam pugnaret: in ea colluctatione cauſa illa ſibiipſi aduerſaretur. Anima repugnat aduerſaturque corpori noſtro, immo corporibus omnibus. Igitur à nullo corpore ducit originem. Duo præcipua ſunt illius officia: ſpeculari, & conſultare. In vtroque repugnat corporibus. Primum videamus quomodo repugnat in ſpeculando. Multis quotidie modis externa corpora variè diſpoſita, noſtri corporis inſtrumenta ſenſibus aſſignata ita mouent, vt ad tempus fallant: quam fallaciam emendat & corrigit ratio: vt aliàs diffuſius enarrauimus, vbi ratio aliter iudicat quàm aut externum corpus annuat, aut corpus proprium nunciet: ac

sæpe iudicat modo contrario: qua in re tam sui corporis quã aliorum damnat affectionem. Mittamus in præsentia cęterarum rerum speculationes: accipiamus summam summi contemplationem: vt cognoscamus quantum in ea mens naturam redarguat corporalem. Phantasia sensus externos sequitur: sensus, corporis sui aliorumque corporum dispositionem. Quapropter sensuum & phantasiæ iudicium, corporũ dispositioni tribuimus: dicimusq; ipsum secundũ affectionem fieri corporalem. Quando animus noster, quid deus sit, cupiens inuenire, à magistris huiusmodi scisitatur: phantasia præceptor & faber nimium temerarius statuam aliquam machinatur ex quinque materiis quas aliarum omnium pulcherrimas externi sensus ipsi obtulerint, acceptas à mundo, eo tamen pacto, vt materias illas excellentiores reddat quodammodo, quàm à mundo per sensus acceperit. Offert igitur phantasia nobis lumen adeò clarum, vt nullum aliud videri possit fulgentius. Adeo ingens, vt nullum amplius, ac ferme per immensum inane diffusum: quod innumerabilibus sit coloribus exornatum: & in circulum reuoluatur: ob quam reuolutionem dulcissimis resonet modulis tam implentibus quàm demulcentibus aures. Iucundissimis redoleat odoribus. Saporibus quoque omnibus abundet, qui possint effingi omniũ suauissimi. Tactu molle mirum in modum: delicatum, lene, & temperatum. Hunc esse deũ prædicat phantasia. Nihil dat nobis pulchrius mundi corpus. Nihil corporeus sensus aut attingit melius, aut nunciat excellentius. Nihil amica sensuum phantasia effingit sublimius. Sed ratio interim è summa mentis specula despiciens phantasiæ ludos, ita proclamat. Caue animula, caue inanis istius sophistriæ præstigias. Deum quæris? Accipe lumen tanto clarius lumine solis, quanto lumen solis est lucidius tenebris: ad quod si solis lumen comparetur: etiam si millies millieſque clarius sit, esse videatur vmbra. Atque etiam tanto subtilius accipe, vt aciem visus effugiat. Neque ipsum per inane diffundas, ne partibus constet: atque ita sustentatione indigeat partium, ac loco. Collige totum (si potes) in punctum: vt ex hac infinita vnione infinitè sit potens. Sit deinde (si lubet) vbique præsens: non sparsum loco, sed integrum loco cuilibet adstans. Neque A

colorum multiplici varietate inficiatur. Splẽdidius enim est lumen purum, quàm coloratum lumẽ. Neque voluatur aut sonet. Nolo enim moueri illud vel collidi vel frangi. Et statum esse arbitror motu perfectiorem. Auferas quoque odores, sapores, mollitiemque tractabilem: ne crassiori sit natura compositum. Hic fulget quod non capit locus. Hic sonat quod non rapit tempus. Hic olet quod non spargit flatus. Hic sapit quod non minuit edacitas. Hic hæret quod facietas non diuellit. Dei faciẽ rursum intueri desideras? Mundum conspice vniuersum solis lumine plenum. Lumen conspice in materia mundi plenum omnibus rerum omnium formis, atque volubile. Subtrahe quæso materiam lumini, relinque cætera. Subitò habes animam: incorporeum videlicet lumẽ, omniforme, mutabile. Deme rursus lumini huic animali mutationem: es iam intellectum angelicum consecuta, incorporeum scilicet lumen, omniforme, inuariabile. Detrahe huic eám diuersitatem per quam forma quælibet diuersa est à lumine, & aliunde infusa est lumini: ita vt eadem luminis & formæ cuiuslibet essentia sit, atque ipsum lumen sese formet: perque formas suas formet omnia. Lumẽ hoc infinitè lucet: quia natura lucet sua: neque alterius, mixtione inficitur vel contrahitur. Per omnia est: quia in nullo. In nullo est, vt abunde per omnia fulgeat. Viuit ex se:
B & vitam præstat cunctis: quandoquidem vmbra eius, qualis est lux ista solis, sola in corporibus est viuifica. Sentit quælibet: sensumque largitur, si vmbra eius sensus omnes omnibus excitat. Amat denique singula, si maxime sua sunt singula. Ergo quid solis est lumen? vmbra dei. Ergo quid deus est? Sol solis est deus. Solis lumen est deus in corpore mundi. Deus est sol super angelicos intellectus. Hic tuus est, ô anima, hic tuus est deus. Huius vmbrã tibi ostenderat phantasia. Talis vmbra dei est, vt sensibiliũ pulcherrima sit. Qualem esse dei lucem existimas? Si tantum dei lucet vmbra, quantum lux dei fulget? Amas lucem solis vbique præ cæteris: immo solam. Ama deum solum: solam ô anima lucẽ. Infinitam benefici dei lucem infinitè ama. Fulgebis iam: & oblectaberis infinitè. Quære igitur obsecro faciem eius: & gaudebis in æuum. Sed ne mouearis precor vt eam tangas: quia stabilitas ipsa est. Ne distraharis per varia vt apprehendas:

das: quia vnitas ipsa est. Siste motū: collige multitudinē: deum protinus assequeris, iam diu te penitus assecutū. In hac indagatione, proh deus immortalis, quātum repugnat mēs cunctis corporibus: quantum disperdit eorum imagines & fallacias? quantum damnat phantasiam, sensusque comites corporum? Profecto ipsa sicut per se est substantia, nullam à C
corpore vllo ducens originē: ita per se agit quandoque proprium opus absque vllo corporum adminiculo, immo vero (quod est mirabilius) contra quælibet corporum machinamenta. Hæc certe nunquam operando se ab omni secerneret labe corporea, nisi multo magis in essentia ab omni corporea stirpe esset alienissima. Et quia non potest per vim aliquam corporis vniuersæ naturæ corporum repugnare (non enim surgit particula supra totum) sequitur vt per vim propriam in præsenti agat absque subsidio corporalium: ideoque multo magis in posterum id possit efficere. Quomodo repugnat mens corpori speculando, satis iam diximus. Dicamus deinceps quantum in consultando. Sæpe esuriente stomacho, vel sitiente pulmone, siue per somnum cerebro grauescente, siue genitalibus membris semine tumescentibus sensus corporis comes ad cibum potum somnum inuitat, & coitum. Incitat inquam, vel potius corporis incitamenta nunciat animo. Ratio verò contemplationis honestatisve gratia ab iis iudicat abstinendum: & vt lubet, sæpenumero abstinemus. Quando infertur contumelia vel iniuria, circa præcordia sanguis ad vindictam accenditur. Tunc vis animæ motrix, comes hospesque corporis, pedes & manus mouet ad vlciscendum: ratio nonnunquam pacis & ocij causa sistere iubet & cohibet. Obiectis sæpe periculis cor trepidat: sed occurrere prælio ratio præcipit tutandæ patrię causa: vnde inuito etiam corde itur in hostes. Fines autem ad quos ratio ita deliberat, incorporei sunt: veritas scilicet & honestas. Cum Plato noster vir cælestis domandi corporis gratia academiam insalubrem Atticæ locum habitandam D
elegit, nónne animus eius corporis naturæ aduersabatur? Cum Xenocrates dilectus Platonis discipulus, & Origenes eorū sectator, exusserunt sibi virilia, quò libidinis incendia prorsus extinguerent: nónne inuictus animus bellum mēbris corporis indicebat? Ante hos magi persarum, AEgyptij

sacerdotes, Pythagorici philosophi, vt venerem eneruarent mero & carnibus abstinebãt. Mitto priscos illos sacerdotes magnæ Matri consecratos, aut Saturno. Illi castrabant se, isti se excarnificabant. Mitto primitias Christianorum: quibus nihil fortius, nihil mirabilius vnquam vidit mundus. Quapropter nemo nobis obiiciat vel paucos olim fuisse, vel esse hodie pauciſſimos, qui corporis resistant affectibus: imo vero resistimus omnes quotidie, alij sanitatis, alij honoris, alij pacis, alii iustitiæ, contemplationis dei, beatitudinis gratia. Ac etiam si nũquam corporis impetus frangeremus, satis tamen esset pugna ipsa quæ est in nobis continua, ad ostendendum animam corpori repugnare. Si nulla in nobis alia esset natura quàm corporea, statim cum corporis affectio ad aliquid traheret, prorueremus vt bruta, neque pensi quicquam haberemus, cõsultaremsúve nunquid esset illud ad quod allicit corpus, efficiendum. Nihil enim secum pugnat. Semper tamen ferme in nobis est pugna illata nobis a corpore toto. Est igitur in nobis aliquid præter ipsum, ab eius stirpe semotum. Semotum inquam tum ab omni humorum elementorumque natura, quo cunctis horum inclinationibus possit obsistere, easque cogitatione & affectu transcendere: tum etiam ab omni natura cæleſti ab ipso cælo humoribus his infusa, ad eorumque perducta proprietatem. Quo etiam cælestibus inclinationibus quandoque valeat aduersari: quod astrologi nobis ipsi concedunt, atque substantiam quandam cælo longè præstantiorem excogitare semper & colere. Mitto quod quicquid per corpoream mobilemque cæli virtutem efficitur: & corporeum est, & penitus mobile: neque potest corpoream mobilemque naturam exuperare. Quapropter animus tum ab elementali tum à cæleſti natura elemẽtis infusa seorsum viuere potest. Quòd si quis Platonicorum dicat eum in cæleſti vehiculo
A semper esse, respondebimus, non animum à vehiculo, sed
D vehiculum ab animo depẽdere: sempiternumque animum apud Platonicos sempiternum vehiculum semper viuificare. Sed ad institutum ordinem redeamus. Neque nos turbet quod anima sæpe obsequitur corpori: quia non vi obsequitur, sed amore quo corpori per ipsam viuenti tanquam filio & suo operi afficitur. Mater filium tanquam suum

opus amat. Filius paruuluscibum præter modum cupit. Abstinere iubet mater. Tacet inde quiescitq; puer, si bene fuerit educatus. Sin male, clamat: domumque perturbat. Miseretur plangentis filij mater, quem amat nimium: nondum tamen vt cibum capiat assentitur: nisi secum ipsa prius consultando iudicet posse illum gustare aliquid absque corporis detrimento: aut si quid damni illatum fuerit, per medicinam facile posse succurri. Tunc demum cibum accipit natus. Nō cogitur mater à filio paruulo, sed operis sui dilectio matrem allicit vt filio obsequatur. Obtemperat tandem prout censet obtemperandū. Iudicat autem sæpe vere, quandoque fallitur: quia obtemperandi nimium cupida non satis diligenter euentus examinat. Eadem est animæ ad corpus similitudo. Proinde si naturale esset animam succumbere corpori: omnis anima ac semper sensibus cederet. Quoniam vero resistit sæpenumero consultando: siquando consentit, non natura vel violentia obsequitur, sed amore, quo summa vis animæ afficitur mediç, media infimç, infima vi- B
tali complexioni, vitalis complexio corpori. Siquidem Platonici putant ab animæ rationalis substantia tanquam à sole effundi vitam corporis irrationalem tanquam lumen: illamque erga hanc affici quasi erga prolem. Ad quam prolem suscipiendam corpus (vt Timæus docet) per cæleſtes animas disponatur. Quid vero dicemus ad illud, quando animus aliquis suum corpus interimit, siue consilio, siue indignatione, seu metu id faciat, vel dolore? Quomodo id vnquam aggrederetur, si corpus animi esset origo: cum non possit appetitus aliquis in natura contra ipsammet insurgere? Nullum brutum sponte seipsum interimit: quia non potest in eorum animam à corpore pullulantem stimulus aliquis contra corpus oriri. Homo autem licet sit prudentius animal, tamen id sæpe facit, vaticinans (vt arbitror) se superfore post corpus: ac se potius corporis sarcina exonerare, quàm perdere.

Quarta ratio. Anima libere operatur. *Cap.* 4.

MAximè vero non oriri vllo modo ex corpore homi- C
nis animam cognoscemus, si quàm liberum sit in ea

arbitrium,ratione propria comprehenderimus.Nam quod corpori cuius natura determinata est,alligatur: operationē habere non potest liberam & solutam.Profecto à communi aliqua consideratione nulla prouenit actio, nisi intercedat aliqua particularis existimatio:quia motus actionesque circa particularia fiunt:ceu cum quis communiter considerat exercitationem corporis vtilem esse:licet ita consideret, nondum tamen exercetur, nisi consultet prius quod sint exercitationis modi, & qui magis conducāt.At quando vnā quandam particularem exercitationem præ multis elegerit:tunc opus aggreditur.Si deambulationem: deambulat. si equitationem:equitat. Intellectus natura sua in vniuersalium rationum conceptione versatur. Quapropter vt ex eius apprehensione aliqua proueniat actio,oportet vniuersalem eius conceptionem ad particularia quędam deduci.Vniuersalis autem notio vi sua multa,immo infinita singularia continet:vt exercendi commune genus modos exercitationis innumerabiles.Igitur potest vniuersalis illa notio ad diuersa pariter singularia deriuari.Deriuationem huiusmodi sequitur iudicium de agendis.Diuersum igitur sequi potest iudicium.Itaque iudicium intellectus de rebus agendis non est natura sua ad aliquid vnum determinatum. Est igitur liberum . Iudicij siquidem libertate ideo carent aliqua, D quia nullum habent iudicium:vt plantæ. Aliqua, quia licet habeant,habent tamen à natura ad vnum aliquid determinatum:vt bruta. Naturali enim existimatione iudicat ouis lupum sibi pernicioſum,ac fugit: neque potest non fugere, impellente natura. Naturali instinctu feruntur hirundines ad nidum conficiendum : apes ad aluearia:ad telas araneæ. Ideo omnes eiusdem speciei animantes eodem modo sua fabricant semper:neque discunt aliquando : neque variant vnquam:quia species naturalis qua ducūtur,ab initio inest, atque eadem permanet.Homines autem & discunt,& opera sua variāt semper: vnam tamen ab initio naturā habent. Non igitur natura trahuntur ad agendum:sed ipsi suo consilio aliàs aliter seipsos agunt. Vnde enim contingere id putamus , quod arbores bestiæque in suis quibusdā motibus, artibus,electionibusque nunquam aberrant,homo verò sępissime?Non quidem ex eo quod intellectus insit illis per-

fectior, quibus nec intellectus quidem ineſt vllus: ſed quia ab intellectu diuino nunquam errante trahuntur, homo verò à ſuo: qui errare poteſt, ducitur. Qui etiam ſiquando ab E
actionibus propriis ocium agit ad tempus, tunc ipſe quoque à deo ducitur, neque errat: quod ex vaticiniis & miracu
lis declaratur. Ac ſi ſemper duceretur, ſicut alia, tanto minus erraret quàm illa, quanto perfectius eſt inſtrumentum. Rur
ſus ſi alia ſe ipſa ducerent ſicut homo: tanto magis errarent quanto minus perfectam ſortita ſunt ſpeciem. Cum igitur homo iudicium de rebus agendis non habeat, à natura ad
vnum determinatum, eſt neceſſariò liber. Quòd autem iudicet liberè, ex eo coniicimus, quod ſeipſum ducit ad iudicandum. Quòd ſeipſum ducat: ex eo quod in iudicium ſuũ
ſe reflectit. Quòd ſe reflectat: ex eo quòd ſe iudicare cognoſcit, iudiciumque definit. Quam quidem libertatem intelle
ctus ipſius virtute ſortitur. Intellectus enim non modò hoc F
aut illud apprehendit bonum, ſed ipſum commune bonũ. Quoniam verò intellectus per apprehenſam à ſe formã mo
uet voluntatem: atque in omnibus motor & mobile proportione inuicem congruunt: voluntas rationalis non eſt à natura determinata niſi ad ipſum commune bonum. Sub
ipſo autem cõmuni bono bona ſingula continentur. Quicquid igitur voluntati offertur vt bonum, poteſt in illud in- G
clinari voluntas, nulla inclinatione naturali in contrarium prohibente. Quod quidem ſignificatur per ea quæ ſuprà di
ximus, quod multa eligit contra naturæ corporalis vſum & voluptatem. Præſcribit ſibi vitæ ordinem ſæpiſſimè corpori noxium: odit corpus, extenuat, enecat: quod nunquam beſtiæ faciunt, quarum omnis impetus actioque ſeruit corporis vſui. Operæprecium eſt conſiderare, quædam à philoſophis neceſſaria, quædam impoſſibilia, quędam media ſcilicet poſſibilia nuncupari. Et poſſibilia quædam vt plurimũ
euenire, quædam rarius: quædam vero æqualiter ferme cõtingere. Hunc ordinem vniuerſo congruere potiſſimũ arbitrantur. Affirmant rurſus alia quidem naturalia, alia verò voluntaria eſſe. Addunt inſuper, nuſquam fore potentiam vllam ad vtrunque contingentium æqualiter ſe habentem, niſi voluntariis agentibus inſit. Naturalia enim agentia potius eſſe determinata quàm voluntaria. Denique naturalia

ſpeciei cuiuſque officia probant vana eſſe non poſſe, officiũ autem hominis eſſe conſilium. Fruſtra tamen illic ad oppoſita conſultari, vbi nequeat alterutrũ prout coniectura deſignat, eligi atque tractari.

A Præcipuè verò ex hoc inuenietur animi noſtri libertas, ſi planius quomodo mouentur beſtiarũ animæ, videamus. Quando animal brutum eſurit: ſi cibus ſuus oculis eius offertur: eius anima iudicat pabulũ tale ſibi fore conueniens: appetitus cupit, monetque ad ipſum membra. Quærimus vnde ſit motus ille membrorum. Proculdubio eſt ab appetitu. Appetitionis motus vnde? A iudicio. Ex eo enim quòd cibum conuenire ſibi iudicauit, illico concupiuit. Vnde iudicium? A forma tali vel tali cibi ipſius oculis apparente, & ab interna talis corporis egeſtate. Quotiens enim tale corpus eſurit, & pomum tale monſtratur aſpectui: totiens anima illa conuenire ſibi illud iudicat, atque appetit. Cernis motus illius principium non eſſe in anima, ſed in corpore. In corpore inquam pabuli ſic diſpoſiti, & corpore bruti ſic affecto. Itaque non proprie anima illa ducit corpus: neque propriè ex ſeipſa mouetur: ſed tam cibi quàm ſui corporis natura trahit illam: ad cuius tractum membra etiam rapiB untur. Cuius rei ſigna quatuor afferemus. Primum, quòd tali quodam cibo monſtrato, & ſic affecto corpore, ſtatim ita iudicat & appetit anima: neque poſtquam pabuli figuram aſpexit, tempus aliquod vel breuiſſimum differt iudicium & cupidinẽ: quaſi anima illa penè nihil ex ſua virtute in medium afferat: ſed poſita illa iudicij cauſa, ſtatim iudicandi ſequatur effectus. Nec iniuria. Forma enim agendi principium eſt: vt ignis calor calefaciendi principium. Formarum verò aliqua eſt à natura impreſſa: vt igni calor & leuitas. Aliqua eſt apprehenſa, vt ſpecies cibi per viſum. Appetitio ignis ac motus formam impreſſam ſequitur. Iudicium & appetitio beſtiæ ſic affectæ formam illam cibi ſequitur apprehenſam. Huius ergo motus principium eſt cibus, eiuſque forma. Et ſicut ignis non per ſe mouetur, quia non poteſt non aſcendere cum nihil obſtat: non poteſt non vrere cum aliquid adeſt vrendum: ſic beſtia non per ſe mouetur: quia non poteſt non ferri in ea quæ ſic aut ſic offeruntur.

Secundum signum est, quòd irrationalis anima nunquã aliter iudicat, cupit, prosequitur, quàm ad corporis pertineat vsum. In omni enim eius actione finis est corporis commodũ. Finis autem in rebus vltimus idem est ferme quod & principium. Principium ignis est lunæ concauum: concauũ lunæ ignei motus est finis: quia causa quæque ad sui finem agit & mouet. Ergo in bruto principium actionũ est corporis natura siue anima. Non anima mera, sed corporalis: & vt seruit toti naturæ vitæque artifici naturaliũ, postq̃ in natura vitaque corporea conseruanda est finis agendi.

Tertium, quòd bestiam nunquã pœnitet sic aut sic egisse, neque retractat quicquam neque emendat: quod significat vnicum ibi esse agendi principium, postquam nulla est repugnantia. Corporea certè vita mouet tanquam finis proprius. Ergo nihil aliud propriũ inest ibi præter corpoream vitam quod moueat.

Quartum, quòd (vt suprà diximus) in operibus brutorũ eiusdem speciei non est diuersitas. Non aliter aranea alia telam texit quàm alia. Omnes quoque hirundines nidum similiter faciunt, & singulæ singulis annis eodem pacto: quemadmodum omnis ignis similiter calefacit: omnis lapis descendit similiter: omnis planta pro sua specie similiter pullulat. Natura siquidem rei cuiusque vna quædam est affixa sibi forma, & certa vis ab initio insita: per quam vnam similemque semper, vnum opus fit semper & simile. Idcirco bestiarum anima instinctum secuta naturæ, tenorem seruat speciei suæ familiarem. Idem & nobis accidit quotiens torpet ratio, & ad nutum sensuum phantasiæque viuimus. Verùm expergefacta & intenta ratione, consultamus in rebus agendis diu: & nutum phantasiæ damnamus: & aliter facimus quàm vel externorum corporum vel mẽbrorũ nostrorũ poscat natura. Ac siquando iis indulgemus, pœnitet nos, atque emendare conamur, domamusque sæpe naturam corporis, & subiicimus. Agimus enim non modò per imagines illas obiectu corporum acceptas siue conceptas, sed etiam per vniuersales rerum species & rationes, quæ partim insunt animo, partim eius peculiari vi pariuntur: vbi agendi principium nostra forma est, non corporis, à nobis parta, non accepta à corpore: ad

H

animi modum potius quàm ad modum corporum procreata: communis ad infinitos agendi modos. Ideo non vni agendi modo adstringimur: sed per omnes liberè peruagamur. Habemus enim in mente commune quoddam bonorum exemplar: ad quod singula cõparantes, siue reiicimus, siue magis minúsve probamus, non ipsi quidem tracti à rebus ipsis vel corpore: sed trahentes res ipsas potius ad exẽplar, & corpus ad mentem. Ideo etiam dum similis permanet rerum corporisque affectio: sæpe eligimus dissimiliter, aliàs scilicet aliter. Et dum fit dissimilis, eligimus sæpe similiter: immo in eodem penè momento propter varias coniecturas à ratione propositas, etiam dũ corporalia manent similia, variæ contrariæque quodammodo fiunt electiones. Consultatione nanque fit, vt non animam rebus, sed res animæ nostræ subiiciamus profecto vt sæpe Plotinus ait, Proculusque confirmat, huius indicium habemus in scientiis & moribus. In scientiis hoc pacto. Quando sola veritatis speculatione contenti sumus, nihil prorsus communicantes cũ corpore, neque agere aliquid, extra nos affectantes: quis nõ videat contemplationem illam nostram esse penitus nullo modo à corpore dependentẽ? In moribus iterũ hoc modo: Cum omnia vitæ studia ad animum nostrũ dirigimus moribus exornandum: quis non intelligat tunc officiorum nostrorum finem esse animam: atque ideo eorundem animã esse principium? Harum actionum non humores principia sunt: quoniam humores non inuitant ad aliquid contra corpus eorum, & supra corpora. Non cælum: quod per humores mouet. Corpus quippe cæli longè remotum, neque prius mouet quatuor humores nostros quàm moueat quatuor elementa: neque mouebit animã nisi humoribus agitatis. Humorum verò agitationi animus aduersatur: dum illorũ impetus speculationis intentione contemnit, morum studio cohibet, artium industria frangit. Nemo aut Socrate ad amorem, aut Alciphone Megarico ad libidinem ebrietatẽque natura procliuior fuit: nemo iis euasit studio continentior. Nónne Xenocrates, Demosthenes, & Cleãthes naturæ impedimenta diligentia repulerunt? Si humoribus resistimus: obsistimus & elementis, & cælo: immo etiam si non subiicimur cælo, multo minus cęteris corporib⁹ subdimur.

Cælo verò non ſubiici hominis animũ, hinc apparet, quòd futuros caſus primò ſcientia pręuidet: deinde aut prudentia vitat, aut magnanimitate nihilipendit: quaſi non ad ipſum K
hominem, qui ipſe eſt animus, pertineant quicquam, ſed ad animi carcerem. Accedit, quòd proſpera fortuna propter temperantiam feliciter vtitur: aduerſa propter tolerantiam optime: ita vt vtraque ſibi æquè ad virtutem proficiat & ſalutem. Quo autem pacto aut ſequitur caſus, qui præcedit, aut ſuſcipit neceſſario, qui diligentia vitat? Aut horret natura, qui ſæpe deſpicit? Aut bonis vincitur, qui ad felicitatem propriam illa dirigit? Aut ſuperaretur malis, qui mala conuertit in bona? Aut neceſſitate aliqua cogitur, qui dum propter pietatem libenter cum diuina voluntate conſentit, illa etiam quæ neceſſaria ſunt, terribiliaque videntur, voluntaria efficit atque leuia? Idem rurſus ita per intellectum mon ſtramus & voluntatem. Primò ſic per intellectum. Cæleſte corpus formam habet corporalem, ſingularem, localem, & temporalem. Forma per quã mens omnis intelligit, eſt incorporalis, vniuerſalis, & abſoluta. Hęc ergo à cælo non naſcitur. Forma enim quæ alicubi clauditur, formam non generat abſolutam. Ideoque cælum formam aliquam in intellectu non generat. Num forte in eo gignit intelligentiã? A
Nequaquam. Hæc enim formã ſequitur intellectus. Quod ergo dare formam nequit, non dabit intelligentiã. Omnino verò nullum corpus per ſuam formam quicquã intelligit. Talis enim forma ſingularis eſt omnino. Multo minus in alio intelligentiam generabit. Quoniam igitur intellectus neque actionem propriam, neque actionis principium habet à cælo: corpori cæleſti non ſubditur: præſertim quia noſter animus ſecundum eam vim qua iungitur his quę ſupra cælum eſſe dicuntur, non modò non ſubeſt cælo, ſed etiam pręeſt. Hic autem quatenus intelligit veritatem: angelis qui præſunt cælo, coniungitur. Eatenus enim intelligit, quatenus intellectuale lumen inde ſortitur. Sic ergo conſtat intellectum cælo non ſubiici. Sic rurſus conſtabit non ſubiici B
voluntatẽ. Ea profecto quæ natura fiunt, determinatis mediis perducuntur ad finem: vnde ſemper eodem penè modo proueniunt. Natura enim ad aliquid vnũ determinatur: electiones autem hominis diuerſis viis tendunt ad finem tã

in moribus quàm in artificiis. Præterea quæ in eadem ſpecie ſunt in naturalibus actionibus: quæ ſequuntur ſpeciem ipſam, inter ſe minimè diſcrepant. Sicut enim omnis hirundo (vt diximus) ſimiliter conſtruit nidum, ſic omnis intellectus ſimiliter intelligit prima illa artium morumque principia, quæ nota ſunt cuique per naturam. Et omnis voluntas ſimiliter appetit ipſum bonum: quia bonum ſecundum naturam voluntas deſiderat. Ea ſiquidē hominis natura eſt,
C vt ſicut ſe intellectus habet ad ſpeculandi principium, quale eſt id quod vbique eſt manifeſte verum: ita voluntas ad agendi principium, quale eſt ipſum bonum: ac neceſſariò vtriſque omnes aſſentiamur. Electio verò eſt actio quædam ſequens humanam ſpeciem: ſicut diſcurſio rationis. Hæc enim duo ſunt hominis propria. Sicut ergo ſi homines naturæ inſtinctu ratiocinarentur, eadem omnium hominum in ſingulis rebus eſſet opinio: ita ſi ducente natura eligerent, vna omnium eſſet electio. Nunc autem alij modis aliis eligunt alia: ſicut & ratiocinando iudicant varié. Quamobrē cæli voluntatem noſtrā inſtinctu naturæ non mouent: mouent tamen corpus. Corporis motum ſequitur ſiue nunciat ſenſus. Hinc ſæpe voluntas allicitur. Non eſt autem incitamentum hoc electionis cauſa neceſſaria: quia illi aliàs aſſentitur, aliàs minimé. Neque tamen à cæleſtibus duntaxat corporibus humanum corpus ſenſûs ve mouetur. Nam &
D Ptolomæus ipſe concedit particulares effectus circa materiam, haudquaquam abſolutè ſequi cæleſtia, quæ vniuerſales remotæque cauſæ ſunt: ſed quatenus cauſæ mediæ tribuunt: & mobilis diſpoſitio materiæ contrariis ſubditæ cauſis aliàs & alibi aliter accipit. Quodquidem quotidie experientia ipſa probamus: in his præſertim, quæ cum ſimul naſcantur, naturā potius ſpeciei & indiuidui, loci quoque & nutrimenti, conſuetudiniſque ſequuntur: vt diuerſo modo ſe habeant: quàm idem naſcendi momentum, vt ſe omnino ſimiliter habeant. Merito igitur præcipit Ptolomæus aſtrologis, vt communem potius atque poſſibilem, quàm diſtinctam neceſſariamque ſententiam ferant.
Addit ſapientem aſtris vel minantibus repugnare, vel pol-
E licentibus poſſe fauere. Non igitur credendum eſt aſſertoribus fati, dicentibus ſingula à determinatis cauſis proficiſ-

ſci: cauſaque poſita effectum neceſſariò ſequi. Primum quidem à cauſa remota, quanuis neceſſaria, effectus non neceſſariò prouenit, niſi cauſa inſuper media fit neceſſaria: quēadmodum in argumentationibus ex maiori propoſitione neceſſaria, atque minori contingenti, neceſſaria concluſio ſequi non ſolet. Sed inter cæleſtes cauſas atque terrenos effectus mediæ cauſæ ſunt virtutes elementales, ſiue ſimplices, ſiuæ mixtæ, ſiue actiuæ, ſiue paſſiuæ: quæ quidem contingentes mutabileſque ſunt, & impediri inuicem ſæpiſſime poſſunt. Deinde non eſt neceſſarium, poſita hac vel illa effectus cauſa determinata atque etiam ſufficienti, ſtatim effectum ſequi: cum poſſit ex concurſu cauſæ alterius impediri. Sæpe enim ſufficiens hinc cauſa eſt ad bilem, ſed inde cauſa quædam ſufficiens ad pituitam: atque inuicem impedire ſe poſſunt.

Poſtremò non omnium determinatas cauſas poſſumus deſignare. Quod enim ſis albus, cauſam habes propriam: item propriam alteram quòd ſis grammaticus. Quòd autem albedo grammaticaque concurrant, propriam non habes cauſam. Si enim duorum quæ dixi concurſus, ex communi quadam determinataque cauſa prouenirent: aliquem certè ordinem inter ſe haberent. De quolibet ergo effectu dicemus non neceſſariò apud nos ex ſua cauſa proficiſci: quoniam impediri poterat ex alia quadam cauſa per accidens concurrente.

Et quanuis cauſam concurrentem aliquis in cauſam reduxerit altiorem: ipſum tamen concurſum qui impedit, in cauſam quandam reducere nemo poteſt: vt inde conuincat impedimentum huiuſmodi ex aliquo cęleſti principio proficiſci. Quapropter ſi quæ ad corpus pertinent, non neceſſariò ſequuntur aſtra: multo minus animi eorumque actiones ſtellis ſubiiciuntur.

Neque audeat quiſquam dicere, mentes hominum à ſuper- F
nis mentibus moueri per cælum tanquam per inſtrumentum aliquod, atque medium. Magis enim conueniunt mentes cum mentibus quàm cum corporibus: ideo inter illas mentes ac noſtras cælum non interponitur: ſed potius inter mentes illas ac cælum noſtræ mentes medium obtinent. Propterea que cæli à numinibus per men-

tes hominum mouendi essent, potius, quàm nostræ inde per cælos. Dixerit forte quispiam: mentes nostras à mentibus illis absque medio agitari. Agitent ergo, si placet, nos: immo ducant. Sic enim diuinæ erunt hominum mentes, si mouentur proximè à diuinis. Erunt nanque illis proximæ per naturam. Alioqui per naturam aliam illis propinquiorē quasi per mediū mouerentur. Erunt certè illis propinquiores quàm cæli globus, postquam inde mouentur sine cælo. Quod si cælum putant fore perpetuum, cur non etiam hominis animum sempiternū esse, cum sit diuinis propinquior? Proinde infusio quæ in mentes inferiores à superioribus angelicisque transit, illuminatio potius est dicenda quā motus. Ille siquidē suo modo tradunt: hæ quoque suscipiunt suo modo: vtrique verò sunt intellectus. Ergo intellectuale lumen est & quod datur, & quod accipitur. Munus huiusmodi non prohibet animum nostrum ad lumen illud suo modo conuerti: pro natura sua vti: ac per illud liberè ratiocinari atque eligere: præsertim quia noster animus interdum ad deteriorem partem in consiliis sese confert: instinctus autem mentium diuinarum traheret semper ad optimum. Quapropter humanus animus inspirationem numinum in naturam suam trahit. Illinc quippe descendit stabilis ipse mobilem reddit: cum ipse sit mobilis, ac deinde mobiliter agit. Itaque nihil obstat quo minus libera sit animi actio: cum nulli proprio mouenti subiiciatur. Plotinus, Proculusque, & Auicenna disputant, cęlestes motus non esse inferiorum causas, sed instrumenta potius diuinis motoribus velut artificibus obsequentia: quorum varias cogitationes cælestibus corporibus figurisque & motibus tanquam oculis nutibusque suis indicari nobis, & futura portendere. Addunt diuinorū notiones cæleſtibus disposition ibus quasi literis explicati: & sicut aues volatu atque garritu auspicibus auguribusque, non quę agant ipsæ, sed quæ significēt, creduntur ostendere: ita cælos figuris & motibus, quæ aliunde fiant, quotidie nobis significare. Quod quidem ostendunt Astrologi, quando in alicuius genesi iudicanda plurima proferunt quæ ad patres auosque & fratres, vxores, amicos, inimicosque pertinent: quorum fortuna ab alterius genesi non dependet, sed tantum significatur. Si ergo corpo-

rea(quod etiã ſuprà probauimus)neque propriè neque omnino cæleſtibus ſuperiorum motorum inſtrumentis ſubiiciuntur,multo minus mens ipſa ſubiicitur : cuius mores & artes ſiquando ab aſtrologis prædicuntur: tanquã per ſigna potius quàm per cauſas proferuntur.Siquidem ſuperni motores non ſolùm illa quorum ipſi ſunt cauſæ,ſed etiam quorum mentes noſtræ futuræ cauſæ ſunt,& excogitant ipſi ſecum,& cæleſtibus nutibus ſæpe demonſtrant. Non ſubiici autẽ tunc declarat maxime mens noſtra voluntaſque,quando vſque adeo effertur,vt penè ſe velit ſolã. Tunc enim ſe quodammodo à cæteris liberat creaturis: ſeque ipſa ferme contenta eſt.Rurſus quando in ſuum actum circulo ſe reflectit.Circuitus enim ſpiritalis termino non ſeruit extraneo. Prẽterea quando non modò propter aliam coniecturã vult, propter aliam non vult:ſed etiam vult quòd poſſit velle pariter atque nolle. Qua in re videtur indifferens ad volendũ pariter & nolendum:ac nulli prorſus aſtricta. Item quando eligit ſummam deſiderij cuiuſque vacationem. Nam tunc tractũ proprij obiecti cuiuſque diſſoluit. Potentia hæc quæ actum omnem interimit,proprio nulli ſeruit obiecto . Sed totum hoc ita planius explicemus. Quotiens aliquod nobis bonum proponitur, totiens poteſt animus ita ratiocinari: Quia maximum bonum eſt libertas:volo eam in me experiri quandoque.Itaque malo nunc eligendi actũ retinendo, mei iuris eſſe:quàm huic vel illi ſeruire volendo . Eligit tamen libertatem tanquam bonam:quam ſæpe aliàs propter alia bona poſtponit . Nullum igitur bonorum eligimus neceſſariò , quanuis neceſſariò , velimus ipſum bonum. Denique aut nuſquam motus eſt liber : aut liber eſt vbi primus . Primus in anima . Oportet autem primum eſſe liberum : ſi modò quicquid primo tale eſt , per ſe eſt tale. Quis enim dubitet actionis motum inde incipere deſcendendo, quo quæſtionis motus deſinit aſcendendo? Deſinit vero in animi ipſius imperium:ceu cum dico me agere hoc propter iſtud:iſtud propter illud.Illud,quia volo.Velle,quia placet.Placere autẽ mihi,& inſuper velle,quod placeat. Addo quinetiam quòd ſi forte nollem:nolle vellẽ. Id ſæpe appellat Plato per ſe moueri:id eſt per ſe ac libere agere.Hinc effici vult vt liber viuat qui agit & libere:vt nullius particu B

laris siue boni siue mali subiiciatur impulsui, quiviuit liber: vt non perdatur vnquam, qui violentia non pulsatur.

Quinta ratio. Mens absque corpore operatur.
Cap. 5.

C OPerandi modus modum sequitur existendi. Quare si anima modo aliquo per corpus existit, nihil sine corpore vnquam vel auxilio corporis agit. Nunc autem contrà contingit. Non igitur est per corpus. Audiamus primùm Platonis mentem de modo cognoscendi quo hominis anima operatur. Quoniam anima multo est præstantior corpore, & quod assiduè formatur aliquid, est formato prę statius: ideo nulla corpora, siue extra nos sint, siue intra, formas vel imagines suas pingunt in anima: sed suis quibusdam qualitatibus siue viribus siue imaginibus vaporem illum pulsant calentem atque vitalem, qui quodammodo corporis est nodus & animę, & spiritus à physicis appellatur. Si enim corpora illa cum spiritu hoc conueniunt in materia, cum anima verò non conueniunt: rationabilius est spiritum ab illis formari quàm animam: quæ tantum abest vt formetur à corpore, vt ipsa potius revera sit & forma corporis, & formatrix. Formatrix quidem sui corporis per naturam, aliorum verò partem. Anima igitur rationalis, quæ fons est corporalium motionum, mouet quidem ipsa corpora: à corporibus verò non mouetur. Moueretur autem ab illis, si formaretur inde. Sed spiritus qui est animæ currus, à corporibus quibusque pulsatur. Pulsatio huiusmodi non latet animam. Vt talis quædam passio siue agitatio spiritus animam non latet sentire dicimur. Statim verò ex hoc subito sentiendi actu vis interior animi ad opus aliud huic persimile excitatur. Nam vbi per oculi spiritum colores, per aurium spiritus sonos, perque alios alia attigit: ipsa sua quadam vi, per quam præest corporibus, eorũque semina possidet, non minus in cognoscendi quàm in alendi virtute: mox colorum sonorumque & reliquorum simulacra penitus spiritalia vel denuo concipit in seipsa, vel olim concepta parturit, colligitque in vnum. Hanc, imaginationem in superioribus nuncupauimus. Posuimus postea phantasiã pau-

lo hac ſuperiorem, per corporum imagines ferme ſimiliter peruagantem. Intellectum denique longo interuallo eminentiorem: quemadmodum declarauimus. Quando anima ſentit quippiam, apud Platonicos dicitur operari per corpus: non quia ipſa ſimul & corpus ſentiat. Sicut enim anima D
fons eſt viuendi (vt Plato ait) ita & ſentiendi. Præterea oculis auribúſve ſæpe obiecta ſua præſentia ſunt: ſi tamen animus attentius quicquam intra ſe ſecũ agitat, non prius ſentiuntur, quàm animus ad talia reuertatur: quaſi non membra hæc, ſed interior ipſa animi noſtri natura vim habeat ſentiendi. Quæ tamen vis ſentiendi non ſentit niſi dum corporalis ſpiritus à corporibus agitatur. Quando ergo per imaginationem vel phantaſiam agi dicitur per corporis auxilium operari: quia reuoluitur per imagines ſingulas, quæ ſingula referunt corpora, & per impulſum corporalis ſpiritus à corporibus factum conceptæ fuerunt. Ac etiam quia tanta eſt inter has internas imagines ſpiritumque cognatio, vt reuolutionem imaginum factam intrinſecus ſequatur ſemper ſpiritus ipſius vibratio, atque viciſſim ſpiritus huius vibrationem comittetur vt plurimum imaginum reuolutio: quando per intelligentiam aliquid ſpeculatur & eligit, dicitur & ſine corpore & ſine auxilio corporis operari: quoniam etiam abſque impulſu illo ſpiritus, & abſque imaginibus inde collectis aliquid videt eligitque ab illis E
prorſus alieniſſimum. Mitto in præſentia quòd Peripatetici vires ſentiendi omnes in anima quidem ſecundum originem, in compoſito verò ſecundum formam ponunt: intelligendi autem in ſola anima collocant: atque hoc pacto illas per corpus agere, hanc verò etiam ſine corpore arbitrantur. Veruntamen naturaliter ſe ad imagines corporalis ſenſus tamdiu conuertere, quamdiu animus corpus naturaliter habitat.

Quòd autem poſtrema hæc operatio quandoque ſine corporali ſubſidio fiat, & priores illæ ſemper per corporis auxilium: hæc quę ſubiiciam ſigna nobis oſtendent. Primum vis ipſa animæ quæ corpore vtitur, quæcunque illa ſit, inſtrumentum ſuum non percipit. Quis enim guſtu linguam ſuam guſtat? Quis per imaginationem vel phantaſiam cognouit ſpirituum imaginumque naturam, quæ vix poſt

diuturnas mentis discussiones agnoscitur? Pateret autem cuique,& facillimè, si per imaginationem & phantasiã cognosceretur. Secundum signum. Vis talis quam vti diximus corpore,neque seipsam nosci, neque propriam actionem. Si visus propriè ex eo quod videt,perciperet se videre:semper dum videmus aliquid,videre aduerteremus:quod mini me fit. Sæpe nanque præsentem hominem patentibus oculis videmus: quoniã verò tunc vis interior animæ ad aliud intenta est,videre nos nequaquam animaduertimus: quasi actus huiusmodi non à visu, sed à vi quadã interiori quando expedita est,percipiatur. Præterea actus videndi,ac similes,quodammodo incorporales sunt, sensus autem illi sola corporalia noscunt. Si actiones suas hæ vires ignorant,ignorant quoque seipsas. Quid enim aliud,certa quędam vis est, nisi principium certo modo quodam & proprio operandi? Ergo qui operationem nescit,nescit & operandi modũ:nescit quoque proprium sic operandi principium. Itaque sensus quinque seipsos ignorant. Sed neque etiam imaginatio & phantasia se noscunt. Nam cum omnes duabus his animæ viribus semper vtantur, omnes facillimè quam naturã hæ vires habent cognoscerent. Nunc verò vix illi ista nouerunt,qui diuturno mentis examine quæsiuere. A

Tertium signum, quando vehemens aliquid viribus iis obiicitur,quod nos violentius agitet:ita eas occupat: vt res debiliores non bene percipiantur,neque ipso eodem tẽpore,neque postea ad tempus. Oculus noster aduersis quandoque solis radiis obrutus,colores alios neque tunc neque postea per aliquod temporis spacium dispicit. Idẽ accidit auribus ex strepitu & tonitru vehementi. Idem quoque sensibus cæteris. Idem imaginationi & phantasię,quotiens horrendis quibusdam imaginibus occupantur. Quod ostendit huiusmodi virium actum cum spiritus vibratione concurrere,atque econuerso: quemadmodũ sensus motusque araneæ,in media tela manentis,tẽsis vndique filis, & aduolantibus muscis,tremorẽ telæ vndique sequitur, atque contrà telæ tremor araneæ motum. Profectò hoc monstrat eas vires materiæ esse propinquas: cũ sæpe ab obiecto quasi vincantur,& corporalium passionum reliquię in spiritu remanentes ad tempus eas confundant.

Quar-

Quartum signum, ab obiecto potentiori non modò actus discernendi confunditur, sed læsio fit in nobis atque molestia, quasi læso spiritu corporali, his quoque à viribus ex mutuo quodam vsu nonnulla contingat offensio.

Quintum: qualitatem sensus imaginemque sibi familiarem non apprehendunt. Candorem suum vel imaginē per quam intuetur, non videt oculus. Calorem suum tactus non iudicat. Ac etiam si calor aliquis alienus euadat ipsi familiaris, non sentit: quod fieri solet in iis qui hectica febre laborant: quorum tactus nequaquam persentit febrem. Vim suam & habitum & conceptas imagines imaginatio quoque & phantasia prorsus ignorant. Vix enim ratio talia reperit.

B

Sextum: post ætatis septimum vel octauum septenariū, quando complexio corporis ad terrestrem qualitatem paulatim incipit declinare, resolutis aut nimium densatis tepefactisque spiritibus, hebescit visus, auditus obtunditur, olfactus obstruit, Riget gustus, tact⁹ arescit: imaginationis phātasiæque solita velocitas retardatur.

Septimum quanto diutius laborant sensus, tanto magis debilitati sentiunt peius atque confusius. Si enim per horā aliquid fixus inspexeris, caligabis: quia resolutis spiritibus vel obscuratis, non clarent in eis rerum sensibilium qualitates imagineque quas sentias.

Octauum. Certum quodam rerum genus attingunt, non omnia genera: quinque sensus sua quisque (vt patet) genera qualitatum: imaginatio phantasiaque proprias harum qualitatum conditiones. Hæc & huiusmodi alia viribus animæ vtentibus corpore solent accidere: contraria verò accidunt intellectui. Ergo intellectus non vtitur corpore. Quod autem contraria menti contingant, animaduerte. Vires illę seipsas ignorant: mens autem se nouit. Inuenit enim se esse: & in qua rerum specie sit: & quam vim habeat. Vires illæ instrumenta quædam habent, atque illa ignorant. Intellectus instrumentum habet nullum: & si quod haberet, cognosceret, postquam & seipsum cognoscit, & alia. Ac inter se & alia instrumentum illud collocaretur. Quòd siquis mentē habere dixerit instrumentum, percontabimur nunquid illud corporale sit: an se aliter habeat. Si corporale responderit: ita per argumentationem Peripateticam refelletur. Omne

C

instrumentum corporale in aliqua specie corporum continetur per formam aliquam sibi propriam. Si tali quodam instrumento intellectus vtatur, non sincere de rebus corporalibus feret sententiam. Nam quicquid per tale instrumentum percipietur: qualitate illius infectum, non tale penitus apparebit quale revera ipsum fuerit: sed quale fuerit instrumentum: vt per rubentes oculos apparet aër rubens, per croceos verò croceus. Quo factum est, vt pupilla omni careat colore: quo possit omnes colores purè suscipere. Sic omni corporea qualitate carere oporteret mentis instrumentum, vt sincere per ipsum discerneret omnes. Non tamen careret omni, si corpus esset: haberet igitur aliquã. Quam vero haberet, non acciperet. Itaque illius similes qualitates per illud mens non cognosceret: quemadmodum tactus cuius instrumentum certam habet caliditatem, similẽ omnino caliditatem non sentit. Sed neque etiam qualitates illius dissimiles purè discerneret: quia illæ per illius qualitatẽ prius inficerentur, quàm mens aduerteret. Denique per instrumẽtũ quod esset corpus, quod esset in certo aliquo genere corporum, quod esset aliquid singulare loco ac tempore circunscriptum, non cognosceret mens præstantius aliquid quàm corpora: neque illa quidem omnia, sed certum quoddã genus rerum corporearum: quemadmodum singuli quinque
D sensus per singula instrumenta singula sentiunt genera corporaliũ. Postremò vniuersale aliquid per singulare instrumentũ non cõprehenderet. Experimur tamen nos per mentem vniuersalia nosse, quandoque diuersa videntur, conuenire simul in natura aliqua reperimus: quando singula quæque in vnam reducimus speciem: quando rem singularem ac propriam cum communi comparantes, differre vniuersale à particulari censemus. Comparare autem inuicem duo hæc non possumus aliter quàm per virtutem vnam quæ vtraque cõprehendat. Quotiens recta ratione genus quoddam rerum verissimarum ab omni corporũ genere ita secernimus, vt in illo nihil corporale cernamus: totiens quicquid dici potest corporale, reiicimus. Non tamen possumus per corporeum instrumentum cuncta reiicere corporalia: quia ipsum saltem instrumentum per ipsummet instrumentum repelli non potest. Et quando abstractam conspicimus

ſpeciem,perque illam vnimus tum nos formis rationibuſque abſtractis,tum nobis eaſdem: tunc corporeum inſtrumentum iis interpoſitum impedimento eſſet potius quàm adiumento.Nam & diuerſiſſimum eſt ab illis,& inferius ad modum:& diſtantiam affert multo magis quam vnionem. Cum hæc ita ſe habeant, mens vti non poteſt inſtrumento aliquo corporali.Sed nunquid alio?Prorſus nullo. Nam ſiquis illi aliud quoduis inſtrumentum adiunxerit,ſciſcitabimur vtrum poſſit abſque ipſo intelligere aliquid:an nihil. Si poteſt,inſtrumento non egeat.Sed dicet aliquis non poſſe.Nos contra poſſe aſſeuerabimus.Iam enim quiſque fatebitur intellectum noſſe ſeipſum:in qua cognitione nullo vtitur inſtrumento.Nam ſi aliquo vteretur ad ſe capiendum: illud certè caderet medium inter mentem & mentis ipſius eſſentiam,quæ ab ipſa per illud comprehenderetur: vbi extraneum aliquid eſſet menti propinquius quàm mentis eſſentia.Et quando potentia mentis reflectitur in potentiam, ſiue actus in actum: nullum ibi interponitur inſtrumentũ. Medium enim aſſumi ſolet propter conuenientiam cum extremis. Nullum vero inſtrumentum cũ potentia & actu magis quã potentia actuſque conuenit. Quiſque etiam con E fitebitur intellectum ſi habeat inſtrumentum,ipſum non ignorare.Nam ob id in primis videmur ipſum non ignorare,quòd eſſe ipſum aſſeueramus:& tale eſſe addimus,vt intellectui ſeruiat.Quinetiam ſi intellectus noſcit ſeipſum,ac etiam externa obiecta:neceſſe eſt vt inſtrumentum quoque nonnunquam nouerit per quod à ſe tranſit in obiecta intelligendo. Præterea quando per obiecta iam nota in actum ſuum ſe vertit,perque actum in virtutem atque ſubſtantiã: nónne cogitur in hac ipſa regreſſione etiam in inſtrumentum ſuum ſi quod habet incurrere,cũ illud inter actũ mentis & virtutem ſit medium? Vbi inſtrumentum ſuũ agnoſcere cogitur.Sed vtrum mens agnoſcit inſtrumentum ſuũ per inſtrumentum aliquod,nécne?Si per aliquod:quæro de F alio atque alio rurſus in infinitum.Si per nullum:ergo non eget inſtrumento ad cognoſcendum, poſtquam ipſum ſine inſtrumento cognoſcit. Ibi ſane quod inſtrumentũ dicitur, obiectum quiddam potius eſt quàm medium. Ac ſi ab hoc in aliud tranſeat cognoſcendo:non de medio in obiectum,

ſed de obiecto priori in poſterius currit obiectum. Sed dixerit forte quiſpiam: inſtrumentum à mente cognoſci non per inſtrumentum aliquod, ſed per ipſummet inſtrumentū. Ego autem quæram: vtrum per ipſam eſſentiā inſtrumenti, an per ipſius imaginem. Non primum: quia mens ſemper illud cognoſceret: cū ſemper ad illud ſimiliter comparetur. Quod ſi per imaginem fiat: iam illud quod inſtrumentum appellabatur, obiectum eſt potius quod cognoſcitur, quàm inſtrumentum per quod aliquid cognoſcatur. Atque imago ipſa cognoſci poteſt nullo inſtrumento intercedente: cū ipſum neceſſariò antecedat: prout inter ipſum animamque
A eſt media. Iam igitur intellectus tam ſeipſum quàm quod extra ipſum eſt, abſque aliquo inſtrumento cognoſcit. Proinde eo ipſo quòd verè ſimplicia veramque ſimplicitatem excogitamus, concludunt Platonici id quod ita in nobis excogitat, neque ex intellectu & inſtrumento conſtitui, neque ex anima corporeque componi: ſed mentem ſimplicem ſolamque exiſtere. Per ſe igitur mens operatur: & hoc etiā pacto nuncupat Plato per ſe moueri. Ergo per ſe viuit: viuitque ſemper.

Pergamus ad ſignum tertiū. Vires illæ à vehementi obiecto confunduntur, vt non diſcernant debiliora. Mens contrà quando magnifica & ardua videt: tum in illis, tū poſt illa clarius & facilius minora & leuiora diſcernit: vtpote quę magna ſit, magniſque paſcatur & creſcat. Pergamus ad quartū, & reliqua. Vires aliæ potenti offenduntur obiecto: mēs nullius rei vel immenſæ conſideratione offenditur: quaſi certæ cuidam humorū commenſurationi non ſit obnoxia. Tardius quidem maxima reperit: quoniā alienis implicata non indagat. Expedita inuenit ocyus: & inuentis tum clareſcit mirificè tanquam parata prorſus ad illarū tū incōparabili voluptate completur, tanquā illis quàm proxima. Quis hic non videat infinitam quodāmodo eſſe vim mentis, quæ nullo finito ſuperetur obiecto? Aliæ præterea vires, qualitates imagineſque ſibi familiares ignorant: mens autē quidnam familiarium neſciat? Quæ & familiaritatē ipſam definit: & ſemetipſam videt, actum ſuum intelligendo: ac ſpeciem per quam intelligit, & habitum & virtutē. Secum igitur habitat mens. Sui ergo ipſius eſt domiciliū? Res quæli-

bet loco naturali seruatur. Ideo seruatur à seipsa mens manetque inde semper incolumis. Accedit, quod robustiores, quantum spectat ad operationes naturales, semper, sensualesque sæpe aliis se melius habent: quantū verò ad intelligentiam neque semper, neque sæpe: quasi intelligentia corporis non sit comes. Adde quod sensuum naturæ per senectutē in operatione deficiunt. mentis vero oculus tunc cernit clarius, fugatis nebulis iuuenilium vitiorum. Diuinè enim Plato, Non floreſcit, inquit virtus animi, niſi virtus cor B
poris defloreſcat. Non acuitur mentis acies, niſi corporis acies hebetetur. Tunc diuinarum rerum sapientia viget: humanarum prudentia consumitur: æquitas pollet atque constantia. Et quod maius est, neque vis etiam ipsa propriè sentiendi quæ est in anima, senio vel morbo deperditur: quamuis oculo læso actus eius intermittatur, ex eo quod non satis sincerè repręsentantur obiecta. Nā & calamo fracto cessat actus scribendi: ars vero scribēdi in animo remanet integra. Quod ars detrimentum inde nullum susceperit, hinc patet, quod interim in seipso scribit: & calamo restituto arbitratu scribit suo. Idem fieret si elingui curaretur lingua: & si pes claudo. Idem si cæco vel lippo oculus curaretur: quasi in corpore damnū fuerit, non in anima. Sępe enim purgato oculo mox videmus. Quod aut non fieret, aut iam etiā sanato corpore fieret serò, si ipsa videndi vis defeciſſet: quæ certum restitutionis suę tempus exigeret, postquam corpus C
exegit suæ. Scitè Aristoteles: si præstes, inquit, seni iuuenis oculū, videbit penitus sicut iuuenis. Si sensus qui certis partibus corporis adscribuntur: neque læsis partibus ipsis, neque senio vim amittunt: mens quæ adscribitur nullis, neque læso toto corpore, neque vnquam deficiet. Hic succurrit nobis ratio illa quam affert in decimo de republica. Socrates apud Platonem: quòd per nullum corporis morbum D
rationalis animus moritur. Quo enim pacto, inquit, corporis morbo peribit, qui proprio morbo non deficit? Corpus siquidem nostrum non alieno perit morbo, sed suo. Quòd si cibi vitio & aëris putredine interit: non prius per hoc perit quàm ex hoc in proprium incìdat morbū: quo propriè morbo dissoluitur. Ac si morbo proprio non periret: nunquam etiam alieno. Nā si non lædatur febre, insalubri cibo

vel aëre non lædetur. Animus autem propria labe id est iniquitate non perit. Iniquus enim animus non minus est animus & vitalis, q̃ sit æquus. Ergo non perit corporis morbo. Accedit, quod corporis morbus animo non infert vitiũ ipsius animi proprium: quoniam animus corpore ægrotante non fit iniquior, sed emendatur sæpe, & morũ studio proficit. Quapropter morbus corporis non modo nõ perdit, sed neque vitiat animum. Ac si quandoque ægrotante corpore
E lædi mens videatur: non tamen est ita. Ociatur mens ibi forte etiam, vel in seipsa agit: vel circa humana negociatur: non læditur. Socrates quando vel ludebat cum liberis, vel eos curabat languentes, philosophiæ sublimioris habitum quidem non amittebat: licet vel non philosopharetur tunc, vllo modo, vel non philosopharetur egregie, dum scientiæ actum viliora considerandi distraheret. Animus noster in corporis oblectamentis ludit cum ipso sæpe. In eius langoribus regit & curat. In vtroque statu intermittitur vel remittitur sublimis illa rationis consideratio: quia vel ociatur ad tempus: vel anxiè nimiũ circa viliora negociatur: re verò pacata resurgit. Ita natura comparatum est, vt ad diuersa simul opera quantum ad humanas vires attinet, non satis sufficiamus. Conuiuæ epulis intenti non bene lyræ modulos audiunt. Dum anima multum concoquit cibum in stomacho, humanæ contẽplationis munus remittit: ideo tunc hebetari videmur. Dum attentius speculatur, ægrè cibus concoquitur. Hinc sæpe corpore languent philosophantes, non languent animo: sed intelligentia tantum excellunt, quantum deficiunt corpore. Ergo quid mirum si corpore febrici tanto, anima sustinendo curandoque ægroto intentissima cessat à contẽplando, & in pueri corpore fabricando, in decrepiti quoque corpore sustinendo occupatissima minus vtitur intellectu? Et cum vapores atri cerebri spiritum occupauerint, atque eo vibrato mouerint horribiles in phantasia species, vnde tetri spectaculi nouitate tota ferè vis animæ phantasiam intenditur: mirabere si interim opus intermiserit contemplandi quod tandem vaporibus resolutis instaurat? Sæpe etiã vaporibus feruescentibus ratio ipsa peruigil imaginum illusiones redarguit: quod in hisaccidit qui cerebri vertiginem patiuntur: quorum non negat cælum

aut terram ruere, licet sensus id asserat. Rursus qui propter morsum canis concitantur rabie, aut furore dęmonis instigantur: nonnunquā etiam in ipsa furoris incursione imminentem insaniam animaduertunt. Et qui insomniis terrentur horrendis, reclamant aduersus phantasiam, sæpe se somniare dicentes. Ergo mens non semper indiget inferioribus viribus: quæ sæpe illis vigentibus ociatur, ociantibus autem viget. Garritū earū dānat: iubetque silere. Si quis autē dixerit mentem illis egere vt excitetur, ideoque sine ipsis nihil penitus operari: ita respondeo: quoniam anima dum corpus habitat, eius sustentationi semper est occupata: atque circa plurima à diuinis remota distrahitur: ideo ad diuinorū intuitū non conuertitur, nisi quantum expressiores aliquas eorum similitudines per vires eius pedisequas, quibus plurimum vtitur comprehendens, excitatur ad ipsa. Postquam verò satis conuersa est, & per crebram conuersionē apte parata diuinorum infusioni, non amplius ad eam contemplationem illarum obsequio indiget, immo eas sopit pro viribus, ne ab ipsis impediatur. Ac semper libens in eo statu perseueraret, nisi curādi corporis vrgeret necessitas. Quod significat mētem posse per se speculationem continuare: & quando ab hac non amplius propter curam corporis retrahetur, libere speculaturam per se sine aliarum virium ministerio: cui satis fuerit antè ab illis minime impediri. Sed quandiu corpore clauditur, propter illud sensuū ministeriū quo paratur conuersioni, accidit vt læso corpore, spirituque obnubilato, quia neque perspicuè obiecta repræsentantur, neque fit clara in sensibus & phantasia perceptio, mens inde ad veram speculationē non facilè excitetur. Fit etiā vt alij aliis ingeniosiores appareant propter spirituū diuersitatem. Quanquā differentiam hominū in artibus addiscendis non tā ingenij quā voluntatis diuersitati censeo tribuendā. Quilibet enim maxima quæque: si studiosè contendi, assequitur. Fit insuper, vt quidam dicantur amentes: quia vel non vtantur mente, vel abutantur. Quippe cū omnis intentio animi in his sit circa vehementiores phantasiæ illusiones nimium occupata. Sed vacuata bile vel atra vel crocea: quæ causam præbet illusionis respiscunt subitò: vt pote qui mentem non amiserunt. Mitto quòd Origenes Plotinusque disputant animas hu-

manas esse quodammodo mentes ex sua puritate delapsas: quando videlicet ab intentione mentis circa ideas ad intentionem potentiæ viuificæ corporum prolapsæ in corpora deciderunt. Et quanto aliæ magis aliis intentius profundiusque ad materiã conuersæ sunt, tanto minus(vt aiunt)intellectualis retinent luminis. Vnde magna in ingeniis moribusque inter animas diuersitas prouenit. Ad quam etiam conducunt ætherea corpora animarum diuersis cæli figuris syderibusque accommodata. Denique varietas geniorũ
B varietatem adducit ingeniorum. Siquis autem animas extitisse per tẽpus ante corpora non concesserit, voluerit tamen ex parte quadam Platonicos imitari, poterit forsitan dicere animas saltem eo ipso momento quo creantur, corporique iunguntur, ita vt Origenes Plotinusque disputant, ferme affici atque disponi: profectò mentes angelicas alias ad inferiora prolapsas, alias minimè: & earũ quæ ceciderunt, alias quidem magis, alias verò minus. Sed mentes hominũ tanquam infimas omnes naturali instinctu cum primũ creantur, ad naturalem partem & corpora vergere: aliasque aliis profundius sese in letheum flumen id est materiam mergere. Atque hoc quidem pacto Pamphilus Origenem, quoad potuit, emendauisse videtur. Sed de his alias. Iam igitur ad
C propositum reuertamur. Siquis parte capitis quadam læsa memoriam videatur amittere, respondebunt Peripatetici, confundi rerũ imagines quæ in cerebri spiritu retinentur: sed species quæ in mente sunt, non lædi propriè, immo(vt ita dixerim)ociari. Oportere enim mentem quandiu corpus habitat, in corporalium species non sine corporalium imaginibus contueri. Addent Platonici quatenus animę in
D tentio circa læsi curationem membri vehementius occupatur, eatenus cognitionem memóriāve remitti atque intermitti. Auicenna & Alganteles dicent mentem ad inferiora conuersam, à diuina quadam mente diuerti: vnde omnem
E intelligentiæ actum putant continue dependere. Quoniam vero Lucretius immortalitati ob eam causam diffidit maximè, quòd imminente morte vires animi deficere videantur: animaduertendum est vitam corporis in humoris & caloris tẽperatione consistere: ideoque mori corpus quando vel calor resoluit humorem, vel calorem humor extinguit.

Vita hominis in quo consistat. Quibus modis corpus moriatur.

Quoniam autem humor caloris pabulum est, calor vehiculum spiritus: spiritus est animæ ad corpus conciliator: fit vt quando resoluitur humor in membris corporis paulatim, anima quoque membra deserat paulatim. Et quia tunc regendo corpore minus quàm soleat occupatur, in mentem suã se colligit: cernit arcana: præsagitque futura. Absit à nobis lucretiana suspicio, animam scilicet cum corpore morituram: quæ debilitato corpore roboratur. Et cum vnio dissolutioni opposita sit, longissime tunc abesse à dissolutione putandus est animus, quãdo se maxime colligit in seipsum, ac deposita animali natura surgit in mentem. Atque id in morte quæ propter resolutionem fit manifestè contingit. In morte verò quæ fit propter extinctionem vitalis animę, vis humoribus tumoribusque curandis intenta est, sensus doloribus iudicandis, phantasia spectandis simulacris quæ ab humorum vaporibus concitantur. Quapropter ratio ad tempus remittit officium, sicut solet in somno nonnunquã: quod resumat post mortis strepitum: sicuti consueuit post insomnia vigilare. Quod autem in eo ipso tẽpore vires dotesque suas nequaquã amittat, illud nobis argumento est, quòd multi qui diligentia medicorũ ab imminente morte reuocantur ad vitam, corporis quidem vires vel nunquam vel serò recipiunt: animi verò mox humore purgato: quasi corporis vires extinctæ fuerint, animi autem lumẽ latuerit potius tanquã sub cineribus ignis, quàm euanuerit. Quis dixerit eundem fore à vita exitũ corporis atque animæ, cũ non sit idem reditus? Redit enim corpus vix seroque: redit animus facilè atque subito. Neque quicquam eo tẽpore amisit sui, cum & naturales & acquisitas dotes subitò rursus edat in lucem, non minus quàm antea consueuerit: vtpote qui sua tunc collegerat supellectilia, non dispersérat: paratusque fuerat tanquam serpens ad exuuias exuendas: non aliter iis claustris egressurus in lucẽ viuens & integer: quàm olim materno vtero cum emissus in lucem. Putat autẽ sapiens quando relinquit corpus, se non parte priuari sua, sed molestissimo onere liberari. Ac de sexto signo iã satis. Accipe septimum illud signũ. Sensus diuturno opere fatigantur, mens vero nunquã. Quanto diutius inspexeris, eo cernes obtusius. Quanto diutius indagaueris intellectu, eo in-

telliges clarius omne corporis sensusque opus vsu defatigatur: mentis verò corroboratur. Solet tamen diuturna cogitatione grauari caput, & oculus caligare: quia mentis exercitium comitantur sæpenumero phantasiæ motus, hos autem vibratio spiritus, hanc læsio cerebri aut oculi. Ipsa vero mentis acies fit leuior & acutior. Quæ certe sine intermissione vlla sursum directa maneret, nisi miserata corpus hoc ipsi commendatum, eius recreandi gratia opus proprium intermitteret. Quod in iis planè conspicitur, qui dum speculantur attentius aliquid, fatigari corpus ægre ferunt, in quibus mens inuita quodammodo cessat ab opere, corpus autem sensusque cessant quamlibentissime: quasi non mens fatigetur operando, sed illa. Quod vero indefessum est etiam immortale.

G Octauum signum est, quòd vires aliæ alicui rerum generi sunt adscriptæ, mens nulli. Quid est enim in eorum numero quæ esse dicuntur, ad quod mentis acies dirigi nequeat? Quæ ipsius quod dicitur ens, essentia, esse naturam & vim descriptione comprehendit. Sub iis verò ea quæ sunt omnia continentur. Reperit quoque differentiam inter esse atque non esse: itaque nouit vtrunque: & esse diuidit quodammodo in partes suas atque particulas: dum quęlibet rerum genera speciesque sub esse disponit. Et, quod maius est, super esse ipsum ascendit: & sub esse descendit: quando ipsum vnum, ipsum quoque bonum statuit super esse: & materiam siue priuationes rerum sub esse locat. Nulli rerum generi mens astringitur, si ambit omnia. Nihil extra se habet, à quo perimatur, quod intra se quodammodo claudit omnia. Concludamus disputationē hoc pacto. Animus hominis si per corpus esset aliquo modo, nihil ageret vnquam sine corporis instrumento vel auxilio. Agit autem sine corporis vsu intelligendo atque volendo: vt per octo signa exposuimus. Non igitur est per corpus. Ergo est aut per se: aut per diuina. Si per se, nunquam se deserit: Si per diuina: ergo per æternas causas est æternus.

Sexta ratio. Anima conuenit partim cum diuinis, partim verò cum brutis.

Cap. 6.

SI anima hominis ex materia(quam fluuium vocant ethæum)scaturiret,nunquam cum diuinis quæ ex eo fluuio non scaturiunt,in operatione coniungeretur. Congruere verò cum illis in operatione, immo etiam in essentia & vita,sic ostendemus. Quoniam videmusomnia tunc maximè aliquid operari, quando in sua specie adulta sunt atque perfecta,cogimur asserere,deum,quia est omniũ perfectissimus,non ociosum esse,sed aliquid agere, postquã operatio perfectionis est signum. Immo verò neque nos aliquid ageremus,nisi ageret ille:quo mouente,mouemur: sicut quo faciente,sumus: & quo afflante viuimus & spiramus.Sed quænam est operatio dei?non quæ aliunde incipiat, aut aliò quopiam tendat,ne cogatur deus aliunde pendere.Est igitur operatiò dei perpetua quędã in seipsum cõuersio,per quam seipso fruatur & gaudeat.Itaque contemplatur seipsum:se contemplando,suam videt potentiam.Hanc intuens,quęcunque potest discernit.Ergo & seipsum simul & vniuersum opus suum actu vnico speculatur. Speculando in se concipit cuncta. Concipiendo extra se quæcunque vult,parit.Similis ferme est in sanctis ministris eius cęlestibusque spiritibus operatio. Se nanque ipsos illi quoque & sua opera speculantur.Speculantur & deum,operaque diuina.Speculatio certè illis sola conueniens est:quia operationum omnium perfectissima.Quod etiam in nobis apparet. Hæc non externa eget materia,vt fabricatio.Neque corporalibus instrumentis,vt sensus.Neque aliunde mouetur,aut aliò tendit,vt operationes aliæ.Neque figurat materiam alienam:sed colit ornatque mentem, quando non alio terminatur,sed definit in seipsam.Neque fatigatur citò,vt alię: sed permanet indefessa.Neq; molesta est vel indiga,vt sunt illæ:sed facilis, plenaque, & gaudio perfusa incomparabili. Si qua igitur ex iis operationibus quæ nobis insunt, supernis est numinibus tribuenda,contemplatio certè tribuenda est,operationum omnium felicissima. Ex iis patet hominis animam in contemplatione cũ diuinis congruere.Cõgruere quoque cum bestiis in nutritione, sensuque, & corporis affectu,non dubitamus. Certæ autem operationes ad conuenientia sibi directè obiecta,certas cõuenientesque requirunt virtutes atque substantias: & quæ proportio est ob-

iecti vnius ad alterum, eadem operationis vnius ad alterã. Eadem quoque virtutis est & essentiæ ad virtutem & essentiam comparatio. Itaque sicut in nobis quod ad corporis vsum pertinet, est operatio cum brutis communis ad commune cum illis obiectum: ita natura cum illis cõmunis apparet. Hæc est nutriendi sentiendique operatio, & potentia atque complexio corporis: quæ in nobis ferme sicut in bestiis sunt caduca. Oportet quinetiã reperiri in nobis potentiam & substantiam cum cælestibus illis communẽ, ex qua E nascatur operatio illa quam habemus cum illis communẽ ad commune nobis illisque obiectum. Quamobrẽ sicut in nobis quodãmodo caducæ sunt nutriendi sentiendique natura & complexio corporalis, quæ circa caduca versantur, & cum caducis animalibus sunt cõmunes: ita immortalis erit contemplandi potestas quæ circa immortalia versatur, & cũ immortalibus est communis: quia non potest operatio eadem nisi ab eadem natura & potentia proficisci. Quis autẽ dubitet contemplationem nostram supernis esse persimilẽ? cũ per eã animus, vt cælestes illi, seipsum & opera sua consideret: inuestiget quoque supernas causas, earũque effectus: item ab effectibus inferioribus per medias causas vsque ad causam supremam ascendat: atque viciſſim à suprema causa vsque ad infimos euentus circulo remeet. Vbi videtur vniuersam diuini operis seriẽ non aliter virtute quàm diuina complecti, & tanquam deus aliquis circunlustrare. Non solum verò intelligentiam cum numinibus communẽ habet, sed etiam voluntatem: cum illorum affectet beatitudinem. F Habet præterea similem actionem, quatenus agit liberè: & suo imperat corpori ferme sicut illa. Ex omnibus iis colligitur animum nostrum cum cælestibus essentia conuenire. Si essentiam habet cum illis communem & proximam & illa nullam habent originem à materia: sequitur vt nullã quoque animus noster talem originem habeat. Præterea si numina illa sempiterna sunt, quia mũdi sphæras eodẽ semper mouent ordine, neque fatigantur vnquã: sequitur vt sit mẽtis essentia sempiterna: quoniã terminata mobiliſque vita nullo modo interminatæ immobilique vitæ es proxima. Tanto autẽ magis conuenit cũ illis immortalitate vitæ, quã intelligentia veritatis & beatitudinis desiderio: quanto vita

ipsa prior est quàm intelligentia vel voluntas. Ac si voluntas est nixus intelligentiæ, intelligentia verò summũ adolescentis vitæ fastigium: animus non aliter dirigitur ad voluntatẽ rectam, quàm per veram intelligentiã: ad hanc quoque non aliter quàm per veram adultamque vitam. Voluntatem habet rectam: quia ad primum totumque bonũ sese confert. Intelligentiã verã: tum quia quatenus intelligentia est, non fallitur: tum quia veras omniũ intus possidet rationes quod aliàs ostendemus. Habeat ergo necesse est veram adultãque vitam. Talis est quæ non est obnoxia morti. Huic nostrę argumentationi illa Origenis fauet summopere, vbi inquit: Omnes naturæ quæ eiusdem principij participes sunt, inter G se sunt similes: ceu oculi, quia omnes lucis participes sunt, cum ad lucẽ natura sua similiter conuertantur: omnes sunt similes: sed tamen pro diuersa lucis participatione alius alio est acutior. Omnes rationales substantię dei participes sunt, cum omnes conuertantur ad deum: ergo similes sunt tum inter se, tum illi. Itaque sicut supremæ sunt immortales, vt angeli: sic & inferiores, vt animæ. Immortales verò sunt omnes, quia deo persimiles immortali. Quam similitudinẽ ostendit illa ipsa in deum conuersio: in quem quidẽ velut in solem, tanquam stellæ, superiores conuertuntur angeli: anima verò in eundẽ: ceu luna: quæ quanuis vicissitudine quadam diuini luminis permutetur, ideoque modo quodã mutabili capiat: inextinguibili tamen percipit ratione. Siquidẽ & inextinguibile ipsum esse, & qua ratione sit inextinguibile, certis rationibus comprehendit.

Obiectio Epicureorum: & responsio de rerum temperatione. Cap. 7.

RElυctabitur iis Diceąrchus, aut Epicureus aliquis, quasi monstro id simile sit, rem scilicet aliquam partim incorruptibilem esse, partim corruptioni obnoxiam. H
At nos affirmabimus naturæ ordinem sine hoc seruari non posse. Sunt aliqua corpora ab omni penitus corruptione semota, vt cæli: quorũ neq; sphæra ipsa, neq; particula vlla corrũpitur. Sunt & corpora iis prorsus opposita, scilicet omnino caduca, puta ligna, lapides, metalla, cęteraque ex quatuor

elementis cõpoſita. Ligni ſiquidẽ particulę nonnullæ quãdoque putreſcunt: deinde etiam totum lignum ipſum deſinit eſſe lignum: quanuis quicquid ita compoſitũ eſt, ob id ſaltem ex incorruptibili conſtet & corruptibili, quod primã in ſe materiam habet perpetuam, formam verò mortalem.

ordo corporũ

Quapropter coniunctio mortaliũ cũ immortalibus neque impoſſibilis eſt, neque rara. Sed redeamus ad ordinẽ inſtitutum. Sunt etiam corpora media: elementorũ videlicet quatuor ſphæræ: partim incorruptibilia, partim corruptibilia.

I

Ipſa quidem tota elementi ſphęra ſuam ſpeciem, ſuũ ſitum, ſuum ſeruat tenorẽ: particulæ verò eius nonnullæ quandoque hinc perduntur, inde inſtaurantur. Cum verò corpora vel à ſpiritibus vel ſpirituum gratia fuerint conſtituta, ordinem corporum oportet ab ordine ſpirituum proficiſci, aut ſaltem ſpirituum ordinem imitari. Sunt ergo ſpiritus aliqui penitus immortales, vt angeli: quorum neque tota ipſa ſubſtantia commutatur, neque vlla vis, neque etiam operatio.

ordo ſpiritũ

K

Sunt alij mortales omnino, vt communis fert opinio: brutorum ſcilicet animæ: quarum permutatur vis operatioque, permutatur & tota ſubſtantia. Sint inſuper oportet ſpiritus vtrorumque medij: vt vnus ſit abſque intermiſſione totius naturæ contextus. Hi per totam ſubſtantiam permanebunt: per particulas aliquas mutabuntur. Tales erunt animæ noſtræ præcipuè, quarum ſubſtantias cogit eſſe perpetuas communis illa cum cæleſtibus contemplatio voluntaſque & actio. Potentias verò aliquas ſiue operationes quandoque ceſſaturas indicat nobis illa cõmunis cum brutis mortalibus operatio, cultui mortalis corporis penitus mancipata: Quippe cum naturales affectus in naturis propriis fundentur, diuerſiſque affectus in diuerſis naturis: videamus autem noſtras animas affectum ad æterna habere, affectum quoque ad temporalia: meritò dicimus eas ex naturis duabus æterna videlicet & temporali cõpoſitas eſſe: quemadmodũ ſi videremus corpus aliquod natura ſua quaſi æqualiter ſurſum deorſumve moueri, diceremus ipſum ferme æqualiter ex grauitate & leuitate componi.

Anima humana qualis

A

Tria vidimus corpora tres quoque ſpiritus: tres nunc accipiamus ſpecies animalium. Animalia vtrinque tam ex anima quam ex corpore ſempiterna, ceu mundi ſphæras, ſtel-

Tres animalium ſpecies

lasque(ita vt Plato existimat)animatas, vt tam corpus earum,quàm anima sit procul à morte. Item animalia vtrinque mortalia,ceu bruta. Interponamus homines ex anima immortales,mortales ex corpore.Multi verò etiam multos dæmones heroesque similes interponunt:neque seruari aliter ordo naturæ potest,nisi cęlesti animę ferme penitus immutabili,corpus omnino incorruptibile tribuatur: Atque bruti animæ penitus corruptibili,corpus omnino mortale: animæ autem hominis,& immortali simul, & quadam ex parte mutabili,corpus detur vtrunque:æthereum vnum secundum Platonem,elementale alterum: vt hominis anima æthereo immortalique corpore, qua parte immortalis est, cælitus induta descendat.In terris verò,qua parte mutabilis est mutabili elementorum corpore vestiatur.Ac meritò hominis animę,licet immortali,corpus corruptibile congruit, propter eam sui partem, qua esse mutabilis demonstratur. Nihil igitur obstat quin possit animal vnum in naturæ ordine reperiri ex anima immortale,ex corpore corruptibile. Idque manifestius homo sit:vt & superior ratio demonstrauit,& Anaxagorę sententia comprobat,quatuor rerum gradus inducens: immortalem æternitatem : immortale tempus: mortalem æternitatem:mortale tempus. Primum esse arbitror mentem,secundum cælum,tertium rationalem animam,quartum irrationalem. Ideo de homine dixit diuinum illud.

θνητὸς ἀιὼν μέρος ἐχει θεοῦ τινος,

id est mortalis æternitas,dei partem habet.hominem æternitatem quidem vocat, tum propter animæ substantiam, tum propter intelligentiam. Mortalem verò tum propter mutabilem animæ partem vel actionem:tum propter corpus ex elementis compositum. Neque absurdum esse Platonici putant, vt in anima actionis motio vnà cum substantiæ immutabilitate concurrat:quando quidem & in cęlo (quod animæ fert imaginem) hæc duo manifestè concurrunt. nihil enim inter corporea cælo mutabilius, nihil contrà stabilius inuenitur. Talem quoque putant esse primam mundi materiam : quæ sic naturalibus subest formis,quemadmodum mens nostra diuinis.

Putant autem mutationem rebus ex ipsarum multiplicita-

D te contingere: ita vt quæ essentiam habent multiplicem, motionem in essentia sortiantur. Quæ verò virtutē actionemque solam, in iis duntaxat mutationē aliquā sustinere. Sed vt capitulum concludamus, nihil prohibet quo minus animæ quanuis indissolubili corpus dissolubile congruat, præsertim cum etiā cæli corpus ex eo dissolubile nominent quod partibus constet extensis, propterea que seipsum continere non possit, sed virtute animæ connectatur. Idē contigisset & nobis, si animæ nostræ similiter atque cælestes à diuina vnitate non recessissent.

THEOLOGIÆ PLATONICÆ
De immortalitate animorum eodem Ficino authore,

LIBER DECIMVS.

Prima ratio. Sicut vltimum in ordine corporum est incorruptibile, sic & vltimum in ordine mentium.
Cap. 1.

E Voniam ordo corporum sub ordine intellectuum collocatur, pendetque inde: ideo corporum ordo non aliter ordinē sequitur intellectuum, quàm pedis vestigium ipsum pedē, & vmbra corpus. Itaque qualem videmus ordinē in corporibus, talē penè debemus in mentibus coniectari. Videmus in corporum ordine sublime corpus, videlicet supremum cælum, in natura sua cunctas vires formarum omnium efficiendarum continere: per quas vtique vires tanquam actiuas & efficaces inferiora corpora ad varias formas suscipiendas disponit. Quapropter variis naturæ suæ viribus, & variis motionis suæ configurationibus corpora inferiora varie mouet & format: vt meritò dici posF sit, sublime cælum formas corporum reliquorum vel actu vel actiua virtute cōplecti. Corpora verò sequentia affirmare possumus illi adeò subiici, vt ipsa quidē in potētia quadā susceptiua

ordo corporum

susceptiua (vt dicitur) & passiua easdem habeant formas, atque actu ab illo suscipiant. Verũ talis ordo seruatur, vt quo sublimius sub illo corpus est, eo magis actiuam potentiam habeat, minusque passiuam. Quod enim primo est proximum, ab vnico primo suscipit, atque patitur: agit in multa. Quod sequenti ponitur gradu, patitur etiam magis: agit minus: quoniam à duobus iam, primo videlicet & secundo, patitur: in sequentia quæ accepit effundit, quousque ad infimã quandam materiam veniatur, quę cum à superioribus omnibus capiat, ipsa tribuit nulli. Itaque in potentia passiua habet quidem formas omnes, quas per successionem à superioribus suscipit patiendo. in virtute autem effectiua habet nullam. Idem in mentibus cogita: quarum principium deus, omnes intelligibiles species vno & proprio habet actu: distribuit omnibus: capit à nullo. Sequentes illum mentes inde omnes accipiunt: & inuicem ita se habent, vt superior inferiori ideas illas lumenque quasi distribuat. Ergo quo altior mens est, eo paucioribus subiecta, pluribus præsidet. A paucioribus igitur patitur capiendo, agit in plures distribuendo. Infima denique mens talis debet esse, vt primo illarũ principio sit opposita: capiat ab omnibus: tribuat nulli. Secundum naturam suam ideas illas in potentia quidem habeat passiua: nullas actiua, postquam ideas non transfundit in aliquem ipsi subditum intellectũ. Quippe in primo potentia sola actiua est idearum, in sequentibus actiua per ordinem & passiua, in infima mente passiua. Ordinem igitur primi cæli obtinet Deus, vicem sequentium corporum mediæ tenent mentes, locum materiæ infimæ infimus intellectus: qui per naturam suam successione quadam omnes intelligibiles rationes accipiat actu, siue videat: neque omnes actu simul intueatur: quemadmodũ corporum formas materia suscipit ab alia in aliam succedendo. Materia hæc quia ex nulla antecedente materia fit, vnde creatore indiget infinito: idcirco à solo creatur siue manat deo. Par est enim vt potentia simplex à simplici fiat actu. Qui quoniam actionẽ suam vltra agentium reliquorum actiones protendit, solus facit materiam: quę gradum tenet vltimũ in natura. Si solus deus creat materiam, quæ est infimum corporalium: solus creat eam mentem quæ est infimũ intellectuũ. Si materia

ordo mentium

opus est omniũ diuinorum operum à deo remotissimũ, intellectuale vero genus est proximũ: & illa fit seorsum à mẽte: multo magis potest mens seorsum fieri à materia. Si talem ordinem habet intellectus vltimus in rerum intellectualiũ genere, qualẽ materia in genere naturaliũ: & materia à nulla re naturali potest fieri: sequitur vt postrem⁹ intellectus à nulla specie intellectus quæ in eo sit genere, possit fieri. Quòd si intellectus huiusmodi à nullo generis eiusdẽ intellectu vel multo præstantiore dependet, multo minus putandus est à genere naturalium, multo insuper minus à materia dependere. Hinc sequitur postremam mentem è materia non educi. Sequitur etiam esse incorruptibilem. Nam cum mentium ordo sit ordine corporali præstantior, atque ordo rerum corporalium tandem descendat in materiam sempiternam: siquidem materia illa nunquam corrũpitur: quis vsque adeo demens erit, vt concedat mentium ordinẽ qui stabilior est diuiniorque corporibus, in mentem postremò desinere corruptibilem? Sit ergo perpetuus oportet vltimus intellectus: qui ita comparatur ad intelligibiles formas, quemadmodum ad sensibiles prima materia. Materia
A vero neque per aliquam sensibilem formam corporali corruptione corrumpitur (per has enim formatur) neque per aliquã intelligibilẽ speciẽ. ab his enim perficitur. Ergo mẽs vltima neque per aliquam intelligibilẽ speciẽ spiritali corruptione destruitur (his nanque perficitur) neque per aliquã sensibilem formã corporali perit corruptione. Præest enim mens, non subest corporalibus speciebus. Neque transit in mentem corruptio corporalis: sicut non transit in materiã corruptio spiritalis. Immo vero si non transit in mentẽ violentia spiritalis, multo minus propter corporum crassitudinem transibit in ea violentia corporalis. Immo etiã si corruptio corporalium subiectam illis materiam non attingit, multo minus altiorem illis mentẽ coinquinabit. *Esto per-*
B *petuus intellectus vltimus. Sed quis iste? Iste inquam est* intellectus humanus. Quòd intellectus in nobis sit, quis dubitat? cũ non possimus nisi per vim intellectus de intellectibus disputare. Et sicut oculus solis lumen non capit nisi per propriũ quoddam sui lumen internũ, ita anima nostra diuinos intellectus nec inuestigat nec intuetur nisi per pro-

prium intellectū. Sed qualis hic noſter eſt intellectus? Hoc ego non curo amplius. Qualiſcunque enim ſit, ſempiternus erit. Intellectus nanque, ſuperiores proculdubio perpetui ſunt, ſi infimus eſt perpetuus. Ego vero arbitror noſtrā mētem idcirco eſſe poſtremam, ſicut & pluribus placuit antiquorum: quoniam non ſimul agit ſua, ſed verſat in ſe viciſſim tanquam Proteus formas, atque intelligit ſuccedendo: quemadmodum luna quæ vltima ſtellarū eſt, viciſſim mutat lumen, cæteris non mutantibus: Sit ergo noſtra mens vltima. Sit etiā ſempiterna. Quia ſempiterna eſt, ſemper inhiat ſempiternis: & illa quotiens à corpore nō turbatur, attingit illico: ſoliſque gaudet vt ſuis atque domeſticis. Motus autem cuiuſque rei ille eſt naturalis, qui fit ſtatim impedimento ſubtracto. Fit autem ad ſimillimum terminum: quia vero eſt vltima, amat corporum naturam ad quā quaſi propinquam accedit, viuificat & gubernat.

Obiectio Epicuri & reſponſio de rerum ſerie. Cap. 2.

TEmere hic rurſus Epicurus exclamat portentū eſſe hoc vt diuina mortalibus hæreant: vtpote qui non videat abſque diuinorum ſtabiliumque conſortio non poſſe conſtare mortalia. Latuiſſe illum puto oportere rerum ſeriem ita in ſuis partibus digeri, vt cum multi variique ſint rerum ordines in natura, ſemper ſuperioris cuiuſque ordinis infimæ partes ſupremis partibus ordinis inferioris proximè ſubſequentis quodammodo copulentur. Hoc nos docet ætheris cum elementorum natura cognatio. Siquidem luna pars ętheris infima proxima elementis, elementale nō nihil habere videtur, tum crebra illa mutatione figuræ: tum ipſa lucidi fuſcique corporis ſui varietate. Rurſus ignis altiſſimum elementum cælum proximum imitatur: quoniā cæli inſtar mouetur & fulget. Idem oſtendit & ipſa inter ſe naturalis elementorum quatuor diſpoſitio, vbi pars infima ignis humidior eſt, & quaſi tepeſcit vt aër. Suprema regio aëris tenuatur & quaſi feruet vt ignis. Ibi ignis aëreus eſt: igneus aër: atque ita in vnam compagem copulantur. Idem infima plaga aëris & aquæ ſuprema faciunt, vbi aër obnubilatus liqueſcit vt aqua, aqua item extenuata vaporibus ex-

halat vt aër. Terra rursus altior, pinguis & lubrica fit instar
aquæ. Aquæ imum turgescit in terram, & sæpe glaciatur:
vt terra. Vltra elementa vapores ipsi crassi, fumique, corpo-
ra iam composita sunt: sed proxima elementis. Postea pau-
lo solidius glutinantur: fiuntque lapides aliqui spongiosi &
F rari, propinqui vaporibus: postmodum lapides reperiuntur
duri ferme speciosique sicut metalla. Ex metallis ferrũ plũ-
bumque sunt propinqua lapidibus: argentum & aurũ pro-
pinquiora sunt plantis: quoniam horum nitor & splendor
flores referunt candidos & purpureos. In plantis ruber ex-
cedit metalla: quia manifestius nutritur & augetur: paulum
tamen: quia non habet varium partium ordinẽ. Nobilissi-
mæ arbores propinquæ sunt brutis. Radices oris loco ha-
bent. Ramos vt crura, brachia, & similia. Sextum habent v-
trunque nonnullæ arbores, masculinum & femininum: vn-
G de propè sitę vberius pullulant. In brutis ostrea vno tantum
superant plantas, quod sensum habent tactus, sed fixa terræ
penè nutriuntur vt arbores. Multę quoque bestiolę sine co-
itu sponte nascuntur vt herbæ. Sunt & simiæ, canes, equi, &
H elephantes, & aliæ bestiæ hominibus in quibusdam figuris,
gestibus, artificiisque persimiles. Sunt stolidi homines & i-
gnaui (vt apparet) his quoque quàm proximi: sunt heroici
homines aliorum duces, supernis numinibus cognatissimi.
I Esse rursus oportet spiritus hominibus familiaritate coniũ-
ctos: quorum instructione magicæ artis Plato vult reperta
fuisse miracula: quẽadmodũ & instructione hominũ bestię
nonnullę nobis propinquiores mira sępe supra suam speci-
em operantur. Atque hos, dæmones heroésve ita esse nobis
affectu proximos, sicut natura atque situ, adeò vt quibusdã
perturbationibus afficiantur humanis, atque alij aliis faue-
K ant personis & locis, alij insuper aliis aduersentur. Siquidẽ
Aegyptij, quos sequuntur Origenes & Numenius & Por-
phyrius, multos autem esse dæmones qui ad superiora ani-
mos erigunt: multos etiã: qui ad inferiora detorquent: pes-
simos autẽ in occidente dęmones esse, in septentrionali etiã
plaga malos, bonos in meridionali, optimos orientalẽ cole-
re regionem. Dæmonibus autẽ apud illos inferioribus su-
periores præsunt: his quoque alij, quos angelos nominant.
Item angelis archangelos, archangelis principatus Platonici

prę ferunt, principatibus autem intellectus quosdam qui dij iam participatione quadā denominentur: summo semper deo pleni, diuinoque nectare ebrij. Si in omnibus rerū generibus confitemur infima quęque antecedentis ordinis cū supremis ordinis succedentis esse coniuncta, & inuicē quoquo modo confundi: cur non fateamur infimum intellectū cum suprema animarum sensitiuarum ita esse coniunctū, vt cum hæc, quanuis mortalis, imaginem aliquā habeat intellectus: quod est in bestiis sagacissimis manifestum: intellectus quoque postremus licet diuinus sit, sensitiuā tamen quandam habeat brutamque naturam, per quam conuenienter ad corpora terrena declinet? Præsertim cū deceat non humanam modo mentē, sed alias quoque omnes quæcunque impure quodammodo sunt, cū purioribus corporibus conspirare. Impuræ verò mentes animæ omnes rationales sunt: quæ licet puræ animæ sint, ideo tamē sunt mentes impuræ, quia mentes sunt animales. Mentes inquā ita mouendis corporibus deditæ, vt vestigia sua vitalia animaliaque corporibus imprimant. Purę verò mentes sunt, quę mentes sunt solū: neque animalia ex se fundunt simulacra regendis immersa corporibus. Pura verò corpora sunt apud Platonē duodecim ipse mundi sphęræ: cęli octo: & elementa sub cęlo quatuor. Quinetiam partes quædā in iis sphæris singulis precioſissimæ. Animæ itaque rationales sphæris omnibus insunt, gradatim pro sua dignitate disposita. Sed ipsam vnā vnius machinæ animam Iouē nuncupat Plato: animas autē duodecim sphęrarū duodecim vocat deos Iouis pedisequos. Sphærarum partibus purioribus similiter attribuit animas mentis participes: stellis scilicet & planetis: quos etiā vocat deos. Ignis partibus dęmones, heroesque igneos. Aëris clari aëreos. Aëris caliginosi aquaticos dæmones, atque heroes. Purioribus postremo terræ partibus mentes copulat: quæ humi habitantes homines appellantur. Interdū etiā dęmones heroesque in terra ponuntur. Neque sub luna tantum, sed etiam in cælis vltra stellas dæmonum heroumque turbas quamplurimas collocat. Sed in omnibus sphæris vltra dæmones heroesque principes animas ponit particulares: siue dæmonicas heroicasque: siue humanas: quæ non semper ęterna sequantur: vt principes illi: sed ęterna temporaliaque

M

N

pura corpora

Animæ sphærarū mentes participes

A

vicissim : & corpora vitamque mutent: tum ascendendo in melius, tum in deterius descendendo. Proinde quot stellæ sunt, totidem subesse dæmonum heroum animarumque turbas. Sub Saturno Saturnias, sub Ioue Iouias, Martias verò sub Marte : similiterque deinceps. Mitto quod omnia
B putat in omnibus esse, sed in terra modo terreno: in aqua aquatico : similiterque in aëre atque igne. In cælo quoque pro cælesti natura. Omnia in luna pro natura lunari : in sphæriſque aliis eodem pacto: adeo vt sphæra quælibet suo modo & propria qualitate totus fit mundus.

Sed vt iam propositum concludamus: Sic erunt aliqui spiritus extra corpus atque perpetui, item aliqui iis oppositi in corpore, atque mortales. Sint ergo oportet medij: qui vel extra corpus sint: & mortales: quod fieri nequit : vel in corpore quidem: sed immortales. Primi illi sunt supernæ mentes, quos vocant purissimos angelos : qui & gradibus inter se quàmplurimis distinguuntur. Illis oppositæ sunt animæ bestiarum. Medium obtinebunt rationales animæ: quę sunt quasi angeli quidam inferiores. Neque absurdū est esse spiritum in corpore aliquo immortalem : cum etiam reperiatur corpus aliquod immortale: quod est cælum: & tota ipsa quælibet vniuersi sphæra. Immo decet omnibus prȩcipuis mundi corporibus spiritus adesse perpetuos, quasi formas. Siquidem omnibus (vt plerique putant) perpetua inest materia. Oportet autē à formis quibusdā vbique materiā supe
C rari. Conducit ad idem Aegyptiorum opinio illa à Platonicis quidem omnibus, præsertim à Proculo confirmata: videlicet ad consonantiam mundi perfectam esse oportere non solum animalia quædam rationalia, immortaliaque: atque contrà animalia irrationalia & mortalia simul : verùm etiā multa inter hæc media rationalia quidē, sed mortalia, non
D in terra solum, sed etiam in cæteris elementis. Non tantū igitur homines in corpore mortali habere animos sempiternos, verùm etiā multos dæmones partim propinquos nobis, partim longe sublimiores: quorum corpora gignantur atque intereant : quanuis diutius quā nostra gradatim diutiusque viuant. Non enim decere putant, vt à cælestibus animalibus, rationalibus, sempiternis, felicissimis: ad animalia terrena rationalia quidem, sed infeliciſſima, vitaque bre-

uissima, subitò descendatur: immo per gradus quosdã animalium rationalium quæ feliciora quidem sint, & diuturniora quàm homines: non tamẽ sempiterna, corpore vel animo beatissima. Idẽ quoque Plutarchus, & familiares eius, Demetrius philosophus, Aemilianusque rhetor affirmant. Testantur enim ex multis prodigiis quę suis tẽporibus contigerunt, Pana magnũ dęmonẽ, alioſque multos dæmones eiulasse primũ, deinde etiã obiisse. Itaque sempiternæ mentis cum corpore humano quanuis caduco consortium haud ita absurdũ est, vt Epicureus Lucretiusque existimant: præsertim cum nostra mens ita sit vltima mentium, sicut stellarum est vltima luna: atque vt luna ad solem, sic nostra mens referatur ad deum. Luna circa solem ita reuoluitur, vt aliàs luceat: aliter & varie figuretur, nunquam tota luminis recipiendi facultate priuetur. Habet insuper nitidum in se quid dam, habet & fuscum. Habet denique opacum quiddam, quod impedit ne tota refulgeat. Mens humana similiter diuini solis radio fulget quidem semper, sed aliàs aliter: mutatque figuram: nunquam tota resplendet. Neque quod in ea splendet, splendet æqualiter. Præter diuinam eius rationalemque virtutem subest pars quædam opaca: & vacua ratione: quæ tanquam lunaris illa opacitas ad elementa, sic ipsa ad materiam corpusque declinans, relinquitur luminis expers. E

Ergo naturali rerum ordini consentaneum esse videtur, mentem vltimam, quanuis sempiterna sit, cũ corpore quodam licet caduco posse coniungi. Mitto quòd Xenocrates & Speusippus, Iãblichus & Plutarchus putant ab ipsa sempiternitate vim procedere sempiternam, non solum vsque ad mentes vltimas quæ reflectuntur in ipsam, sed etiam vsque ad animas bestiarum. Numenius insuper ad plantas vsque producit: Plotinus denique etiã ad naturam. Nos autem Porphyrium Proculumque sequamur, eatenus putantes vitam cognitionemque procedere sempiternam, quatenus propria in eandem conuersio reperitur. Illa enim quandam in se æternitatis retinent rationem: quæ in ipsam ipsius tum ratione tum gratia, nec solum motu alieno atque communi, sed etiam suo & proprio reflectuntur. Sed nunquid humanum corpus ea est dignitate donatum: vt F G

mentem perpetuam excipere hospitem mereatur ? Proculdubio neque turbari ex hoc debemus quod natura variis propugnaculis instruxit corpora bestiarum,& adiumenta suppeditauit ad victum,nobis nihil tribuit tale. Non enim voluit delicatam æqualitatẽ nostri corporis deformare:neque potuit infinitis actionibus hominis, quæ infinitam sequuntur cogitationẽ, innumerabilia vel propugnacula vel instrumenta suppeditare:sed,vt inquit Aristoteles,dũ mentem manũque dedit: artes omnes atque omnia instrumenta concessit.Bestias autem facilè finitis munimentis instruxit: quibus determinatas actiones phantasiæ ad certũ quiddam natura directæ exequeretur. Arbitramur verò corpora nostra esse idonea mentis hospitia, tum propter figuram erectam,non humi sed superne spectantem,& cælũ quasi patriam suam propius agnoscentem:tum propter membrorũ variorum decorem omnino mirabilem.Tum quia ignis & aër elementa purissima in nobis valent quàmplurimũ:quod etiam indicat agilitas corporis,procerus habitus,& erectus aspectus.Maxime verò propter complexionem temperatissimam,quæ significatur ex delicata,leni,firma & nitida carnis mollitie : quæ non fit nisi exactissima elementorum tẽperatione: Aquila viſũ hominẽ superat, multæ aues auditu, canis olfactu:nullum verò animaliũ gustu vel tactu. Quod plane perspicitur ex eo, quod homines in epulis,poculis & venereis immoderatius profunduntur quàm bruta licet ratione nonnunquã cohibeantur.Par est enim vt auidius quã bestiæ eas voluptates adsciscant,quas sentiunt, & acutius. Tres illi sensus superiores tunc expeditissimi sunt, quando siccum est cerebrum. Quam siccitatem non tradidit deus homini:cuius cerebrum quiescit nunquam:ne forte si esset natura siccũ,etiã continua agitatione arescens, citius quàm decet exsiccaretur. Gustus nihil aliud est quàm tactus aliquis linguæ. Tactus cum vniuersalis sit sensus, tum omnis animalis,tum corporis vniuersi:vbi acutissimus est,declarat optimam inesse corporis complexionem: ob id potissimũ, quòd cũ fiat in neruis: qui quando aridiores sunt, sentiunt male:vbi acutus est tactus, significatur inesse mollitiẽ:quæ temperet neruorum ariditatem. Præterea sensuum instrumenta nunquã actu eas qualitates habere debent,quas sen-

Corpus nostra esse bonum mentis hospitia

I

Cerebr. siccum cum Sum.

K

fus est percepturus. Pupilla enim coloribus, auditus sonis, ol factus odoribus caret, lingua saporibus. Cū verò tactus versetur circa quatuor qualitates, & elementorum: oportet vt vel careat illis omnino: quod fieri nequit in compositō corpore: vel ab earum excessu procul absit: ita vt in eius instrumento nulla videatur qualitas dominari: sed quasi quædam expulsis qualitatibus harmonia. Opus fuit tamen multum terræ & aquæ secundum molem nobis inesse: vt vim ignis aëriſque longe vehementiorē aqua & terra molis abundā- A tia temperaret. Datum quoque nobis est maius cerebrū, & cor calidius quàm cæteris animantibus. Illud quidē, vt per varia instrumenta speculationi suppeditet: hoc autem vt & multi & clari spiritus assint cerebro. Suspensum etiā caput est: ne grauium humorum sordes descendant ad cerebrū, & inquinent spirituū puritatē. Vehemens quoque tū cerebri frigiditas humiditasque, tum cordis caliditas atque siccitas, tam se inuicem quàm membra omnia temperant. Ideo in homine videtur esse complexio omnium temperatissima. Quæ si terrea esset, vt bestiarum fere omniū: cornibus, dentibus, vnguibus, rostriſque durioribus, aspera & hirsuta pelle, squamis essemus obducti. Nunc verò cōtra ita affectū est corpus humanū, vt neque caloris & siccitatis excessu sit asperum, neque frigore nimio rigidum aut pigrū: neque humore superfluo fluxum & lubricum: sed delicatū pariter atque solidum. Quod etiam intelligitur ex alimentis quibus assidue vescimur, aëreis, dulcibus, attritis, tenuatis, liquefactis, concoctis tēperatissimis: bestiæ verò contrariis. Qualis B autem cōplexio est, talia alimenta cupit: & qualibus vtitur alimentis, talis euadit. Concludamus igitur hominē ad contemplandum esse natum, vt Anaxagoras inquit, Postquā ita in eo tam cerebrum quàm reliquum corpus constitutū est, vt continuo contēplationis officio seruiat: quod & cerebri requirit mollitiem: & complexionem corporis temperatā: illam, ne speculando nimium exsiccetur: hanc ne humorum tumultu à contemplando detorqueatur. Cum vero tanta sit & tam sublimis nostri corporis moderatio, vt cæli temperantiam imitetur: nihil mirū est si cælestis animus hanc ad C tempus ædem habitat cælo simillimā. Neque tamen carni infunditur primum, sed mediis ducitur competentibus: vt

Magi Persarum docent. Primo quidem in ipso descensu cælesti aëreoque inuoluitur corpore: deinde spiritu ex corde genito: qui in nobis cæli instar tẽperatissimus est, & lucidissimus. His mediis corpore clauditur crassiore. Atque iis omnibus eque fit proximus: licet per aliud in aliud se transfuderit, sicut calor ignis aëri & aquæ hæret proxime, quauis per aërem trahatur ad aquam. Ac meritò immortalis anima per immortale corpus illud æthereũ mortalibus corporibus iungitur. Perpetuum quidem illud colit semper, hæc ad breue tempus mortalia: vt merito appellari animus debeat deus quidã: siue stella circunfusa nube: siue dæmon:
D non incola terræ, sed hospes. Hospes nosce teipsum. Scito te esse cælestis patriæ ciuem. Ciuem natum ad cælestia contemplanda. Memento si finis tuus est contemplatio, vitam tuam augeri ac perfici contemplando. Cũ verò ex hoc ipso vita corporis quodammodo remittatur, sequi vt in ipso vitæ corporeæ detrimento atque interitu non decrescat tua vita, sed crescat.

Secunda ratio. Sicut in rebus naturalibus fit resolutio ad primam materiam immortalem: sic ad formam vltimam immortalem.

Cap. 3.

E ORdo naturalium corporũ ita est institutus vt in primam descendat materiam & in vltimã ascendat formam. Et quo magis materia quæuis ad materiã primam accedit eo potior materia sit: id est verior puriorque materia. Quo magis aliqua forma ad vltimam formam: eo fit forma perfectior. Materia enim prima materiarum materia est. Forma vltima est forma formarũ. Accipe hoc exemplo quod volumus. Corpus animalis in membra quasi materiam suam diuidimus: membrũ quodlibet in humores quatuor: qui sunt quædam membri materia. Similiter humorem quemlibet in quatuor elementa. Elementũ vero in materiam simplicem: ad quam deuenire tandẽ oportet: ne descendamus in infinitum: ne vt compellamur econuerso ascendere sine fine. Nusquam enim erit actus mixtus, si nusquam mixta potentia fuerit. Nusquam rursus actus purus inuenietur, si nusquam potentia pura valeat reperiri. Et

cum actio ab actu puro exordium habeat, passio à pura potentia, actiones passioneſque nuſquam erunt. Sit ergo oportet materia ſimplex. Hæc vtique materia ſimplex quæ ſubiecta eſt elementi formæ, prima materia nominatur: quoniam ipſæ naturæ artifex in corporibus fabricandis principio hanc materiam accipit nudam: mox elementorum veſtit qualitatibus atque formis: tum elementa in ſpeciē producit humorum: deinde humores in formas membrorum digerit: membris addit ſpeciem nutriendi: huic ſentiendi formam: huic tandem intelligendi. Intellectiua verò natura eſt duplex. Vna quæ adeò eſt à corporibus aliena, vt nullam illis vitam præſtet: hæc ideo materiæ vel corporis forma non dicitur: & ordo ille corporum in hanc mentis naturam ceu propriam formam non deſinit. Hunc gradum apud Platonem ſublimes obtinent angeli. Sed eſt altera natura mentis: quę corpori iuncta quodam quaſi fœdere cum ipſo conſpirat: in quam velut vltimam materiæ formam aſcendit progreſſio corporum. Progreſſionis huius duo ſunt termini: materia infimus, mens iſta ſupremus. Si longiſſime inter ſe diſtant, conditiones inter ſe oppoſitas habent. Ergo ſicut materia prima, mera materia eſt, natura ſua expers omnino formæ, omnibus ſubiecta formis atque materiis: ita vltima illa forma, ſcilicet mens, mera forma eſt, ſcilicet expers omnino materiæ: formis omnibus earumque materiis præſidens. Item ſicut materia prima à primo eſſe diſtat longiſſime, atque eſt proxima nihilo, vnde inter eſſe & nihil ponitur à Platone: ita vltima forma longiſſime diſtat à nihilo: atque eſt primo eſſe quàm proxima. Hinc tria ſequuntur. Primum, quod vltima forma nulla ex parte pullulat à materia. Secundum, quòd à ſolo fit deo. Tertium, quòd permanere poterit immortalis. Primum horum concluditur ex prima comparatione quam induximus. Secundum ex ſecunda. Tertium ex prima ſequitur & ſecunda.

Ex prima ſic: Si eſt expers omnino materiæ corporalis, quæ pernicioſæ mutationis initium eſt: procul eſt à pernicie.

Ac ſi mutabilium rerum caput eſt: neque mutabilibus rebus ſuccumbit, neque mutationem ſuſcipit aliquam niſi vitalem. Ex ſecunda vero ſic. Si terminus nihilo proximus non tendit in nihilum, quid mirum terminum à

nihilo remotissimum, & primo esse proximum, neque ab esse extrudi vnquam, neque trudi in nihilum? Rursus perfectior est formæ quam materiæ natura: cũ materia à forma perficiatur atque ornetur. Ergo quemadmodum de materia in materiam descendentes gradatim ad materiam primam corporum deuenimus sempiternam: ita etiam de forma ascendentes in formam, paulatim in vltimam corporum formam sempiternã prouehimur: ne ascensus sit imperfectior quàm descensus: ac supremus terminus imperfectior sit q̃ infimus. Decet eam intellectualem formam ad quam tanquam finẽ totus vniuersę naturę tendit conatus, vsque adeò absolutam consummatãque esse, vt sit procul à morte: medias verò formas immortales esse non est necessarium. Eas
K enim paruifacere naturavidetur: cum illas non tam propter ipsas quàm propter vltimã eligat. In quo sanè videntur prę-parationes quædam materiæ ad formam vltimam capiendam potius quàm formę principales existere. Per illas quasi vias transit ipse motus impetusque naturæ: in illa sistit natura motum. Merito igitur illæ ab esse in non esse transibunt: illa quiescet in esse: vt naturæ finis maneat sine fine. Dici-
L mus autem totum vniuersæ naturæ conatum ad id potissimum dirigi, vt animal intellectuale sit ex eo quòd intellectus adsit corpori: vt autem intellectus ipse in se sit, actionẽ duntaxat diuinam posse conferre. Et cum ab ipsa duntaxat
A æternitate dependeat, æternum fore. De intellectuali autem animali quidnam dicemus? Magi non dubitant id quoque in sua temperantia permansurũ fuisse, vt Plato in charmide scribit, si modo animus in sua id est diuina tẽperantia permansisset. Ab ipso enim omnem tum consonantiam tũ dissonantiã corporis proficisci. Idẽ prorsus lex Mosaica Christianaque docet. Verùm quòd vniuersus ordo ob inordinatum animi motum olim amisit, ipso tandem ordine prę-ualente rursus in ordinem esse redigendum: non Moyses solũ, sed Zoroaster, Mercurius, Plato cõsentiunt. Sed de his aliàs. Nunc iam quod erat propositum concludamus. Sint igitur termini corporalis ordinis vtrique perpetui, & infimus, & supremus. Supremum vero terminum, vltimamque formã
B esse rationalẽ animã prisci theologi putauerunt: quibus cũ Aristoteles consentit in libro de diuinis duodecimo, vbi de

causis efficientibus & formalibus disputans inquit, causas quidem mouentes materiam præcedere formas minime. si autem post materiã forma aliqua maneat, esse perscrutandum. Nã in quibusdam nihil prohibere, vt si est anima tale, non omnis, sed intellectus. Idem in libro de naturalibus secundo inquit, philosophi naturalis inuestigationẽ vsque ad illam formam protendi, quæ separata quidẽ fit simul & in materia. Quam esse hominis animã ipse ibi significat: & ita Peripatetici omnes exponunt. Nos autem putamus tũ priscos theologos, tum Aristotelem tali quadã ratione in hanc sententiam concurrisse, quòd sicut complexio temperata est finis ad quem diriguntur omnes motiones complexionesque naturales: ita rationalis anima, cui subest temperata cõplexio, finis est formarum omnium naturalium: Rursus illa est vltimæ formæ conditio, vt neque omnino sit absoluta, neque omnino immersa corporibus. Si omnino esset libera neque quicquã per corpus operaretur: corporis forma non esset. Si obrueretur omnino, neque ageret aliquid absque corpore: non esset vltima forma. Esset enim hac vlterior illa quæcunque talis esse reperiretur: vt partim quidẽ iungeretur corpori, partim non iungeretur. Qualẽ profecto esse C
aliquam oportet: vt inter substantiam illam angelicã à corpore omnino seiunctam, perque illud nihil agentem: atque formam aliam omnino coniunctã corpori, perque corpus agentem omnia, qualis est anima bestiarum: forma quædã sit media: partim iuncta corpori, partim etiam separata: vt aliquid per corpus efficiat, aliquid per seipsam. Talis est autem rationalis anima omnis: quia & regit corpus, & speculatur. Humana quoque talis est proculdubio: quæ nutriendi & sentiendi opera per corporis exequitur instrumenta: intelligendi autem & eligendi actũ perficit per seipsam. Sic angelus tam per substantiam quàm per operationẽ est à materia separatus: & in æternitate totus, quia totus in statu.

Brutorũ animæ per vtrunque coniunctæ, & totæ in tẽpore: quia per vtrunque mutãtur. Rationales animæ quia partim coniunctæ esse debent, partim etiam separatæ: neque esse possent per aliquid separatæ, si coniunctæ per substantiã essent: necessario sunt per substantiã separatę, siue separabiles: quia scilicet nullam habent originẽ à materia vel ab agen-

tibus instrumentisque corporeis. Sunt autem coniunctę per operationes: non quidem per omnes operationes, sed infimas: & id quidem non violętia, sed amore. Vnde secundum Chaldæos in confinio sunt æternitatis & temporis. Per substantiam quidem in æternitate sunt, per operationes in tẽ-
D pore. Siquidem illa manet, istæ mutantur. Decet enim inter quod omnino est æternum, atque id quod penitus temporale, esse aliquid partim æternum, partim etiam temporale. Et inter id quod semper est, atque id quod fit aliquando: esse aliquid quod fiat semper. Tale quidem est cęlum: & permanens substantia semper, & mobile. Rursus talis ipsa mũdi materia: atque ipsa etiã (vt ita dixerim) corporeitas. Præterea ferme talis est anima, quę fluit semper effectu & actu: quanuis substantia maneat. Vnde declinat ad corpora quæ fluunt insuper per substantiam. Talis profecto anima ideo forma est corporis vltima, quia format quidẽ regitque corpus. Verum ita penè excedit naturam corporis, vt in ipso sit limine: ac paulũ quid prætergressa limites corporis sit penitus relictura. Nẽpe multo magis separata est, quàm coniuncta. Communicat nanque illi partem sui, siue potentiã inferiorem quam habet cum brutis plantísve communem. Partem verò præcipuam, diuinis persimilẽ: in qua tota consistit rationalis animæ ratio, semotam habet à corpore in
E essentia, quia etiam in actione. Et quotiens operatur per intellectum, primo naturalique instinctu ad separatas rationes sese confert: quod quidem omnes Peripatetici confiten tur. Ad singulas verò coniunctasque formas non primo aut recto, sed secundo & obliquo quodam actu se torquet: quatenus ad simulacra vnde species intelligibiles procreauit, se reflectit. Quis ergo non viderit vim rationalem magis separatam esse quàm coniunctam? Siquidem ad separata rectè & primò, ad coniuncta obliquè actu sequenti se vertit. Quæ tunc maximè quod vult assequitur, quando longissime discedit à corpore. Contrà quando per sensus descendit ad corpora, tunc fallitur, & innumeris passionibus perturbatur. Non potest autem rerum mortalium esse similis, si illarum pręsentia fallitur & turbatur. Immo verò similis est
F diuinarum vt in Phædone docet Plato: quia quo illis hæret propinquius, eo clarescit magis, gaudet. Quiescit autem in

loco sibi naturali res quælibet, angitur in alieno. Vnde apud Platonicos apparet non esse in corporibus mortalibus, quatenus mortalia sunt, naturale intelligentiæ sedem. Ergo paululum quid abest vt rationalis anima sit prorsus à corpore separata. Est igitur forma vltima: cum super eam non sit forma alia corporis: infra verò sint multæ ita dispositæ, vt gradatim huic animæ propinquantes quasi super materiam eleuentur.

Obiectio Epicuri: & responsio de formis deo similimis. Cap. 4.

SOmniare nos Epicurus inquit quando formas excedere vllo modo materiam qua sustinentur, asserimus. Absorberi eas vsque adeo à materia putat, vt impossibile sit aliquam licet excellentissimam formam aliquid vltra materiam operari. Nos autem omnia naturæ opera (sicut Plato in Philebo scribit, Aristotelesque confirmat) à diuina quadam perfici arbitramur intelligentia, quæ quidem cælos velut instrumenta sua reuoluens, & citans, vt Plato inquit, cæleſtem currum, inde inferiorem hanc elementorum formatmateriam. Atque vt in arte operis forma triplicem habet gradum (Est enim primum in artificis animo, secundo in instrumentis ab eo agitatis, tertio in materia inde formata) ita formæ rerum quas deus per cæli motus vel traducentes vel præparantes hîc generat aut creat, primum in ipso sunt deo: deinde in cælis tanquâ riuulis aut sedibus: postremo in hac inferiori materia. Oportet autem materiam hanc, quandoquidem à diuina intelligentia sic agitatur, susscipere ac præ se ferre exactissimam aliquam diuinæ intelligentiæ formam. Quod etiã in natura & artibus fieri cernimus. Vitalis siquidem natura animæ per calorem naturalem tanquam aliquod instrumentum materiam agitat alimenti à nobis sumpti, redditque vitalem. Vita hæc alimento tributa, non caloris illius imitatur formam, sed animæ. Calor enim ex se vitam non generat. Pictor etiã per instrumentum suũ penicillum formã aliquam signat in pariete: non penicilli similem, sed animi sui potius: qui eam in se prius conceperat, & postea parit. Igitur tam secundum na-

turam quàm ſecundum artem operis forma formam refert
I agentis. At enim in hoc gradum triplicem reperimus. Aliã formam videmus propinquiorem materiæ quam agenti: aliam agenti propinquiorem quàm materiæ: mediam vero nonnullam. Accipe primum exemplum aliquod in natura. Anima quippe per inſtrumentum illud ſuum calorem ſcilicet naturalem, cibo digeſto triplicem tribuit formam. Nã craſſioribus cibi partibus formam tribuit oſſium: oſſa nanque ex illis generat atque nutrit. Tenuiſſimis vero partibus vt plurimum ſpiritus ipſius adhibet formã: quia ex illis ſpiritum recreat. Mediis denique formam præſtat carnis atque neruorũ. Hæc omnia exequitur naturalis ille calor, non ſua virtute, ſed animæ. Ipſe enim vrit tantum natura ſua, atque diſſoluit: ſed ad huiuſmodi opera per virtutem animæ tẽperatur. Forma oſſium remotiſſima eſt ab anima, & materiæ
A proxima. Nullus enim fit ſenſus in oſſibus. Forma carnis atque neruorum propinquior eſt animæ quàm oſſium. Senſus enim per hæc fiunt. Senſus inquam hi quinque, qui nondum tamen longiſſime diſcedunt à corpore, cum nihil vnquã niſi præſentibus externis corporibus agant. Forma denique ſpirituum eſt animæ proxima: quippe cum hi iã imaginationi & phantaſiæ excellentioribus animę viribus modo quodam ſubſeruiant. Exemplum habes in natura. Accipe inſuper exemplum in artibus. Inſtrumenta profectò quibus vtuntur artifices, ſuam quandã duntaxat habent naturã atque figurã: non tamen habent ipſam artificis intelligentiæ pulchritudinem. Verũ per hęc artificis animus tria quędã exequitur, nonnulla ſibi quàm proxima, remotiſſima alia, alia media. Omnia ſanè artificis opera quæ ad aſpectum pertinent, aut auditum: totum penè artificis declarant ingenium. Quæ ad ſenſus tres reliquos, minimé. Nam in odoribus ſaporibuſque conficiendis, aut ſtratis lauacriſque temperandis, paulum aut vix artificis apparet intentio. In picturis autem ædificiiſque conſilium & prudentia fulget artificis. Diſpoſitio præterea & quaſi figura quædã animi ipſius inſpicitur. Ita enim ſeipſum animus in operibus iſtis exprimit & figurat, vt vultus hominis intuentis in ſpeculũ, ſeipſum figurat in ſpeculo. Maxime verò in ſermonibus, cantibus, atque ſonis artificioſus animus ſe depromit in lucem.

In

In his enim tota mentis dispositio & voluntas planissime designatur: & qualis est affectus artificis, talem nobis affectum opera eius solent excitare: flebilis vox flere: furiosa furere: lasciua lasciuire sæpe compellit. Hæc igitur opera cum ad visum tum ad auditū spectantia, artificis menti sunt proxima: illa verò quæ ad tres reliquos pertinent sensus, vt diximus, remotissima. Mediæ autē illæ operationes sunt, quæ ad corporis exercitationes, ludicras aut bellicas pertinent.

Vndénam ars & natura ita ad dispositionem suorum operum temperantur, nisi à deo naturæ artiumque institutore? Deus itaque opera sua in corporibus similiter temperat: ita vt etiam ipse in materia sibi subiecta triplicem formarum B generet gradum: videlicet sibi proximas formas, remotissimas, atque medias. Et quoniam quicquid mouet materiā, non alia ratione mouet, quàm vt eam extollat ad sui vultus imaginem: nec falli dei sententia potest: necesse est alicubi in materia diutius agitata faciem artificis dei expressius relucere: ac ferme tanto expressius quàm in aliis materiis, aliorum mouentium facies, quanto in mouendo atque trahendo deus est potentior aliis. Ideo dei vultum tam similē denique in materia effulgere oportet, vt nequeat similior emicare. Quamdiu resultat mortalis: consummatā non implet imaginem: Sane similior foret, si semper esset similis id est si surgeret immortalis. Fit ergo aliqua forma in materia immortalis. Siqua talis erit, illa erit quę est vltima: quæ sicut remotissima est à materia ex eo quòd vltima est, ita est proxima Deo: ideoque simillima. Talem esse rationalem animā non est dubiū. Sed planius rē ipsam aperiamus.

Responsio planior de formarum gradibus. Cap. 5.

PRincipio deus materiam primam certo modo ad rerū C naturaliū species producendas afficit per qualitates primas, atque disponit, per raritatem, densitatem, leuitatē, grauitatem, caliditatem, frigiditatem, humiditatem, siccitatem. Quæ quidē vocantur qualitates prę parationesque materiæ potius quàm formæ principales & species, propterea quod harum quælibet pluribus competit speciebus: & sæpe intenduntur & remittuntur. Rerū tamen species (vt placet

physicis) non ita mutantur. Sæpe accedunt atque recedunt, dum species permanent. Quis neget multis arborum & animalium speciebus communem esse caliditatem & frigiditatem, atque has qualitates in animantibus secundū magis minúsve variari, dum eadem permanet species animantis? Sunt igitur materiæ quàm simillimę, cū instar materiæ pluribus speciebus subiiciantur: neque ipsæ sua duntaxat præsentia species rerum inter se distinguant. Affectiones igitur præparationesque materię ad suscipiendas species nūcupentur. Ergo materia per extensionē quantitatis sibi familiarem, & ad multa communem, qualitatibus huiusmodi
E pandit sinum. Per has verò ad suscipiendas species præparata, statim à mente diuina mundi totius opifice formas speciesque accipit elementorum: Speciem ignis, quando parata fuerit per caliditatem, siccitatem, raritatem, & leuitatem. Speciem terræ, quando per frigiditatem, siccitatem, spissitudinem, grauitatem & reliquas sua singulas ratione. Hę formæ elementorū eo suas illas præparationes superant, quòd illarum sunt fines: quòd ve proprias distinguunt species: & permanent quodammodo firmiores. Citius enim aquæ frigiditas permutari videtur, quàm species aquæ: similiterque in aliis. Sunt tamen materiæ prorsus immersæ: quia non resoluuntur in species alias formásve principales, sed mox per qualitates affecta materia inducuntur deformi materię gremio proximæ. Vnde propter naturā passiuam materiæ vix vnius sunt participes actionis. Quid agit aliud ignis nisi q̄ vrit? Neque aliquid operantur, nisi quatenus præparationes illæ materiæ adiuuant: quia nihil agunt vltra quàm possit calor, frigus, siccum, & reliqua. Vnicum præterea motū habent, & vnum situm. Est tamen ordo aliquis inter formas
F elementorum. Nam forma ignis quia à materia liberior est quàm aliæ propter mirabilem raritatem, efficacior est in agendo: & à passionis infectione remotior. Congregat deinde mens quatuor elementa hæc in vnum: eorumque temperationibus variis varias conficit lapidū species & metallorū, atque similium quæ mixta dicuntur. Quorū formæ in hoc excellunt formas elementorum, quòd in formas alias quodammodo præcipuas resoluuntur: neque in materia nisi diligentius elaborata fiunt: & aliquid operantur: ad quod ele-

mentorũ formæ & disposítiones illæ materiæ non sufficiunt. Non enim per elementorũ qualitates iaspis prouocat partum, phantasmata noxia pellit Zaphirus, cohibet sudorem, confert ad gratiam. Smaragdus extinguit libidinem. Amethystus sedat ebrietatem. Nam & alia multa quæ similes habent qualitates, idem efficerent. Faciunt autẽ hæc ex quadam virtute speciebus talibus ab animis sphærarum tributa. Sed à materia non longè absunt: quoniam virtus huiusmodi corporalis est: atque per corpora sphærarum traducitur. Ac licet operationem aliquam qualẽ diximus, agant: nullum tamen opus ab illis tali virtute perfectum restat. Atque vnum hæc motum habent, locumque vnum, quantum elementum hoc aut illud in eorum prçualet mixtione. Omnino autem inter has formas illæ efficaciores sunt, in quarũ mixtione elementa puriora crassioribus dominantur. Sequuntur formæ plantarũ, his idcirco præstantiores, quia per elementorum qualitates vt instrumenta opus viuũ efficiunt quod illę non possunt. Propagant similes sibi plantas in specie: quod mixtorum illorum formis non datur. Nutriendo motus peragunt in omnes locorum partes contra naturam grauium elementorum, quæ in earum mixtione excellunt: corpus nactæ sunt secundum mẽbra inter se diuersa distinctum: ramos, surculos, stipitem, & radices: quasi sint multæ in his formis virtutes: ad quarum officia explenda multis & variis opus sit instrumentis. Similitudinem quoque præ se ferunt aliquarum tum virtutum cælestium tũ motionũ. Virtutum, quatenus aliqua operantur ad quæ elementorũ non sufficiunt qualitates. Motionum, quia motus edunt vndique quasi in circulum, atque ab intrinseco principio cęlorum instar sua mouent corpora. ordinant præterea mẽbra sua omnia ad principale aliquid sui: sicut mundi agitator sphæras omnes in vnum. Verum nimis adhuc vergunt in elementorum materiam: quia opus nullum peragunt nisi elementorum formis vtantur calefaciendo, frigefaciendo, & in reliquis eodem pacto. Accedunt brutorum animæ, plantarum animabus præstantiores quoniam similes sunt cælesti naturæ non in mouendo solum, sed quodãmodo etiã in cognoscendo. Cognoscunt omnia cælestes illæ virtutes: cognoscunt aliquid & animę bestiarum: operationem habent

ſpiritalē. Senſus enim imaginationiſque actus ſpiritalis eſt per ipſas obiectorum imagines ſpiritales. Neque peragunt ſentiendi actum per aliquam qualitatem elementorū: quia cū ſentiunt aliquid, neque calefaciendo neque frigefaciendo ſentiunt. Verſantur autē & iſtæ formæ adhuc circa materiam, quia per corporalia inſtrumenta ſenſuū actus exercent: neque quicquam niſi corporale & particulare percipiunt: ſemperque obtemperant corporis vſui. Has omnes denique ſupereminet hominis anima: quæ non in cognitione duntaxat, ſed in genere etiā cognitionis cæleſtibus ſit mentibus ſimilis. Intelligit namque hæc, ſicut & illæ. Ad quam operationem neque elementorum qualitates, neque inſtrumentum aliquod corporale ex illis compoſitum concurrit. Quod quidem ſignificat prę cęteris mentis huius naturam à materiæ vinculis excluſam eſſe, cum operationem ſortita ſit à materiæ commercio liberam. Materia ſiquidem vim impedit cognoſcendi. Quod ex hoc apparet, quia formæ elementorum, mixtorum, plantarū, quæ materiæ vicinæ ſunt nihil noſcunt. Et in animalibus illę partes ſenſibus pluribus ſeruiunt, ad quas materia craſſior minus aſcendit: quale eſt caput: & ibi ſit ſenſus acutior, vbi purius inſtrumentum eſt, & ſpiritus plurimus. Vnde viſus quia eſt purior reliquis, ſentit celerius & acutius, altiuſque nobis infigit rerum notas.

B Ideoque per ea quæ ad viſum ſpectant, clarius poſt longum tempus agnoſcimus quælibet, quam per ſenſuum aliorum indicia. Atqui & in ſomnis ſæpius nobis viſa ſeſe offerunt quàm audita. Neque ſolū cognoſcendi vim materia impedit, ſed rem etiam cognoſcendam. Idcirco quando moles ipſa rerū premit ſenſum: aut nullo modo aut ægrè ſentimus. Formę quoque rerum in primis ſeſe nobis offerunt: perque illas materiam quaſi ſubintelligimus. Priuationes præterea per habitus, materiamque per relationem quandam ad formam neceſſariò coniectamur. Non omnes tamen formas

C. per relationem ad materiā cogitamus: quod ſignificat materiam à formarum genere dependere: atque eſſe formas aliquas à materia liberas. Rurſus tunc res clariſſimè firmiſſimeque cognoſcimus, quando rationes ipſas rerum abſque materiæ conditionibus cogitamus. Si materia tam virtuti quàm obiecto cognitionis impedimento eſt: ſequitur ani-

mam quæ sentit quippiam imaginaturque, non esse cõpositam ex materia: immo neque esse formam quantitate diuisam, si modò in ipsa cognitione mutua mirabilisque vnio:& penetratio fit inter formam apprehensam,& potentiam apprehendentem.Id verò totum quantitatis dimensio prohiberet. Ac si per cognitiones inferiores concludimus animam ex materia non esse,per cognitionem supremam, scilicet per intelligentiam, animã non esse à materia concludere possumus: vt quemadmodũ quod sine materia nosci t,est sine ipsa:ita quod absque materię conditionibus cõprehendit,ab ipsius passionibus procul existat. Nã si anima hominis talis forma esset, vt ad materiam quasi suam originem referretur: non cognosceret formas vllas nisi per relationem aliquam ad materiam.Nunc autem tanquam materiæ domina eã subiicit formis, dum ipsam refert ad formas: ac tanquam deo similis formas sequentes ad primam refert formam, ipsumque deum. At qui in hoc ipso surgit supra materiam maxime,quòd eã tollit supra seipsam: deo quoque fit proxima, quòd formas omnes reducit in deum. Ex quibus liquido constat quod iamdudum quærimus, rationalem scilicet animam ex omnibus formis corporis deo similimã euadere, vsque adeo vt nequeat alia similior fieri postquam non potest fieri vlterius alia in materia: cum hæc in ipso extremo emineat corporis limine. Exprimi vero oportuit aliquam in natura formam deo similimam:si modo diuinus artifex materiam sit superaturus vt Plato tradidit in Timæo. Talem verò esse vult mentẽ quæ est in corpore,à mente quæ est extra corpora,delibatã, quasi quendã mentis illius vultũ in sublimioris materiæ speculo relucentem. Considera ad quantam sui similitudinem ignis materiam extollat,& quibus gradibus. Sphæra ignis qualitatem triplicem possidet:calorem, lumen,& leuitatẽ ad superiora vergentẽ.Mouet sphæra illa corpora infima: & crassissimis ineptissimisque corporibus calorem infundit solùm:vt plerunque fit in lapidibus. Purioribus calorem atque lumen: quod facile facit in lignis.Tenuissimis denique vltra caloreẽ ac lumen etiam leuitatem illam ad superna trahentẽ.Quod efficit in chartis & lino : ita vt statim in se horũ assummat substantiam quasi sibi simillimam.Ideo forma ignis in la-

pide fusca fit & inepta: in ligno inepta quidem, sed clara: in lino clara simul & agilis. Eodem quasi modo diuina mens corporibus inferioribus vitam præbet solam tanquam calorem, præstantioribus etiam sensum tanquam lumen: præstantissimis insuper intellectum tanquam leuitatē per quā
G anima surgit in deum. Ita diuinus ille radius omnia penetrans in lapidibus est quidem, sed non viuit in plantis: viuit quidē, sed non fulget: in brutis fulget, sed non replicatur in seipsum, neque redit in fontem. In hominibus est, viuit, fulget, replicatur in seipsum. Primò per quandam sui ipsius animaduersionem, deinde in deum fontē suum reflectitur: originem suam feliciter cognoscendo. Vt autem ascensus ignis certum aliquem habet finem, quem consequi possit, atque hic est in sphæra sua quies: ita nostræ mentis ascensus perpetuo directus in deum statutum finem habet, cuius quandoque fiat compos: neque aliud quicquam is finis erit, nisi quies in deo: quam non prius animus assequetur, quàm hinc abierit.

Obiectio Lucretij: & responsio quòd mens potest absque corpore operari.
Cap. 6.

H INterturbabunt disputationem nostram impij duo, Lucretius & Epicurus, vt solent non ratione aliqua, sed clamore. Nos quidem duo potissimum hic asserimus, quòd deus creat animam sibi similem, quòd in materia. Contra primum Lucretius obiiciet: Si tam diuinus est animus, primum contra naturā eius est coniungi cum corpore ad conficiendam speciem animalis: deinde & si iungitur, cur nunquam mens aliquid speculatur, phantasia non cogitante? Contra secundum sic obiiciet Epicurus. Si deus creat animā in materia, ergo etiam ex materia: ideoque mortalem. Nos ad primam obiectionem respondimus, & respondebimus diffusius alias. Nunc breuiter hunc in modum. Quoniā vltima in vniuerso virtus intelligendi per operationes sensuum & phantasiæ ad speculationem propriam expergiscitur, sensus verò & phantasia per spiritus agunt corporeos. sequitur non esse contra mentis naturam, vt corpori huic vniatur ad

humanam ſpeciem in terra complendam, præſertim cum mens noſtra non ſimplex ſed animalis mens eſſe dicatur, vltima, mentium corporumque viuifica: & ſi in generica ratione mentis non fit vlla ad corpora inclinatio, tamẽ in ſpecifica mentis vltimæ ratione inclinatio eiuſmodi quodammodo tanquã ipſi naturalis includitur, quatenus videlicet in confinio mentium animarumque creata mens animalis euaſit: atque inde ad proxima corpora viuificanda procliuis.
Et quia res quæque ſecundum modum ſuæ ſubſtantiæ operatur: ſubſtantia vero mentis humanæ incorporalis quidem eſt omnino, ſed vnita materiæ: hinc fit vt incorporalia intelligat quidem, ſed ea dum corpus habitat, ſæpe vna cum aliquo quodammodo corporali conſpiciat: hoc eſt ſimulacro phantaſiæ: ideo huiuſmodi plerunque eget ſimulacris. A
Verùm quando hoc depoſito corpore redacta fuerit in ſeipſam, intelliget in ſeipſa. Sed nunc alio modo ſe habet mens hæc ad phantaſiæ ſimulacra, antequam ipſa in ſe vniuerſalem concipiat ſpeciem: alio modo poſteaquam concepit. Ante eget illis, vt eorum inſtigatione excitetur ad vniuerſalem ſpeciem pariendam. Poſtea verò ſi illis eget, eget quidem (vt arbitrantur Peripatetici) tanquam fundamento, vel comite aliquo ſpeciei. Atque etiam ſecundum B
intellectus imperium formatur ſæpe nouum in phantaſia ſimulacrum vniuerſali illi ſpeciei conueniens: in quo reſplendet ſpecies illa mentis vniuerſalis, ſicut in imagine ſplẽdet exemplar. Quanquam non eget forte mens phantaſiæ C
ſimulacro, vt Platonici opinantur, poſtquam ſemel inuitante illo ſpeciem peperit: & retinet propriam. Sed ea eſt oculorum geminorum natura in eadem radice fixorum, ſiue à cardine vno pendentium, vt aperiantur ſimul, atque claudantur, eodemque inſpiciant. Ita mens & phantaſia, qui gemini oculi ſunt eiuſdem animæ, atque admodum proximi, ſimul aperiuntur, atque eodem pro modo ſuo conſpiciunt. Et dum phantaſia hunc cogitat hominem, mens vniuerſalem hominem cogitat: & conuerſo. Atque hæc eſt concurſio naturalis. Poteſt tamen adhibita manus opera oculus alter abſque altero intueri: ſic & ſtudio quodam ardentiore non minus mens ad vniuerſales ſpecies flecti ceſſante phantaſia: quàm ſæpe per aliquam turbationem accidat phan-

tasiam intentius per corporalia peruagari mente cessante. Potest insuper anima quando seipsam considerat, tunc actum suum vimque & essentiam sine phantasiæ simulacro intueri. Maximè vero quando & animaduertit se intelligere: & rursus quòd animaduertat intelligit: replicaturque similiter absque fine: præsertim si, vt quidam putant, speciē suam intelligibilem, suumque actum per ipsammet speciē ipsumve actū animaduertat, vbi certe neque simulacro ne-
D que instrumento egeret. Potest etiā simulacri ipsius naturā
Anima absq; rerū naturaliū simulacris diuinorū considerat
sine alio simulacro iudicare. Quod si quis conuicerit intelligentiam dum rerum naturalium rationes considerat, earundē simulacris indigere: hoc forsitan disputationis gratia concedemus, propterea quòd sicut humanitatē ipsam cōmunio ad singulos homines comitatur: sic humanitatis intelligentiam huius vel illius hominis cogitatio. Non tamen in rebus diuinis id facilè concedemus: vt quotiens angelicas essentias speculamur, totiens cogamur corporalia simulacra intueri: quia sicut essentiæ tales ad materiam hanc aut illā non declinant, ita speculationes nostræ quibus illis æquamur quodāmodo cognoscendo, non necessario corporalibus imaginibus astringuntur. Earum enim cognitionē non à corporibus proprie animus mutuatur, sed ab ideis vel ingenitis, quando reuertitur in seipsum: vel infusis: quando supra se surgit. Sed quisnam dixerit mentem in ipsa diuinorū exacta contemplatione, simulacrorū adminiculo indigere? cum illorum siue occursu siue interuentu ab eiusmodi speculatione vehementer impediatur, sępeque fallatur: ac si fal-
E li non vult, illa tanquam nubes discutere cōpellatur. Forte vero quando per sensus animus à se digreditur: attingit solum sensibiles qualitates. Quando per phantasiam ad se regreditur: insensibiles intentiones imaginū sensibiliū. Quando per rationem in se reuertitur: insensibiles rationes ad intentiones insensibiles declinantes: Quando per mentē supra se surgit: instar angeli insensibiles rationes iā ab imaginaris intentionibus segregatas. Quid quòd philosophica mens intuetur in vniuerso & in seipsa cognitionē quandā angelicam & diuinam à simulacris liberam? Primo quidē probat eiusmodi cognitionem esse debere: & cuius sit: & qualis: & quare: & quomodo fiat: in seipsa describit. Ac etiā assequitur

tam secundum formam, experiturque describendo. Profecto descriptio eiusmodi conceptio quędā animæ est ab omni simulacro libera. Nequit enim per simulacrū cognitionē à simulacro liberam intueri atque definire. Deinde in conceptionē eiusmodi se conuertit, dum se agnoscit ita iā concepisse. Quæ quidem conuersio multo magis est à simulacris absoluta. Denique in conuersionem hanc iterum atque iterum se conuertit: semperque longius gradatim à simulacris peruolat. Mitto notiora illa: videlicet quando mens dimissis indiuiduis non modo specialissimas species, sed sub alternas, & genera subalterna generalissimaque, ac denique transcendentia perspicit, diuidit, cōponit, definit, argumentatur. In iis certe simulacra prætermittere non solū nititur, sed compellitur. Operæprecium est hoc insuper animaduertere, infimam animæ vim magis corpori quàm mediam, media quàm suprema coniungi. Quando suprema ratiocinandi vis per humanæ intelligentiæ voluntatisque actū obnixè se colligit in seipsam: tunc infima vis magna ex parte seiungitur ab opere corporali: quòd tunc officium regendi, mouendi, concoquendi, digerendi, expurgandi, dimidiā sui partem, immo etiā maiorē solet amittere. Si ita fit: necesse est potentiam mediam ex parte multo maiori tunc à materia semoueri, quod patet in abstractis inter contemplandū hominibus nihil penitus sentientibus. Ex hoc sequitur, vt suprema potentia quandoque in hoc ipso actu corporalia relinquat omnino: cuius virtute reliquæ vires magis magisque relinquunt. Quippe quod adolescit, potest aliquando penitus consummari: eo videlicet consummato quo ipsum crescente crescebat. Ipsa igitur animi à corpore abstractio, quæ inualescente speculationis intentione vehementius inualescit: illa quoque intentione impleta prorsus impletur. Impletur illa, quando cæteris omnino posthabitis solū primum verum bonumque summa mentis flagrantia amatur & cogitatur. Tunc ergo consūmatur abstractio, finisque abstractionis huius quę nos segregat à mortalibus: tandē non separatio erit à vita, sed primæ consequutio vitę. Quæ enim se vicissim comitantur, itinere comitantur & termino. Qua propter idem portus animam à corpore fugientem excipit, qui accipit speculantem. Hic portus est ipsa veritas. Veritas F

æterna est:immo est æternitas ipsa. Hæc ad Lucretium dicta sint:pergamus ad Epicurum.

Obiectio Epicuri: & responsio quòd deus non facit mentem nisi ex seipso,& per seipsum. Cap. 7.

G QVonam pacto, inquit Epicurus, producit deus hanc animam in materia,nisi etiam ex materia? Nos autē interrogamus eum,quonā pacto producit sol lumen in aëre,non tamen ex aëre. Vultus in speculo imaginē,non ex speculo? Mens loquentis significationem vocis in aëre, non tamen ex aëre? Proinde sicut sol calorem quidē in aëre gignit ex aëre,lumen tamen non ex ipso aëre,licet in ipso:& mens loquentis ex aëre gignit sonum, significationē verò soni non ex ipso aëre,sed in ipso:ita Deus alias formas ex materię visceribus eruit:intellectū verò, qui forma vltima
H est,super materiæ faciem pandit:non trahit è sinu. Considerare debuit Epicurus, materiam ipsam nullam habere virtutem propriam formatricem sui(Nihil enim informo se format)habere tamen virtutem præparationemque formabilem:quam formarum vocamus inchoationem:& prisci theologi chaos antiquū:cui deus, vt Timæus docet,formatricem virtutem applicat:non tanquam materiæ propriam, sed tanquam dei ipsius instrumentum aliquod ad formandum huic virtuti influxum cælestem elementalemque accommodat. Forte verò diuinus influxus ex deo manans, per cęlos penetrans,descendens per elementa,in inferiorem materiam desinens,illa ipsa est formatrix virtus:quam Plato vocat diuinæ intelligentiæ rationem:per cuius infusionē machina mundi ex necessitate constat, & mente id est materia corporibus necessaria:& ex formis pulcherrimo quodam ordine diuinam mentem bonitatemque referentibus. Hanc virtutem Peripatetici tum instrumentū dei vocant, tum naturam,tum potentiam seminariam. Huic formatri-
A ci virtuti subest formabilis illa natura materiæ. Deus igitur per vim huiusmodi formatricem,per machinā mundi diffusam formabili,ipsius materiæ virtuti formas illas accommodat,quas materiæ proximas, & quas medias collocauimus. Hic autem Platonicus quisque ordinem quendam in
B

quatuor tam formarum quàm ſubiecti gradibus obſeruabit. Animæ rationales per ſolum purumque dei radium ſuper puram indiuiſibilis materiæ faciem accenduntur. Animæ irrationales per cæleſtem quoque animalemque influxum radio illi diuino adhibitum è ſinu materiæ nondū extenſo exprimuntur in lucem. Formæ elementorum mixtorumque familiares, per familiares etiam elementorū qualitates educuntur ex materiæ gremio iā extenſo: extenſo inquam per dimenſiones non terminatas. Formę eorundē peregrinæ per qualitates inſuper peregrinas elementorum eruuntur ex aluo materiæ extenſo iam per terminatas quaſdā dimenſiones. Has autē formas præter rationales animas eſſe materiæ aſtrictas ideo arbitramur, quia nullam prorſus operationem habent ad quam non aliquo modo concurrat corporis vel natura vel inſtrumentum: & ſinem ſemper ſibi proponunt corporis vſum: vtpote quæ ex corpore pendeant: dum per inſtrumentum cęleſte ſiue elementale formatiuum formabili virtuti materiæ accomodantur. Cuius rei ſignum eſt, quia nulla illarū in deū conuertitur: quaſi deus C
non ſit illarum proxima cauſa, ſed potius aliena. Animā verò rationalem fieri à deo ſine inſtrumentis vllis ex eo potiſſimum coniectamur, quòd in deū proximè vertitur: quod in ſequentibus declarabimus. Concurrunt igitur inſtrumēta non ad animæ humanæ productionem, ſed ad materiam pręparandam, quā ſit anima hominis habitatura. Deus vero per ſe illam materia præparata producit. Quod Plato in li- D
bro de natura docet: vbi vult animā rationalē à ſolo mundi opifice tribui: irrationales verò etiam à miniſtris eius operi huic fauentibus. Ariſtoteles quoque in hoc ſecutus ma E
giſtrum in libro de animalibus ſecundo inquit: Quando generatur homo, intellectum infundi forinſecus: ac ſolum eſſe diuinum: cuius operatio non expleatur per aliquid corporale. Quaſi non expromatur ex intimo materię gremio, ſicut alias formas putat expromi. Ergo hanc ſine inſtrumento ipſe deus infundit. Exemplum habes in ſolis lumine, & in anima. Lumen ſolis per calorem tanquam medium diſſipatis nubibus ſerenat aërem: ſerenum aërem illuminat per ſeipſum. Anima per calorem naturalem coquendo cibum præparat ipſum ad vitæ formam.

Cocto & præparato cibo non per calorẽ, ſed ipſa per ſe vitę tribuit formam. Anima rurſus per linguam tanquã inſtru-
F mentum frangit aërẽ: fractus aër ſonat: ſonando ſignificat. Sonus ille eſt quaſi quoddam animal conſtitutum ex aëre fracto tanquam corpore, atque ex ipſa ſignificatione tanquã anima: quę quidẽ ſignificatio inſtar animę latet in vocibus: & quaſi vita quædam eſt non audita vocis auditæ. Vndenã datur ſono talis ſignificatio? Ab ipſa loquentis hominis anima. Sed nunquid anima ſignificationẽ dat voci per linguã?
G Minime. Lingua enim corpus eſt, & corporale dat munus ſolum atque ſenſibile: neque ſignificationem dat per ſe vllã quotiens animo ad rem non attendente caſu quis loquitur. Significatio vero res eſt incorporalis & inſenſibilis. Alioquin quicunque vocẽ audiret, ſtatim quid ſignificatur voce, cognoſceret. Quapropter ſignificatio quæ inſenſibile quiddam eſt, fit tanquam anima quædam in voce id eſt aëre fracto ceu corpore. Fit inquã ab animę ipſius cogitatione ſola: non per linguæ obſequium. Atque ideo dum Platonẽ pronuncias, aër ille fractus plures in partes diuiditur. Plato.nẽ. Quę per tria tẽporis momenta percurrunt. Significatio vero non per partes diuiditur: quia in loquentis mente indiuiſibili, antequam pronuncietur, momento concipitur: & ſignificat ſæpe res ingentiſſimas: quarum molem non poteſt ipſa per magnitudinem adæquare. Significat etiam motum tempuſque ſæpe ſine motu vel tẽpore. Et quando pronuntiatur ſono, ſoni ipſius parte pronunciata, plurimum nondũ ab audiente cõprehenditur: neque percipitur paulatim, ſed omnibus ſyllabis pronuntiatis, quid ex illis cunctis ſignificatur: eueſtigio intelligitur. Quę quidem ſignificatio in audientis intellectu perpetua ſæpe remanet ſyllabis pereuntibus: ſicut in loquentis mente fuerat antequam loqueretur.
H Significatio igitur ab anima loquẽte ſine medio producta incorporalis eſt. Eſt & vocis anima ſimplex, & quodãmodo immortalis: ſonus autem per linguam mediã fabricatus in partes diſſipatur, & interit. Si ſol & anima ſine inſtrumentis aliquid efficiunt in materia, multo magis deus poterit formam aliquam nullo intercedente inſtrumento materiæ tradere. Atque ea maxime erit rationalis anima: quæ nonnihil ſine inſtrumento cogitat atque eligit. Quod nunquã valeret

si esset per instrumenti operam fabricata. Si per nullū medium à deo fit, non fit ab eo nisi per deum. Deus ipsa æternitas est. Fit ergo per seipsam æternitatem. Quod per æternitatem fit, est æternum. Et quod summo statui proximum est, ita est stabile, vt à mutatione mortali sit remotissimum. Hæc enim est summa mutatio. Merito sicut in cæteris rerū generibus præter id quod per se tale est, sunt & alia quæ per aliud talia sunt: ita in æternitatis ordine vltra deum, qui per se est æternus: multa sunt quę per illū æterna fiunt. Talia vero esse illa Timæus docet, quæ à deo absque medio procreantur. Erit igitur hominis anima & immortalis: & huic corpori tanquam significatio aëria loquente Deo inserta. Quam significationem si quis animaduerterit, dei loquentis intelliget mentem. I

Obiectio Panætij: & responsio quod anima sine medio est ex deo. Cap. 8.

DAbit forsitan Panætius nobis, posse aliquid à deo in materia sine materia & instrumento creari: sed animā nostrā ita fieri non concedet, nisi manifestiori aliquo signo hoc iterum ostendamus. Arbitramur enim tam animam nascentis ab anima parentū, quàm corpus à corpore generari: quia & corpore & ingenio similes genitoribus filij sæpe nascantur. Sed coniectura Panætij parū momenti habere videtur, quia sæpe dissimiles corpore nascuntur, sæpissime animo. Et qui mores sequuntur paternos, consuetudine eos imbibunt potius quàm genitura. Et si qui eos vsu non acquirunt, imitantur tamen: non ideo imitantur, quia animus nascatur ab animo: sed quia animus à tenera ætate blanditur proprio corpori: in quo propter genitorum complexionem similia quędā fiunt incitamenta: sed procedente ætate arbitratu suo & in peius & in melius mutant mores. Itaque abiicienda est coniectura Panetij. Quoniamverò signum à nobis exposceret: per quod anima à deo venire clarius ostendatur: signum nobis erit huiusmodi. Anima rationalis quotiens aliqua sibi res occurrit, perscrutatur non modo quid res illa sit, & qualis: sed etiā quæ sit eius origo. Neque cessat vnquā nisi causam eius inuenerit. Neque tamen K

Anima discursus

in quauis causa fistit gradum, sed indagat semper causæ cau
sam: ita vt non prius quiescat quàm supremam causam fue-
L rit consecuta. Vnaquæque res in proprio sui fine quiescit.
Proprius finis rei est eius causa propria. Ibi enim perficitur:
perfectionem vero naturalem appetunt omnia tanquam
finem. Quod si communem finem expetere videantur, non
tamen ipsum adsciscunt nisi quantum ipsis congruit & ac-
commodatur, propriusque euadit. Talis euadit, quando su-
scipitur in causa proxima sufficiente superius ordinata.
Non petit aër Venerem aut Iouem, licet etiam inde ducat
originem: sed appetit ignis concauum: vbi principium eius
propriũ est, locusque domesticus. Cætera quoque similiter
non quamlibet sui causam expetunt. Nullæ enim res prius
cessarent quàm in deũ transformentur: qui primũ omniũ
est principium. Aut si nunquam transformarentur in deũ,
frustra & temere mouerentur. Non igitur quãlibet quærũt
causam, sed propinquam. Sufficit enim cuique speciem suã
incorruptã integrãque seruare. Hæc autem seruatur à causa
propria, quæ sufficiens sit, & superius ordinata: Causa verò
altissima specie rei à se remotioris mutaret in naturã sublimi-
orẽ, vbi cessaret res illa esse quod erat, atque periret: non
autẽ res id appetunt, sed incolumes in suo statu manere. In
quo quatenus permanent, eatenus primæ quoque causæ si-
militudinem assequuntur. Quorsum hæc? vt intelligas rem
quamlibet solum cùm proximã attigerit causam, quiescere
protinus, neque vltra perquirere. Atque ideo mentẽ quæ in
re nulla quiescit, nisi in prima: nullã habere propriã causam
nisi primam. Cuius rei signum est, quod hominis mens in
A deum conuertitur sine medio. Si enim res conuertuntur in
causam, vt procedunt. Quę per mediũ processere, per mediũ
conuertuntur. Quę sine medio processerunt, conuertuntur
etiã sine medio. Anima sine medio in deũ reflectitur: quan-
do deũ neque in aliqua creatura, neque imagine sensus &
phantasię, sed super omnia creata absolutũ nudũque suspi-
cit. Suspicit vero talem, quando argumẽtatur deũ esse adeò
infinitum, vt omnia quæ cadere in cogitationem possunt,
infinito superemineat interuallo vbi nihil creatũ inter deũ
& animam interponitur. Quo autem modo intuitus animę
in deum absque medio figeretur, nisi etiam intuendi virtus

ab illo absque medio processisset? Quòd si videatur anima quibusdã ad id mediis indigere, ex eo quod per mundi dispositionem & ordines angelorũ ascendit ad deũ: scito non vti his mediis animam vt deum in his aut per hęc quasi solem in aqua aut per vitrum intueatur, sed quasi quibusdam gradibus, vt ipsa quæ infra se olim delapsa est, per hos gradus in arcem suã redeat: quò regressa, deum absque medio videt. Porrò per mundi dispositionem: inuitatur vt dimisso corporis cultu, in suam redeat rationem: per angelorũ indagationẽ siue inspirationẽ admonetur, vt dimisso consueto rationis discursu, ad lumen sibi quondam diuinitus infusum sese recipiat: quò reflexa per ipsum iam dei lumen suspicit deũ: vt ille qui per solis radium non colores amplius corporum, sed ipsum suspicit solem: de quo inquit Zoroaster.

χρὴ σε σπεύδειν πρὸς τὸ φάος, ὅθεν πρὸς πατρὸς ἄυγας
ἔνδιον ἐπίμφθησε ψυχὴ πολὺν ἐσσαμένη νοῦν,

id est: Ascendendũ tibi est ad lumen ipsum & patris radios, Vnde infusa est tibi anima multo mentis lumine circunfusa. Quod autem animus ad hunc quandoque statum perueniat, inde coniicimus: quòd vsque adeo se ab omni rei creatæ cogitatione secernit, vt super omnẽ rei cuiusque creandę conceptum quantuncunque sublimem extare diuinum verticem per infinitũ asserat spatiũ. Dum verò deum ita describit, pro viribus capit deum. Habet ergo vim aliquã absque medio dei capacem. Hæc autem à solo tributa est deo. Qui enim format solus, ipse solus disponit. Qui implet, ipse amplificat: sicut & visus radium illum intimum & insitum ab origine, quo solis lumen proxime videt, quotidie ab ipso eodem lumine solis accipit. Atque ita vis illa dei capax medio indiget nullo vltra deum ad deum suscipiendum: sicut neque visiuus radius ad radium solarem accipiendum vllo indiget medio: quia & radius à radio, & vis dei capax à deo nullo medio interposito.

Probauimus hactenus propositũ nostrũ præcipuè per intellectũ. Rursus ita probamus idẽ præcipue per voluntatẽ. Omnis appetitus causæ suæ impletur possessione. Sitim enim appetitionis extinguit perficiendo res eadem quæ accen-

dit efficiendo. Voluntas, solius infiniti boni possessione potest impleri. Eousque enim affectat bonum, quousque ipsi bonum porrigit intellectus. Intellectus communē boni ipsius rationē inuehit ab omnibus rei participantis angustiis segregatā: quæ propter hoc ipsum infinita permanet in seipsa. Diffunditur quoque in infinitum: cum possit bonitas rebus innumerabilibus per infinitos modos communicari. Si voluntas eousque affectat bonum, quousque intellectus offert, hic autem offert infinitum bonū, & infinita bona: sequitur vt totidē voluntas affectet. Ergo solius infiniti boni impletur possessione. Ad hæc, sicut obiectum intellectus est
D ens ipsum sub ratione veri: ita voluntatis obiectū ens ipsum sub ratione boni. Quia vero vis quæque eo solo contenta esse potest, in quo integra obiecti sui ratio reperitur: sequitur vt intellectus & voluntas solo Deo satiari possint, in quo solo est integra veritatis bonitatisque ratio. Et quia ille ab aliis veris semper discurrit ad alia, hæc ab aliis bonis fertur in alia: satis constat quietem his ex eo solo obtingere posse,
E quod talia cuncta complectitur. Habitus enim sistit motū: & motum quodammodo interminatum habitus infinitus. Postremo legitimus intellectus est ille, qui res intelligit sicuti sunt: legitima voluntas illa, quæ res appetit sicuti sunt appetibiles. Sunt autem res, vt ordinantur à deo: appetibiles vero sunt, vt ordinantur ad deū. Ergo neque intellectus neque volūtas in rebus ipsis quiescere potest: Sed ille resoluit in deum: hæc refert ad deum. Illi solus deus conspiciendus naturali instinctu proponitur, huic solus Deus amandus. Si sola infinita bonitas implere voluntatis capacitatem valet: nimirum sola infinita bonitas naturā procreat voluntatis: præsertim cum ipsa quoque voluntas in bonitatem infinitam quandoque se conferat sine medio. Quod tunc facit euidentissime, quando intellectus voluntati non amplius bonum hoc proponit, aut illud: sed aut cunctorum simul bonorum ostendit cumulum, aut bonitatis ipsius fomitē, vn-
F de talis cumuli segetes pullularunt. Denique nulluseffectus vltra suam causam se extendit. Humanus animus rem quālibet finitam transgreditur, quia quodcunque finitum verū bonúmve obtuleris, intellectus magis intelligere potest: volūtas vlteriº affectare. Nulla ergo finita res est animi causa.

Quod

Quod hinc potissimum confirmari videtur, quia causa motorque particularis virtutem inclinationemque ad vniuersale tendentē non potest efficere. Et quia in intellectu virtus est ad vniuersale verū, in voluntate inclinatio ad vniuersale bonum: constat plane intellectum & voluntatē à nulla re creata fieri vel moueri. Quicquid enim creatum est: verum bonumque est duntaxat particulare. Nónne animus quodlibet particulare bonum respuere potest, licet bonum vniuersale non possit? Quidnam hoc significat, nisi ipsum solius vniuersalis boni actioni & imperio subiici? Concludamus igitur per intellectus & voluntatis actus conuersioneſque, hominis animam à deo nullo medio interiecto in lucem ex nihilo prodiisse, atque eam Dei vim infinitam, qua ita producta est, ipsi animæ ita quodammodo inseri, vt ipsi quasi propria & naturalis euadat, per quam ipsa, quotiens vult, in deum se vertit. Non minus ferme infinita virtute opus esse putant Platonici vt quis ad deum se conferat infinitum, atque infinitum esse sub certa ratione infinitatis agnoscat, & G amet, quàm ad hoc vt aliquid fiat ex nihilo. Infinita virtute sua Deus animam creauit ex nihilo: infinita Dei virtute anima dei virtutem eandem infinitam attingit, quæ ipsam ex nihilo procreauit. Quę quidem infinita virtus: siue semel animæ fit infusa, siue potius iugiter infundatur, seruetur que à Deo: demonstrat eam virtutis infinitæ participem, & (vt ita loquar) capacem ita esse, vt per hanc ipsam dei attingat infinitatem. Infinitatem dei esse scimus totam simul & integram: infinitatem temporis, qua euanescit continue, continue quoque instaurati: fluxisse partim: partim quoque fluH xuram: neque habere vnquan in præsentia nisi momētum. Momentū ab integra infinitate innumerè superatur. Quo fit vt infinitas dei infinitatē temporis innumerabiliter per distantiam superet infinitam. Anima illam attingit. Hanc ergo longissime supereminet. Quamobrem omnes excedit terminos temporis: viuitque perpetua. Quod hinc maxime confirmatur, quòd si Deus eam non facit per angelicas cæleſteſque virtutes, multo minus per materialia semina. Ideo que pestiferam non subit mutationem. Si ergo tuum colere parentem desideras: ipsum solum modo cole bonum. Parentē quæris? Non corporis natura parens est tibi, ô anima.

Tanto enim melior es, quanto parenti magis obtemperas. Es autem tanto præstantior, quanto magis corpori aduersaris. Bonum tibi omnino est esse cum patre: malũ tibi quodammodo est esse cum corpore. Non animus aliquis te genuit anima. Animi operatio mobilis est. Si ergo per eã facta
A fuisses, substantiam omnino haberes mutabilem: ideoque in ipsa animi mutabilitate sisteres gradum, neque stabilem prorsus naturam exigeres, neque quicquam super animum cogitares. Non intellectus aliquis multiplex te creauit. Non enim simplicitatem summam attingeres, atque intellectus ipsius tibi sufficeret consecutio. Nunc autem ad ipsam vitam, ad ipsam essentiam, ad ipsum esse absolutũ, intelligendo amandoque ascendis super quemlibet intellectũ: neque satis tibi intelligentia est, nisi & bene & bonum intelligas. Bonum vero ipsum tibi satis est absque dubio. Non enim alia ratione requiris quodlibet, nisi qua bonum. Bonum igitur ipsum procreator tuus est, anima: non bonum corpus: non bonus animus: non bonus intellectus: sed bonum: ipsum bonum inquam: quod in seipso consistit, extra subiecti cuiusque limites infinitum: infinitamque tibi tribuit vitã, vel ab æuo in æuũ, vel saltẽ ab initio quodã in sempiternũ.

Tertia ratio. Quale est obiectum: talis est potentia.
Cap. 9.

QVatuor hęc, essentia, virtus, operatio, obiectum, hunc habent ordinem, vt ab essentia profluat virtus: ab hac
B operatio: operatio obiectum petat, & talis quædam essentia per talem quandam virtutem, id est virtutẽ propriã certo modo circa obiectum sibi conueniens operetur. Non est putandum ab essentia aliam virtutem fluere, quàm sibi familiarem neque à virtute aliam edi operationẽ, quàm naturalem: neque operationem versari circa obiectũ aliquod nisi simile, commodum, & conueniens. Nã cur naturalis illa essentiæ virtus operando appetit obiectũ aliquod tale potius quàm tale, nisi quia tale aliquid ipsi familiarius est, aptius, & commodius? Nisi enim conueniret magis cũ tali quodam quàm cum aliis: vel appeteret nullum: vel æquè omnia peteret. Sic intimus virtutis visiuæ radius per radium solis

coloratos radios aſpicit. Intimus aurium aër per externum aërem haurit fractum, id eſt ſonos: Olfactus in vapore aëris caliginoſo genitus, per vaporem talem in aëre craſſo à pomo diffuſum vaporem in pomo odoriferũ percipit. Guſtus in ſaliuæ humore ſubmerſus per liquefactionem cibi in ore ſapores vel natura liquidos, vel ibi iam liquefactos attingit. Tactus terrenis neruis accomodatus terrena & ſolida ſentit facile, & corporales admodũ qualitates. Vides obiecta ſemper cũ operationibus & virtutibus naturalibus conuenire. Idem in mente cogeris confiteri: vt mens libera ſit à materia, cuius obiectum eſt à materia liberũ. Talis eſt autẽ rei cuiuſque vniuerſalis ratio & idea. Obiectũ eiuſmodi primũ Platonici vocant, atque Peripatetici: quia primo rectoque aſpectu ſe obiicit. Obiectum vero adæquatum eſſe totam entis ipſius latitudinẽ arbitrantur: quia per vniuerſum ens intellectus abſtrahendo, diuidendo, componendo, definiendo percurrit. Ens autẽ tam incorporeis omnibus quàm corporeis eſt cõmune: atque infinitum. Ac ne quis ita fallatur, vt dicat intellectum forte in alia quadã re cũ vniuerſali ratione potius quàm in ipſa ſeparatione congruere: cõſiderare debemus in eo congruere maximè, quod neceſſario ipſe facit ad hoc vt intelligat. Quid autem facit potiſſimum? Certe & ſeipſum, & ipſam à materiæ paſſionibus ſegregat. Neq; quicquã magis impedit vel hunc intelligere, vel hanc intelligi, q̃ materiæ paſſiuæ coniunctio. Proinde ſi non modò talis potentia tale petit obiectũ, ſed etiã obiectũ tale potentiã ſuo acceſſu multo magis efficit talẽ: quẽadmodũ viſus natura lucidus & lucẽ petit, & accedente luce fit lucidior: ſequitur vt mens non ſolũ ex eo remota ſit à materia, atque ampla, quia naturaliter aſſidueque ad remota & ampla ſe confert, verũ etiã vt multò etiã inde fiat remotior, ampliorq;, q̃ quæ remota amplaq; ſunt, illã pulſant, rapiunt, occupant. Sed quantũ poteſt à materia ſegregari, tantũ videlicet, vt effugiat materiæ paſſiones. Rationẽ nanq; ideãque tũ rei cuiuſq; tũ entis ab his abſolutã naturaliter auet. Poteſt autẽ p eandẽ naturã ipſam conſequi, per quã mouetur ad ipſam. Et ipſa denique idealis ratio quæ in æternitate eſt omnino, cum ſit in Deo, mentem ſeſe ad eam pro viribus eleuantẽ poteſt omnino ſupra limites loci temporiſque extollere.

THEOLOGIÆ PLATONICÆ
De immortalitate animorum eodem Ficino authore,

LIBER VNDECIMVS.

Prima ratio. Mens vnitur obiecto perpetuo, & species suscipit absolutas, rationesq; sempiternas.
Cap. 1.

F



Atio ipsa rei penitus absoluta illud ipsum est quod actu à nobis primò rectoque & propriè intelligitur. Quod intelligitur actu, magis fit vnum per intellectualem speciem cum intellectu, quàm quod videtur actu per visibilem speciẽ, cum visu: & tanto magis, quanto ex puris oribus arctior prouenit copula. Copula hæc augetur rursus ex eo quod visibile quidẽ est extra visum: ratio vero ipsa intelligibilis quæ adest & omni mundi materiæ ab ipsa formabili, & omni loco: cum situm propriũ non respiciat, proculdubio inest mentium penetralibus ipsi per naturam quamproximis: vnde & ab illa & ad illã semper afficiuntur. Si ex intellectu intelligente, & specie illa intellectuali siue ratione per speciẽ significata fit vnũ: ac species illa & ratio vt talis est, est à loco & tempore & cæteris materiæ passionibus separata, intellectus in hoc ipso actu ab iisdem semotus erit. Actus huiusmodi intellectus ipsius est proprius. Prius actus essentiam propriam comitatur: atque econuerso. Itaque intellectus non per actum modo proprium, verũ etiam per essentiam propriam erit ab omni materię contagione seiunctus. Et sicut ratio illa cõmunis, quantũ in se est, vniuersum locum tempusque ambit: quamuis vt materiam respicit, ad locũ tempusque declinet, ita mens illi per naturã accommodata, quanquam vt respicit corpus, sese ad partes loci ac temporis cohibet: tamen quantum in se est, quodãmodo totum ambit vtrunque, præsertim quia non potest species secundum significandi virtutẽ esse absoluta, si mens

quæ eius tum subiectum tum fons est, absoluta non sit: cũ omne subiectum pro natura sua suscipiat qualitates, & fons saporem suum infundat riuulis inde manantibus: Hinc duo A sequuntur. Vnũ, quod substantia mentis non editur ex materiæ latebris. Alterũ, q̃ est immortalis ex eo quòd sit vnũ cum specie illa rationeque vniuersali: quę prout vniuersalis est, locũ fugit & tempus. Ad idem vero sic rursus argumentemur. Ipsum intelligibile propria est intellectus perfectio: vnde intellectus in actu & intelligibile in actu sunt vnum. Intellectus siquidẽ quandiu potentia est intellecturus, nondum cum re potentia intelligenda coniungitur: sed quando actu intelligens est cum re actu iã intellecta. Coniungitur autem cum ea (vt volunt Peripatetici) quoniã rei illius for- B ma inhęret menti. Quorũ verovna forma est: ipsa sunt vnũ. Vnum ergo fit ex mente intelligente, ac re intellecta: quandoquidẽ rei huius forma, vt talis est, format mentẽ. Quod ergo conuenit intelligibili: quantũ intelligibile est, conue- C nit intellectui quantum intellectus: quia perfectio, & quod perficitur, vnius sunt generis: & semper inuicẽ proportione mutua vinciuntur. Intelligibile vero quantũ tale est necessarium & perpetuũ. Quippe in speculando nullius existimamus corruptibilia: quia nos scire non arbitramur quicquã, nisi certam rei rationem & necessariam teneamus: & quæ necessaria sunt, ea perfecte intellectu cõprehenduntur: contingentia verò, quantum huiusmodi, imperfectè. Quando enim contingentia intellectus affirmat: sæpe fallitur. Si falli non vult, ambigit, vterque actus imperfectus est: & falli: & ambigere. Merito ergo quando contingentia cogitat, dubitare solet: ne interim permutentur: & aliter de illis atque aliter momentis aliis sit iudicandum. Momentis nanque singulis permutantur. Puta dum dicimus Platonem sedere, potest enim interim surrexisse. Definitiones autem rerum vni D uersales perpetuæ sunt: vt homo est animal rationale. Proprietates quoque specierum quæ propriè definiuntur, sunt sempiternæ: vt omne rationale potest ratiocinari. Sẽper enim definitiones proprietatesque tales æquè sunt veræ, etiã si nullus in terris homo spiret. Has intellectus perspicue cernit, tenetque firmiter, & asserit sine errore vel dubio. Et si qua contingentia intelligit: maxime sub his rationibus

vniuersalibus comprehendit, vbi corruptibilia cogitat, non vt talia, sed vt æterna. Intellectus ergo perpetuus est, qui rationibus sempiternis vnitur, solisque perficitur. Si intellectus eas capit, & quod capit, proportionem aliquam habet cum eo quod capitur: congruentiam certe cum his rationibus intellectus habebit. Hæ neque principium habent: neque finem. At si mens habet vtrunque, nullam cum his habebit proportionem: quoniam ab eis omnino per conditiones oppositas distinguetur. Quapropter mens aut fuit semper & erit, vt ipse: aut si esse cœpit quandoque non tamen desinet vnquam.

Obiectio Epicureorum & responsio de vnione mentis cũ speciebus absolutis è rationibus sempiternis. Cap. 2.

E NEque nos hic obtundat Epicureus aliquis obiiciens lumen quidem solis ab oculo suscipi: oculum interire: lumen vero solis incolume supereſſe. Similiter speciem illam vniuersalem id est vniuersaliter significantem, rationemque sempiternam capi ab intellectu: intellectum perire quandoque: speciem vel rationẽ remanere. Respondemus solis lumen ab oculo minime suscipi: quoniã ab eo ne momentum quidem tenetur: & occidente sole visus momento lumen amittit. Qui siquid luminis susceperisset: retineret vtique illius aliquid vel parumper, sicut aqua calorem retinet aliquantisper igne subtracto. Itaque adesse oculis lumen possumus affirmare: inesse vero & suscipi minime. Mens verò speciem illam rationemque vniuersalem hominis & aliorum ideo suscipere dicitur, quoniam absente etiam homine memoriter retinet. Adde quod lumen hoc ipsum quod lumẽ est, & quòd visibile, ab oculis non sortitur. Est enim suapte natura tale: & oculi inde vt clarescant & videant assequuntur. Species autem illa hominis vniuersalis, hoc ipsum quòd vniuersalis est, non ab ipsis singulis hominum habet personis, in quibus quicquid est, particulare est. In mente tamen est illa vniuersalis. Igitur vt vniuersalis sit,
F habet à mente. Sed quonã pacto hoc maxime, vt Aristoteli placet. Duas nostra mens habet vires: agentẽ vnam, alteram

Duæ mentis vires

vero capacem. Agens est, quæ species agit vniuersales: capax, quæ eas capit ab agente conceptas. Quando igitur phãtasia in se hominis huius, vt Socratis, hoc tale simulacrum contuetur: mox lumen virtutis illius agentis simulacrum istud pulsat, non aliter quàm solis radius aquam. Atque vt radius hic solis ab aqua repercussus in oppositum parietem ibi circulum procreat splendidum atque tremulum: ita lumen ipsum virtutis agentis pulsans particulare simulacrum hominis phantasia conceptum, atque ex eo simulacro in vim intellectus capacem reflexum, in hac ipsa inde speciem quandam parit, quę non amplius Socratem hunc in hoc loco & tempore positum refert, sed hominis naturam singulis personis æquè communem, à certis loci & temporis limitibus absolutam, vbi & species ipsa vniuersalis est, & natura quæ per eam refertur vniuersalis. In hoc mirabilis vis intellectus apparet.

Nempe qui speciem creat à materia, loco & tempore absolutam: atque ideo quodammodo sempiternam & creatam recipit in seipso: per quam etiam naturam similem apprehendit cur non & ipse ab iisdem absolutus sit atque perpetuus. Denique ea quæ intellectus attingit ita separata: si natura sua sunt talia, talis quoque est intellectus: nam cum attingit separata, ibi tunc est vbi sunt ipsa: igitur & ipse est separatus. Sinautem natura illis passionibus mãcipata sunt, sed intellectus sua vi illa liberat: multo prius ac magis ipse est liber: vt cætera liberet. Dic age cur forma rei cuiusque non potest vnum quiddam fieri cum intellectu, antequam omnino materia separetur, nisi quia intellectus ipse multo prius magisque est à materia separatus? Quo autem modo fiat vnum ex illa specie & intellectu, docet comparatio illa quam de radio induximus atque aqua. Quippe circulus ille inde natus splendidus ac tremulus parieti non satis vnitur: quia splendoris illius & parietis est nimium diuersa natura. At si in speculum inciderit, arctius vnietur. Tandem si in lumen solis idem redierit vnde radius ille demissus fuerat qui splendidum circulum procreauerat: coibit prorsus in vnum. Quid autem illa species est apud Peripateticos, quam peperit intellectus: nisi scintilla quædam tum simulacri illius quod à rebus collegerat phantasia: tum G

virtutis illius agentis per quam mens illam peperit? Quid autem noſtra mens eſt, niſi ſcintilla quædã mentis ſuperioris? Ergo ſpecies illa ita noſtræ menti infunditur, vt ſcintilla rerum ſcintillæ mentis ſuperioris: & vt circulus ille ſplendidus ſolis lumini cuius radio fuerat procreatus. Quapropter ex mente atque ſpecie ita fit vnum, vt ex duabus ſcintillis vnà coniunctis flamma vna: ſiue duarum candelarum radiis vnum lumen: ſiue ex circulo illo ſplendido & lumine ſolis fulgor vnus. Quod autem per ſpeciem ita ſempiternis vnitur, fit ſine controuerſia ſempiternum: ea præſertim ratione, quod intellectus forſitan intelligendo non modo cũ re æterna intellecta coniungitur: ſed ille quoque res ipſa eſt æterna quæ intelligitur. Idem enim radius eſt quodãmodo qui ab alto verberat aquam: qui fulget in aqua: qui in aërẽ repercutitur: vbi in ſeipſum refuſus, ſi videndi vim nanciſcatur: videbit ſtatim fulgorem illum ſuum qui redundauit ab aqua. Idem faciet ſi ab auro reſultauerit vel argento. Semper enim fulgorem ſuum videbit, licet variis modis affectũ pro obiectorum varietate à quibus fuerit repercuſſus. Si ex emplum conuenientius de duabus illis viribus intellectus &
A hac vnione deſideramus: conſideremus muſcipulæ nomine felem intelligit, quem vulgus catum vocat muſcipulæ oculum, in quo penè ſicut in mente noſtra duæ ſunt vires. Eſt in eo vitrea perſpicuitas: eſt & ſcintilla. Illa vis capax, hęc agẽs. Scintilla nocte emicat foras: trahit coloris huius aut illius imaginem à corporibus ipſi oppoſitis: imprimit eam virtuti perſpicue: quæ per eam corpus obiectum perſpicit. Immo fortaſſe non tam corpus oppoſitum perſpicit, quàm ſui ipſius radium qui explicatus fuit & replicatus: & quando replicabatur, reſiliuit in oculum iã pictus imagine corporis. Ideo licet cernere videatur modo hunc colorem, modo illũ ſemper tamen ſeipſum cernit quodammodo, ſed vario modo à variis coloribus refulgentem. Quid prohibet virtutem illam agentem, quæ noſtrę mentis eſt radius, in aliis & aliis phantaſiæ ſimulacris aliter & aliter emicantem, inde reflecti in ſemetipſam, ſeque videre diuerſo modo affectam pro diuerſitate ſimulacrorum? Vbi ſpecies illa ſiue ratio quam intelligimus abſolutam atque perpetuam, nihil eſt forte aliud quàm radius intellectus reflexus in ſemetipſum: qui

tunc facilè seipsum animaduertit, quando in simulacra sese dirigit: sicut vultus se non videt, nisi intueatur in speculum: vnde etiam varius repercutitur pro speculorum ipsorum varietate: quemadmodum & mentis radius à simulacris pro diuersitate simulacrorum diuersus reuerberatur in mente. Sed de his absolutius in sequentibus.

Obiectio Epicuri & responsio quod species innatæ sunt menti. Cap. 3.

NEgabit forsitan Epicurus species illas quas quotidie concipit intellectus, esse perpetuas: quia & esse incipiant quando pariuntur: & desinant quando mandatur obliuioni. Nos autē ex Platonis nostri sententia satis in hoc habere putamus, quòd species illæ si nascuntur, à rationibus animi perpetuis pariuntur: & ideas super animum referunt sempiternas. Ratio prima. Profecto sentire & intelligere quia vitales operationes sunt, à principio vitali intrinsecoque proficiscuntur: principio inquam actiuo. Sunt enim operationes quædam viuentibus & carentibus vita communes: vt generatio, alteratio, mutatio loci. Ea quæ vita carent: operationes huiusmodi patiuntur potius quam agant. Non enim se vllo modo generant, aut alterant, aut mutant loco. Viuentia verò eas in seipsis agunt: quia sese nutriendo augendoque, alterant & generant aliquid in seipsis: & iudicando appetendoque locum mutant. Si natura viuentia ad proprias actiones melius instruere debet quàm ad communes, melius autem instructum est quod est agens, quam quòd patiens, atque ad communes operationes eis actiuum principium tradidit: multo magis ad proprias actiones, sensum videlicet intelligentiamque, sic illa disposuit, vt agerent per eas magis quàm paterentur. Quapropter neque mens, neque etiam sensus (vt pluribus placet Platonicorum) vt percipiat quicquam, ab extrinsecis formatur corporibus: sed quemadmodum pars viuifica per insita semina alterat, generat, nutrit & auget: ita interior sensus & mens per formulas innatas quidē & ab extrinsecis excitatas omnia iudicant. Neque aliud quicquam est hoc iudicium quàm transitus formulæ à potentia quadam in actū. Non enim debet operatio vlla

agentis transcendere limites. Vitalis igitur & intus permanens operatio non est ab extrinseco principio vita carente:
E sed ab intrinseco & vitali. Signum vero quòd sensus interior est admodum efficax, inde capitur, quòd componit, diuidit, discurrit, suoq; affectu vertit corpus in contrarias qualitates. Signum quòd mens sit maxime efficax, à Boëtio contra Stoicos hinc accipitur, quòd vltra illa quæ facit sensus, ipsa præter obiectorum naturam vniuersales excogitat regulas: descendit componendo: ascendit & resoluendo: ac sese referens sibi, veris falsa redarguit. Denique cum rem eandem aliæ vires animæ aliter iudicent (aliter enim imaginatio siue phantasia, aliter ratio iudicat) consentaneum est vt iudicium ipsum iudicantis formam naturamque sequatur, non iudicati. Et quia iudicium iudicantis actus existit: probabile est vt quisque iudex operam suam non ex aliena, sed ex propria potestate perficiat.

Ratio secunda. Sed reuertamur ad mentem. Sicut simulacra singularium à corporibus phantasiæ non inuruntur, vt etiam probauimus aliàs, ita vniuersalium species à simulacris non signantur in mente: sed ita mens illas per vim suam efficit, sicut phantasia fingit simulacra per seipsam. Quo enim pacto simulacrum (quod etiam phantasma vocatur) rem aliquam procreabit seipso liberiorem & amplio rem? Ipsum quidem singulare est, & materiæ conditionibus adstrictũ: species vero quia vniuersalis est, ideo liberior est & amplior. Si non fit species hæc quæ etiam vniuersale nuncupatur, à simulacris: multo minus fit à rebus externis, quæ non possunt per aliud medium formare mentem, quàm per simulacra. Rursus vnius spiritalisque speciei vnam esse oportet causam spiritalem, vel saltẽ vnitã, & spiritali modo ordinatam. Singula vero quæ extrinsecus sunt: plurima sunt & corporea. Atqui nullum illorum per se acceptum, cum propriè solum, corporalisque naturæ sit, speciem procreabit incorpoream, & naturæ communis significatricem. Sed neque etiã omnia singularia simul iuncta istud efficient. Sparsa enim sunt: neque ordinem aliquem talem habent, vt talia subnexa aliis vnam seriem digerant causarum. Idcirco sicut lapidum coniunctione vnum quiddam simplex non fit, sed cumulus; ita per singularium turbam fiet forte quæ-

dam simulacrorum confusio potius quàm vna species atque simplex. Præterea in quolibet singulari tria reperiuntur: natura speciei: accidentia q̃ nõ sunt necessaria speciei: & F
ipsum ex vtrisq; cõpositũ: vt in Socrate est humanitas, q̃ natura speciei vocatur: est albedo, talis taliſque figura, quę forte accidunt speciei: & aduentitia nominantur. Ex vtrisque Socratis persona componitur. Nunquid ab his personis imprimitur in mente species illa communis, quæ est omnium hominum ęqualis similitudo? Certe ex accidentibus personarum non imprimetur (Referret enim hominis accidentia, non substantiam) neque etiam ex ipsa natura quæ subiicitur accidentibus. Illa enim non tota persona alicuius est hominis, sed pars eius. Ideo natura talis de nullo homine enunciatur. Quis dixerit: Socrates est humanitàs? Dicimus autem Socratem esse hominem. Homo igitur enunciatur de Socrate: de Socrate inquam toto: non de humanitate solum, vel accidentibus. De Platone toto similiter: atque aliis omnibus. Vbi apparet hominem ipsum quem mens nostra cõmuniter enunciat, de integris quibusque personis in seipsa conceptum, multo ampliorem esse hac vel illa personæ cuiusque natura. Quod vero cõprehendit, aliud & amplius est: non fit ab eo quod & cõprehenditur, & est angustius: p̃sertim cũ natura illa fiat in singulis hominibus singularis. Quod autem singulare factum est: non creat vniuersale.
Sed nunquid ab integris cunctisque personis species illa nobis infertur? Nequaquam. Quippe innumerabiles personas G
æquè illa species respicit. Innumerabiles vero nusquam inspeximus, neque ex quibusdam personis accepimus eam quæ infinitas insuper alias comprehendit. Neque potest vllus satis tuto à quibusdam singularibus regulam communem perscribere: falleretur enim quisquis id tentaret: perinde ac siquis cum sola terræ animalia consideraret, atque illa videret spirare: animal omne spirare concluderet. Cum igitur species neque à singularibus personis, neque ab earum simulacris generetur: reliquum est vt fiat ab intellectu. Intellectus eam non generat ex phantasmate, vel in phantasmate. Phantasma enim quia & in essendo & in significando singulare est: si fieret materia, locúsve speciei, eam redderet similiter singularem.

Cęterum dubiũ eſt, num ipſam generet per phantaſma tanquam per cauſam mediam inter intellectum & ſpeciem generandam. Quod quidem fieri non poſſe ex hoc opinamur, quòd cauſa media & effectui proxima, cum effectu magis quàm remotior cauſa conuenit: vt in hominis generatione, quia ſol per hominem medium generat hominem, magis homo generans cũ homine genito quàm ipſe ſol congruit. Si igitur phantaſma eſſet proxima cauſa ſpeciei, ſpecies phãtaſmati ſimilior quàm intellectui naſceretur: hinc duo ſequerentur abſurda. Vnũ, quòd ſpecies huiuſmodi ſtatim nata, phantaſma ipſum: & phantaſiã, vtpote ſibi propinquiora, adſciſceret tanquam naturalem ſedem potiusquàm intellectum. Alterum: quòd & ſi eam intellectus acciperet per talem ſpeciem, intelligeret ſingulare aliquid, & magis & prius quàm vniuerſale. Illa ſiquidẽ ſingulare nunciaret in primis: quia eſſet phantaſmati ſingulari cognatior. Neque audiendi ſunt illi qui phantaſma inter intellectum & ſpeciem quaſi inſtrumentũ aliquod interponunt. Nónne virtus mentis agens cũ capace magis congruit quàm phantaſma? Quo igitur pacto agens capacem per extraneum phantaſma formabit, cum oporteat inſtrumentum formationis inter formatorem atque formabile interponi: phantaſma verò extraneum inter duas illas vires inuicẽ germanas nequeat interponi? Quamobrẽ intellectus quando formam illã creat: neque ex ſimulacro, neque in ſimulacro, neque per ſimulacrum procreat. Forte verò radium aliquem, ſeu vim inſerit ſimulacro phantaſiæ: per quam ipſum ſimulacrum tanquã formator mentis formam huiuſmodi generat, quam ſpeciẽ vocamus intelligibilẽ. Sed neque hoc fieri poſſe putamus. Nempe vis illa ſuſcepta ſimulacro iiſdem materiæ conditionibus adſtringetur, quibus ſimulacrum. Itaque formam intelligibilẽ quæ ab illis conditionibus eſt abſoluta non generabit. Ac ſi quis dixerit formã illam modo abſoluto capi ab intellectu, quanuis phantaſma ipſam non creauerit abſolutam: ex eo ipſo nos concludemus (quod exoptamus in primis) intellectũ non ſubiici phantaſiæ tanquã formabile formatori: poſtquã præſtantiore modo formas habet quàm ipſa tribuere valeat. Quo fit, vt forma intellectualis ſi naſcitur, à ſolo intellectu naſcatur: & ſine medio. Si enim mens

formam illam generat, & generando eã in se absque medio susscipit: certe per se gignit illam: & gignit alio nullo intercedente. Ex omnibus his concluditur, intellectum formare seipsum. Et quoniam si esset prorsus informis, seipsum formare non posset: necesse est ante eas formas vel notiones quas per omnem ætatem penè momentis singulis in se parit, latere in animi penetralibus formas alias animo naturales, totidem numero, quot sunt in mundo rerũ species creatarum: quibus possit formas illarum specierum intelligibiles parere.

A

Ratio tertia. Certæ nanque res certis egent seminibus. Non facit natura ex quolibet quælibet: non facit ex nihilo aliquid. Idcirco non potest essentia animæ, quę & vna est, ac ferme omnia respicit æque, multas & varias specie formas producere, & alias aliis temporibus, nisi per plures formulas insitas specie differentes: quibus aliis temporibus alias potius quàm alias procreet aut promat.

Ratio quarta. Has enim sæpenumero etiam nulla consultatione vel voluntate antecedente, solo quodã naturali instinctu repente promit in lucem. Effectus verò qui naturali fiunt ordine, formam præferunt talem qualem causæ possident. Calida enim ab igne fiunt calente: quia causa quæ ex suo esse aliquid efficit naturaliter, talem licet inferiori modo effectum facit, qualis est ipsa. Mens igitur quæ per suum esse naturaliter generat vniuersales rerum omnium species, in ipsa quoque sua essentia ab origine nacta videtur vniuersales species omnium: vt similia similibus generentur. Nam si illarum specierũ vna est efficiens causa scilicet intellectus & subiectum vnum, intellectus scilicet idem: nulla ratio assignari potest cur multæ & differentes fiant secundum speciem: nisi quia intellectus per diuersas rationes sibi naturales eas promit diuersas. Non enim sufficit ad hanc varietatem efficiendam, simulacrorũ diuersitas: quæ nihil ad hanc fabricam aliud afferunt, quàm occasionem aliquã operãdi: dum per illorum præsentiã mens ad promendas species excitatur. Hoc autem nihil aliud est quàm rationes illas otiosas reddere promptiores.

Ratio quinta. Proinde si diuina mens idearum omnium plena per essentiam suam adeo plenam absque medio ani-

mam procreat: oportet animam inde idearum plenam effluere. Nempe deus cum in efficienda anima à nullo prorsus impediatur: tam perfectam efficit, quàm perfecta in tali genere illa effici potest. Perfectior certe prodit, si in prouinciam tam difficilem notionum plena descendat, quàm si vacua. Est autem notionũ capax ab initio ex ea parte qua cum angelis conuenit. Sicut enim ex parte sua tẽporali habet vt continue quærendo discurrat, sic ex ęterna vt possederit ab initio: præsertim cũ ipsa propinquior deo sit quàm prima materia. Ideoque si materia omnes inde species accipit, & cum primum parata est capit: necesse est animã quoque omnes suscipere. Parata verò est anima ad omnes susci-
B piendas cum primum à deo accipit esse. Siquidẽ eius essentia simplex est, stabilis supra tẽpus: ideoque nõ potest augeri, aut per tẽpora paratior fieri. Quod ita cecinit Zoroaster.

σύμβολα πατρικὸς νόος ἐνέπαρεν ταῖς ψυχαῖς

id est paterna mens inseruit animabus coniecturalia signa. & Orpheus ita.

C πάντα γὰρ πρωτῦ πρώτη φύσις ἐγκατέθηκεν:

id est, omnia enim Proteo prima natura indidit. Theologia orphica Proteum appellat essentiam tertiam animarum rationalium sedem. Architas quoque Tarentinus in libro de sapientia, hominem inquit sapientissimum cunctorum animantium esse natum: quippe cui deus rerum omnium ideas infuderit: per quas mente valeat notiones rerum non aliter procreare, quàm ore per linguam rerum nomina fingere. Hæc ille.

D Ratio sexta. Profectò (vt Platonice loquar) in materia formarum omnium suscipiendarũ latent incohationes. In natura quoque per quam ad formas mouetur materia, formarum semina delitescunt. Vnde in complexione arboris naturali clauditur semen ad arborem similem propagandam. In semine arbor generanda tota concluditur. Idem accidit in cõplexione naturali, & semine animalis. Igitur in ea parte animæ quæ alit corpus, & natura vtitur velut instrumento ad mouendam formandamque materiã, insunt, & multo quidem præstantius, formarum omnium rationes: vt ex ratione capitis quæ in anima est, exoriatur semen illud capitis quod est in natura: ex hoc autem semine pullulet forma

hæc capitis quę conſpicitur in materia. Atque idē fiat in pectore, brachiis, mēbriſq; cæteris. Si pars hæc infima animæ fœcunda eſt, formatq; ipſa corpora, & à corporibus nō formatur, & formarū generandarū continet rationes: nunquid mens quæ pars eſt animæ ſumma, ſterilis erit. Aut ſolū formabitur à corporibus? Aut carebit rationibus ad ſpecies ꝓducendas? Nullo pacto: immo verò ſicut pars infima q̄ ſingulis corporibus ꝓxima eſt, ꝓ inſitas ſibi ab origine rationes ſingula gignit & corporalia: ita mens quæ in corporalibus ac penitus abſolutis mentibus ꝓxima eſt, rationes inde inſertas habet, per quas producat ſpecies illas à corporum paſſionibus abſolutas.

Septima ratio. Sic enim anima inter diuina & corporalia mediū obtinebit, ſi vtrorūq; particeps apparebit: habebitq; int⁹ vtrarūq; formarū & intelligibiliū & ſēſibiliū rationes.

Octaua ratio. Neque decet eā corporibus eſſe deteriorē. Ergo ſi corpora ante aduentitias qualitates, qualitates poſſident naturales: multo magis animus formulas habet in mente proprias antequā excipiat peregrinas. Duplex materiæ cōmunitas conuenit: naturalis, & aduentitia. Naturalis eſt natura illa in qua ſingula ſub eadē ſpecie inuicē congruunt: ſicut humanitas in qua ſinguli congruunt homines: quę cōmunitas (vt plerique putant) perpetua eſt, & ſingulis quibuſque præſtantior. Aduentitia eſt notio illa vniuerſalis quā de naturali communitate mens cogitat ſingulis quibuſcunque ſeclusis. Quæ non modo, quod ad materiam ſpectat, aduentitia eſt, ſed quòd ad mentem. Si ante hanc aduentitiam communitatem materia poſſidet alteram naturalem, mens quoque materia melior ante hanc alteram ſimiliter poſſidet. Oportet enim communem formam in mente aliquam præſtantiorem eſſe quàm in materia. Eſt autē naturalis perfectior quàm contingēs. Igitur oportet ineſſe menti communes formas ante illas quas corporaliū rerū fingit occurſu. Sępe verò dū ingenitas formas inſpicimus, putamus propter inſcitiam nos aduentitias vel externas proſpicere: nō aliter atq; illi qui vel ſōno vel morbo quodā cerebri oculorūve affecti, arbitrātur ſe videre q̄dā extra ſuos oculos huc & illuc ſępe volātia: q̄ tamē & verſant & videtur intrinſec⁹.

E

Nona ratio. Cur bruta rebus ſingulis inſpectis cōmunē

non excogitant notionem : homo autem ex natura sua rationali, qua differt à brutis, id agit? Nisi quia ipsa sua natura sigillum possidet talium figurarũ? Si enim formas procreat per naturam speciemque propriam: eas profecto per naturã procreat formatricem. Naturam vero talem carere quis dixerit characteribus?

Decima ratio. Præterea quando in scientiis perfectas demonstrationes conteximus, ex principiis quibusdã præstantioribus & latioribus, solemus de speciebus proprietates aliquas demonstrare. In illis autẽ notionibus quæ denuo finguntur ab animo, quę latior est, ea est remotior à substantia propterea quę speciei notio ad substantiam accedit propinquius quã notio generis. Quo fit, vt quæ in illis minus cõmunis est, ea præstantior iudicetur. Aliæ igitur notiones sunt in animo præter istas, quæ latiores sunt simul atq; præstantiores: ex quibus demonstratio vera conficitur. Quoniã vero demonstratio non ab vniuersalibus tantum, sed ab vniuersalibus causis proficiscitur: notiones autem quę menti innatæ sunt, non sunt demonstrati effectus causæ: rursusque formæ in corporibus vniuersales esse non possunt: sequitur
A vt super formas & quæ in corporibus, & quę in nostris mẽtibus sunt, quærendæ sint formæ aliæ in mente diuina omnium conditrice: quæ vniuersales omniũ causæ sint: quarũ formulas humana mens habet: vt per has tanquam causarũ similitudines ad illas tanquam effectuum causas conclusiones referat demonstrando. Sed aliàs de ideis.

Vndecima ratio. Atque hæc ipsa demonstratio semper aliqua nobis ignotiora ex propositionibus notioribus infert: illas rursus ex aliis: quousque ad principia quædã menti per se nota perueniat: ne aut irritus fiat in infinitũ progressus: aut ab eisdem ad eadẽ retexatur circulus temerarius. Quæ verò per se nota sunt menti, per naturam mentis effulgent mentis aspectui. De singulis autem speciebus rerũ ex propriis earum principiis propriæ fiunt demonstrationes, & in variis facultatibus variæ. Igitur secundum varias species & varias facultates adsunt menti diuersa doctrinę principia ex naturali mentis lumine cognita. In ipsis vero principiis cũcta sequentia continentur. Hinc efficitur, vt animus per naturam omnibus doctrinis abundet.

Duode-

Duodecima ratio. Vt quemadmodum & arbores, & animantes, earumque mẽbra ex propriis seminibus pullulant: ita scientiæ ex intimis initiis oriantur, ne mens sit sterilior quàm natura quæ ex seminibus insitis suos fœtus educit: nõ casus effundit impulsibus.

Tertiadecima ratio. Quando inter nos verum quærimus interrogando & respondendo: quomodo posset ad summã peruenire quę concluditur ratio, nisi aliquid prius concederetur? Concedi autem recte quid posset, quod nescireturr? Ita ista ratio (vt Augustinus Aurelius inquit) nisi inueniret in nobis aliquid cognitum, quo innitens, ad incognitum duceret: nihil omnino per illam discerneremus. Inest ergo nobis ante ratiocinationem intelligentia quædam, vnde ratiocinatio sumat exordium.

Quartadecima ratio. Nónne ratiocinatio nostra mobilis est: & dum veritatem inquirit, ab alio descendit in aliud: & quando aliquid inuentũ examinat, in aliud ascendit ab alio? Motus vero omnis à quiete: siue stabili aliquo exorditur, ac tendit ad stabile. Motus autem huiusmodi notionum complexio est. Res verò quælibet principium habet proprium, suumque finem. Quapropter ratiocinatio quia notionum progressio est, in notiones reducitur: quia mobilis in aliquas stabiles notiones: quarum impulsu quærat quod cupit: indiciis inueniat quod quæsiuit: luce examinet quod inuenit: firmitate quiescat inuentis. Inde ergo cæpit quærendo, in idem redit examinando. Sunt ergo in mente stabiles quædam & perpetuæ notiones, quę & principia sunt & fines ratiocinandi.

Quintadecima ratio. Neque ratiocinandi solum, verum etiam quomodocunque intelligendi. Nam sicut sensus qui per aduentitias formas, quæ dicuntur accidentales, cognoscit semper, accidentia quoque semper attingit, vt Platonici putant: ita conuerso mens quę essentias rerum definit, per essentiales formas intelligit. Et quia sensus qui fallacibus confidit rerũ imaginibus, & subito vanescentibus, sæpe fallitur, neque imaginẽ à re vera discernit, sed opus est ad hoc iudicio rationis: idcirco mentẽ oportet essentialibus (vt ita dixerim) rationibus inniti: ne ipsa quoque fallatur, & iudicio virtutis alicuius superioris indigeat. A

Sextadecima ratio. Præterea si cognoscimus angelos, neque eos nosse valemus per species à sensibus haustas: quę cũ pendeant à corporibus, non referunt angelicas formas, quæ ad corpora non declinant: sequitur vt eos per insitas species cognoscamus. Quo enim pacto iudicamus angelos esse naturas nõ vergentes ad corpora, nisi per species à corporibus minime dependentes?

Decimaseptima ratio. Denique inter cognitionem diuinam & sensitiuã cognitio intellectualis est media: ergo & medias habet conditiones. Deus cognoscit per essentiã suã immobilem: sensus per mobiles qualitates, id est species pe
C regrinas. Quapropter mẽs cognoscet per qualitates immobiles: quæ species innatæ vocantur. Ordo denique vniuersi requirit vt quemadmodum puræ mentes in se respiciunt, sensus autem in alia solum: sic anima mentis sensusque par-
D ticeps, nõ modò extra se formas, sed in se quoque respiciat. Vbi autem Aristotelis more mentẽ dicere solemus nouas species procreare: possumus etiam proprius more Platonico dicere innatas species ex mentis penetralibus erui. Germanarum virium ea est natura, vt se mutuò comitentur in operando, sicut in existendo: & se vicissim suscitent ad agendum. Germanę vires sunt olfactus & gustus: vnde sæpe animus per odoratum inuitatur ad gustum. Germanæ, concupiscendi virtus & irascendi natura. Facilè igitur ex libidine irritamur ad iram. Germanitas etiam oculorũ facit vt ambo simul vertantur ad idem. Germanitas sensus & phantasiæ efficit, vt operante sensu ad aliquid, ad idem operetur & phantasia. Propter similem germanitatem, quando phantasia species suas profert in actum, mens quoque suas educit in lucem. Non generantur propriè tunc mentis species, sed quæ angustius coarctabantur, parent latius, & floresciũt: quę tepebant, feruent: quæ in solo mentis vertice per se lucebãt, rutilant eminus: & in ratione quæ mentem sequitur, iam fa
E cta sereniore refulgent. Itaque quam Aristoteles creationẽ vocaret in speciebus, Plato coruscationem cognominabit: per quam expergefactus oculus rationis speciebus mentis irradiatur. Prima illa in mente coruscatio, intelligentia ipsa est: sequens irradiatio est ipsa rationis discursio. Per intelligentiam essentiæ rerum definiuntur. Per rationem compo

nuntur essentiæ definitæ: & argumentationes conficiuntur. Veras autem definitiones essentiarum non potest mens per accidentalia rerũ simulacra fabricare, sed eas constituit per infusas ab origine rerum omnium rationes.

Decimaoctaua ratio. Infusas inquam à rationibus rerum quas habet deus. Quæ quidem in deo sunt ipsa dei essentia, ab ipso deo sub variis rationibus intellecta. Formæ igitur omnium in deo sunt: ibique nihil aliud sunt, quàm essentia ipsa dei: atque omnes habitu simul & actu. Omnes quoque formæ sunt in angelo. Non quidem essentia ipsa sunt angeli: sed rationes quædam essentiales id est quę semper essentiam comitantur. Vbi vigent habitu simul omnes & actu: quia secundum omnes actu omnia simul intelligit. Pręterea sunt omnes in hominis intellectu. In quo etiam essentiales rationes cognominantur, habitu cunctæ simul, sicut in angelo: non simul actu: quia non simul vtitur vniuersis. Propterea intellectus infimus appellatur, & materiæ quodammodo similis: quia tamen est præstantior quàm materia, ideo effectiuo habitu formas habet: quod materiæ non conceditur: qui habitus appellatur vis mentis agens: quia sese confert ad actum. Vis quoque capax: quia suscipit actus perfectionem. Postremò omnes formæ sunt in materia. Vbi etiã rationes essentiales ideo nominantur, quia sunt fomites siue habitudines quædã siue respectus ad formas essentiam materiæ perpetuo comitantes. Quę quidem formarum potentiæ sunt: potentiæ inquam capaces formarum, non efficaces: & formæ quodammodo ipsę, sed imperfectę. Vnde omnes quoque sunt in materia modo perpetuo: secũdum quidem potentiam: non tamen secundum efficacem habitum aut actum.

Decimanona ratio. Quis neget animum statim à tenera ætate vera, bona, honesta, vtilia exoptare? Optat autem intellectus nullus incognita. Ergo insunt istorum aliquæ etiam antequam appetat in animo notiones: per quas ceu formas rationesque ipsorum ea iudicat appetenda. Idem ab inquisitione & inuentione probatur. Si in turba hominũ quę rat Socrates Alcibiadem, sitque illũ aliquando inuenturus: necesse est Socratis menti aliquam Alcibiadis figuram inesse: vt sciat quem hominum quærat præ cæteris: atque in- A

uentum in cœtu multorum Alcibiadem ab aliis discernere valeat. Ita neque indagaret ea quatuor animus, neque aliquando inueniret, nisi haberet illorum id est veritatis, bonitatis, honestatis, vtilitatis aliquam notionem: per quam illa quæreret inuenturus: vt quotiens inuenit quæ inuestigauerat, agnoscat, atque ab eorū discernat contrariis. Neque solū ab appetitu, indagatione, inuentione, sed etiam à iudicio id probamus. Quicunque enim aliquem sibi amicum iudicat vel inimicum: quid amicitia quidve maleuolentia sit, non ignorat. Quonam igitur pacto multa vera vel falsa, bona vel mala, vt solemus, quotidie iudicaremus, & recte iudicarem⁹ nisi esset nobis veritas quodammodo bonitasque ab initio cognita? Quomodo rursus structuræ, musicæ, picturæ, & artium cæterarum opera, necnon inuenta philosophorū, multi etiam in iis artibus non versati probarent sæpenumero recte, & reprobarent, nisi illarum rerum forma quædam esset & ratio illis à natura tributa? Comparatio quoque idem nobis ostendit. Quicunque enim mel vino comparans, alterum altero pronunciat dulcius: quis dulcis sit sapor agnoscit: & qui Speusippum & Zenocratem conferens ad Platonem, Zenocratem censet Platonis similiorem quàm Speusippum: Platonis figuram proculdubio nouit. Eodem modo cum è multis bonis aliud alio melius rectè existimemus & maiori minorive bonitatis ipsius participatione aliud alio melius deteriusve appareat: necesse est bonitatem non ignorare. Præterea cum è multis & diuersis philosophorum aut etiam aliorum opinionibus, quæ veri sit similior & probabilior, sæpe optime iudicemus, oportet non deesse nobis aliquem veritatis intuitum: vt quæ sint illius similiora, non nesciamus. Quapropter nonnulli in adolescentia, aliqui etiam sine præceptore, plerique ex pauciss imis doctrinæ rudimentis à præceptoribus demōstratis doctissimi euasisse traduntur. Quod nunquam nisi multum, vt diximus, iuuante natura fieri potuisset. Hoc abunde Socrates Phædoni, Menoni, Theæteto adolescentibus demonstrauit: docuitq; posse pueros rectè in singulis artibus respondere, si quis prudēter eos interroget: cum à natura sint artium disciplinarumque omnium rationibus præditi.

Confirmatio superiorum: atque insuper de ideis. Cap 4.

POssumus autem ex tribus illis Platonis libris, Phędone B
Menone, Theæteto, atque insuper ex Parmenide, Timæo & conuiuio, sic rursus argumentari. Si capite proprie atque præcipuè alter quidem maior, alter verò minor denominetur: absurdum id quidem. Primo, quoniam per idem & maior erit & minor. Deinde per aliam speciem in alia specie aliquid collocabitur: puta per capitis speciem in maioris minorísve specie. Præstat autem capite capitatum quàm maius: aut minus denominare. Denique absurdū est, per aliquid paruum maius aliquid dicere. Igitur si formalis afferenda causa est: maioritate maius, minoritate minus cognominabitur. Similiter denarium numerum nouenario plurem, non vnitate propriè appellabimus: siquidem ab vnitate proprie vnum denominamus: immo pluralitate plurem: & alium paucitate pauciorem esse dicemus. Item dualem numerum fieri asseremus non diuisione vnius in duo: quia etiam coniunctione interdū huius rei atque illius fieri contendetur. Et omnino idem propriè oppositis effici causis non est dicendum. Ergo dualem numerum dualitatis ipsius participatione fieri secundum formā potius asseremus. Sed hæc tāquam leuiora mittamus: pergamus ad grauiora. Si color vel figura est ipsum pulchrum: quonam pacto erit color aliquis vel figura deformis? Item quanā ratione multa subiecta pulchritudinis vnius tanquam communis participarent, nisi vna quędam pulchritudinis natura communis & inesset singulis, & præesset: vt ab ea quæ præest, dependeat & quæ inest? Proinde aliud est ipsa bonitas quam res quę bonitatis participatione fiunt bonæ. Aliud pulchritudo quā res pulchræ: similiterque de cęteris speciebus: quas Plato vo C
cat ideas. Corpora enim pulchra multa sunt: ipsa verò pulchritudo vna est. Nam omne primum summumque in aliquo rerum genere, vnum est solummodo. Rursus hæc pul- D
chra duas habent naturas: tum materiam corporalem, quæ fit participes pulchritudinis: tum pulchritudinis qualitatē: ipsa verò pulchritudo nihil est aliud q̄ pulchritudo: quoniā quicquid est in genere aliquo primū tale, nihil aliud est quā tale. Item corpora hæc partim pulchra sunt, partim etiā tur-

pia. Nam ex ipsa sua materia, quę aliud aliquid est quàm pulchritudo, deformia iudicantur: ipsa verò pulchritudo turpitudinem non admittit. Si modò oppositа vicissim se fugiunt, corpora quoque pulchra, mutantur: & modo pulchra sunt, modo contra. Pulchritudo verò immutabilis est: quia & nihil est aliud quàm pulchritudo: & quantum pulchritudo est, non mutatur: quia sic neque vertitur in contrarium: neque priuatur quandoque fundamento & sustentaculo: cũ seipsa sustineat. Adde quòd corporalia quæque aliis pulchra videri possunt: aliis verò non pulchra: ipsa verò pulchritudo carere pulchritudine cogitari non potest. Præterea corpora formosa diuisibilia sunt: pulchritudo autem indiuisibilis. Non parua est: quia magna corpora non formaret. Non magna, quia paruis corporibus non congrueret. Denique non est corporea: quoniam rebus spiritalibus non cõpeteret. Non est etiam temporalis: quia rebus non inesset ęternis. Inest autem multo magis animabus & mentibus quàm corporibus. Sed neque in illis est prima: tum quia illæ secundum se deformes sunt nisi formentur à bono, cuius splendor est pulchritudo: tum quia illæ veritatem appetunt tanquam pulchram. Pulchritudo verò non expetit semetipsam. Tum denique quia simpliciter & communiter amabile est non esse quidem animale vel intellectuale, sed bene bonumque esse. Cum verò bonum summe alliciat: summa est pulchritudo. Itaque idea ipsa pulchrorum est super corpora, animas, mentes. Est vna, simplex, pura, immutabilis, indiuisibilis, incorporea, & æterna: atque eadem idearum omnium est natura. quod hinc quoque alio exemplo probamus. Hic homo quando illum generat hominẽ, non proprie specificam humanitatem ipsam, quæ communiter in vtroque consideratur, gignit. Gigneret enim & seipsum, qui per humanitatem extat. Præterea terminata natura naturam interminatam generare non potest. Non ergo causa est hic homo vt simpliciter humanitas sit: sed vt in illa materia propagetur. Oportet autem naturæ humanę communis esse communem causam, atque etiam per se agentem: quod ostendit ordinatissima eius & stabilis compositio.

E

Quamobrem super agentia in speciebus particularia extare oportet vniuersale agens, speciem respiciens atque diri-

gens. Quod etiam apparet in iis quæ absque manifestis seminibus generantur: vt aliâs demonstrauimus.

Argumentantur rursus multi Platonicorum à mentis obiectis hunc in modum. Cum intellectus noster naturaliter formas capiat, rationesque intelligat vel separatas, vel separando: sequitur vt communes ipsæ rerum separatæque à materia: rationes, naturalia sint eius obiecta. Quoniam vero obiecta eiusmodi mouent, formant, perficiunt intellectum: ideo in præstantiori veriorique vniuersi gradu sunt constitutæ: longissimeque à figmentis absunt: ne mens & veritatis iudex, & sensuum emendatrix, à veritate remotior sit quàm sensus. Quam ob rem rationes illę merito sublimiores, veriores, efficaciores naturæ existimantur, quàm intellectus qui inde formantur. Sed nunquid illæ rursus intellectuales sunt appellandæ? Non quidem proprié. Siquidem rationales animæ secundum participationem intellectuales sunt: angeli verò intellectuales secundum formam. Rationes denique illæ atque ideæ intellectuales quidem secundum causam, intelligibiles verò secundum formã. Intellectuale enim ad intelligibile ita ferme se habet, vt appetẽs & mobile atque formabile ad appetibilẽ motorẽ atque formatorem. Sed vbinam sunt? Sane ideas minus cõmunes in ideis communioribus generatim Platonici collocãt: ac demum omnia idearum genera in ipso ente primo cõmunissimo entium atque perfectissimo, quod summum intelligibile vocant: intelligibile quidem secundum formã: intellectuale verò secundũ causam: cui proximè subdunt mentes quàmplurimas intellectuales secundũ formã, intelligibiles verò secundũ participationẽ. His autẽ rationales subiiciunt animas, intellectuales tã participatione quadã, intelligibiles verò nequaquã. Proinde censent ens ipsum, ipsumque intelligibile, idẽ esse: quoniã ens sit naturale & adæquatũ intellectus ipsius qua ratione est intellectus obiectũ. Præterea in telligibile ipsum sub primo rerum principio collocant. Illud enim tale est, vt comprehendi quodammodo possit: hoc verò nequaquam. Principium primũ appellant propriè vnitatem ipsam atque bonitatem. Et quia vnitas eminentiam lucemque procul ab omnibus segregatam refert, intelligibile verò refert lumen quoddam iam intellectibus propor-

tione quadam accommodatum: ideo vnitatem & aliud & superius quàm intelligibile esse putant. Rursus quia mentes tam intelligere quàm intelligibile appetunt, non simpliciter, sed & bene & bonum, bonũ verò simpliciter appetunt: idcirco hac etiam ratione bonũ id est deũ summũ, ipsi enti, quod & intelligibile est, præponunt. Mitto quòd intelligibile respicit intellectum: bonum verò respicit voluntatem. Itaque non solum hoc ab illo est differens, sed & pręstantius: quippe cum præstantius sit quòd voluntatem rapit, quàm quod ab intellectu comprehenditur. Quapropter ens ipsum ab intellectu pro viribus percipi opinantur: bonũ verò per voluntatem potius ad seipsum animam trahere: atque tractam in se quoque transfundere: & si quo pacto ab anima iam occupata suo modo tangitur, tangi proprie per vnitatẽ
E mentis caput: quam ab initio nobis deus, qui est vnitas vniuersi princeps, inseruit. Cęterum vt ad propositum reuertamur: in ipso quidem bono ideas per causæ modum esse solum relatiuis quibusdam rationibus tantum inter se distinctas: in ipso verò intelligibili per formã proprie atque absolutis insuper formis inuicẽ differentes: in sequentibus mẽtibus siue à corpore seperatis siue coniunctis participatione iam quadam & gradatim magis magisque distinctas: in natura verò semina quædam infima formarum ab ideis infusa: in materia denique vmbras. Ipsum quidem bonũ Plato in epistolis deum patrẽ nominat: ipsum verò intelligibile deum filium. Plotinus quoque & deum de deo, & de luce lumen, & rationem, verbumque dei. Rursus Plato in Epinomide per rationem huiusmodi diuinam, siue verbum (quẽ mundum vocat intelligibilem) affirmat mundũ fuisse sensibilem exornatum. Quoniam verò ideæ in primo quidem vna forma sunt, in secundo verò multæ formæ (non enim putant in prima forma absolutam diuersitatem esse formarum) ideo Plato contemplatus & colores in lumine circa lucem, & lineas in circulo circa centrũ: inquit in epistolis multiformes ideas absolute distinctas circa primum rerũ principium esse potius quam in primo. Similiter in libro de republica septimo, ideam inquit boni, id est ipsum bonum, in cuius forma omnes ideæ vna forma sunt, pulchrarum esse causam idearum: videlicet illarũ quæ in sequentibus multæ

formæ sunt absolutę inuicem differentes.

Superioribus rationibus Plotinus & Proculus ideas confirmant:& aliter in deo(vt aiunt)primo ponunt,aliter in secundo. Alij verò nonnulli ad idem ita procedunt. In materia quidem postrema idearum vmbra resultat: super materiam verò idearum omnium lucet facies: quarum fons est deus rerum auctor:vt Platonis Timæus planissime docet,ac liber de republica decimus,& Parmenides. Si enim mens & natura plenæ formarũ sunt, perque illas agunt quod in naturalibus artificiisque apparet: merito & deus, qui naturæ mentisque formator est,informis esse non debet. Per formas igitur agit,quas appellamus ideas. Has Plotinus & Proculus non solum exemplares, sed etiam essentiales formas appellant. Putant enim opificem mundi nulla in fabricando mundo consultatione vti. Talem enim imperfectam operationem esse: atque eum qui de opere perficiendo consultat,prius in se imperfectum opus quodammodo concepisse,deinde de illius absolutione perquirere. Quod à mente perfecta est alienum. Item si vniuersum mutabili solum prouidentiæ discursu disponeretur, non esset vsquã stabile quicquam, neque perpetuus esset mundi motus & stabilis. Igitur deus vniuersum per esse suum facit atque disponit: præsertim cum eiusmodi actio & prima & communissima & facillima sit omnium actionum:ideoque à causa quadam prima communissima,felicissima sit vbicunque sit:eique in primis conueniat. Omnis autem causa quæ ipso esse facit, talem sequenti gradu facit effectum, qualis est ipsa primo. Cum igitur mundus sit cunctarum complexio specierum: sequitur vt mundi opifex modo quodam suprà quàm cogitari possit præstantiore specierum omniũ complexio sit, & omnium formas habeat exemplares,sibique met,vt illorum more loquar,essentiales. Quod iterum ita confirmant. Si ars naturam imitatur, perque operum rationes efficit opera:ergo & natura suorum operum possidet rationes. Rursus natura cum ex seipsa careat ratione, & moueatur perficiaturque à deo: rationes accipit ab ipsis diuinæ mentis ideis. Et quanto naturæ rationes interiores ipsi naturæ sunt, quam rationes artis arti:tanto saltem rationes diuinas interiores oportet esse deo, quàm naturæ rationes ipsi naturæ.

Addũt, quòd formæ ſenſibiles haud omnino vereq́ ſunt tales quales cognominantur. Sane æqualitas & ſimilitudo paſſim inæqualitatis diſſimilitudiniſq́ue fit particeps. Formoſitas autem vera in ſubiecto per ſe deformi informiq́ue eſſe non poteſt. Bonum quoque verum, vbi defectus & procliuitas eſt ad malum, eſſe nequit. Quinetiam in cæleſtibus nolunt eſſe veram lineam, ſuperficiemq́ue: verũ centri polorumq́ue punctum. Siquidem quorum ratio eſt impartibilis: ipſa in re partibili eſſe non poſſint. Sed animus noſter veras habet gignitq́ue formas, per quas alias falſi redarguit quantum à verisdiſtent, animaduertens. Quamobrẽ multo
I magis anima vniuerſi veras formarum poſſidet rationes & gignit. Vbi enim virtus intelligentiaq́ue præſtãtior: ibi expreſſiorum formarũ conceptio atque partus. Denique mun
K di opifex certiores etiam perfectioreſq́ue formas in ſeipſo gignit: atque (vt Proculi verbis vtar) dum ſe animaduerten do ſeipſũ gignit, in ſe ſimul generat omnia. Accedit ad hęc, quòd cum vniuerſi membra perpetuo quodam ordine inter ſe conſpirent: non caſu, ſed ratione conciliantur atque regũtur. Ratio illa quæ ordinat omnia, ſeipſam ignorare nõ poteſt. Alioquin ratio ſumma foret irrationalis, ſi nullã rationem ſui ipſius haberet. Rationalior enim ratio eſt quæ ſeipſam cognoſcendo cõplectitur, q̃ quæ ignorando ſe deſerit. Illa igitur ſe tanquã ratione omniũ ordinatricem intelligit: quo efficitur vt quibus rationibus modiſq́ue ſingula diſponantur, ſemper intelligat. Quãobrẽ in ſumma omniũ ratio ne ſunt omniũ rationes. Vtrũ igitur quia deus facturus erat omnia, cuncta cognouit? Non certe. Alioquin eſſentialẽ operationẽ, ipſamq́; ad ſeipſum cõuerſionẽ, ad externa referret: atque aliunde penderet. Igitur quẽadmodũ ſol in ſe lucẽ do illuminat omnia: ſic deus intelligendo atq; volendo ſeipſum, & ſcit & efficit omnia. Quis non viderit, ſi videndo ſe, videt facitq́ue cuncta: ſequi vt in ſubſtantia ſua ſubſtãtiales formæ ſint, quæ exẽplaria cauſæq́ue ſint omnium? Semper enim in ipſo naturæ ordine ita ſe res habet, vt ab interiori actione procedat exterior, atque idẽ opus actioni perſimile: quemadmodum à lucere illuminare, ab illuminatione illu
A minatũ, illuminationi luciq́ue ſimile. Proinde plantæ & animalia ex ſeminibus generantur. Oportet autẽ in ſemine ra-

tiones esse quodammodo animantis inde rationaliter procreati. Non tamen sunt in semine corporeo nisi potentia. Vniforme enim semen est, ac penè informe: quod autē inde gignitur, multiforme atque formosum. Itē si semen diuidatur, plura inde tota quæ nascuntur: quasi in partibus tota lateant quæ gignuntur. Hinc patet vim seminariā in semine ipso latentem, esse quodammodo incorporeā, in qua sit huius motus generationisque principiū. Oportet autē multiplicis animantis rationes multiplices seminariæ inesse virtuti, quam vocamus naturā. Idē enim prout idē est, diuersitatē tantā proximè generare non posset. Insuper inesse actu necessariū est. Quod enim est potentia tale: tanquā imperfectū, in aliquid actu tale non aliter q̄ per aliquid quod actu tale sit, perfectiusque, produci potest. Insunt ergo singularū animantis partiū specie differentiū singulę rationes: quibus B suo singula tēpore locoque & ordine procreentur: atque extisa, si fieri potest, sæpissime recreentur. Sed nūquid seminariæ vires in seminibus animantiū summæ causæ sunt? Nequaquā. Non enim ab vlla illarū fit species ipsa, sed quiddā potius particulare sub specie: & quælibet illarū ab alio sub eadem specie ducit originem. Ideo ad vniuersalem naturā confugiendum est: in qua vniuersales sint suarum specierū omnium rationes. Ad naturam inquam terræ terrenorum procreatricem: præsertim cum sæpe plantis & animalibus passim sponte nascentibus semina corporalia desint: quo fit C vt ad eorum productionē seminibus incorporeis opus sit. Atque vt conuenienti ordine procedamus, singulas terrenorum species ad vniuersalem referamus terræ naturam, similiterque in cęteris elementis: deinde quatuor elementorum naturas proxime ad lunæ naturam, in qua sint elementalium omnium rationes: naturam verò lunæ ad naturam sphæræ superioris: similiterque deinceps. Cunctas denique naturas ad ipsam vniuersi naturam: in qua necessario sint tam naturalium quàm naturarum omnium rationes: rationes inquam & exemplares, & effectrices: vt naturas omnes certis regulis ad certa dirigat & producat. Non potest autē natura esse ratio causaq; rerū summa: tū qa p se irrationalis est (quod in nostra natura patet) nā neq; se neque alia nouit: tū quia est causa effectui mixta: perinde ac si faber lignis in-

fusus tractet ligna. Tali enim causa opus erat: vt quę ab alio extrinseco & communi mouentur, familiarem quandā intrinsecamque virtutem à separata causa possiderent: quippe cum & hæc non aliter propriè distinctè accommodatè ducantur, quam per virtutem ipsis propriam, distinctam, accōmodatam: & causa tandem excellentissimam: quæ pure & absolute operi dominatura est, ab ipso opere per essentiam & esse & virtutem oporteat esse secretam: sicut in aëre videmus calorem quidem à sole superno miscerī: lumen vero nequaquam. Oportet autem naturam etsi per se irrationalis est, tamen corporalium rationes habere, quibus possit intrinsecus singula congruis modis ad finem conuenientem rationaliter ordinare, mouere, formare: cumque per se irrationalis fit, ab eo quod per se rationale est, duci debet, rationibusque formari. Nempe irrationale est, naturæ per se irrationali ordinē vniuersi cōmittere. Igitur in causa superiore necesse est rationes rerum adeò rationaliter esse, vt causa ipsa se suaque animaduertens, & sui & rationum suarum certam habeat rationem. Absurdum certe foret, cum nos tum nostri tum nostrorum operum tum vniuersi rationes habeamus, causam vniuersi, neque sui neque suorum rationes habere. Quamobrē si mundi cōditor omnia nouit, certè non respexit in alia vt illa perciperet: siquidem cognitio eius, alia ipsamet cognitione producta proculdubio antecedit. Quis enim ignorat externum opus sequi intrinsecam actionem? Itaque deus in seipsum respiciens nouit omnia. Quo
D fit vt in ipso sint omnium species, per quas cūcta cognoscat & faciat. Atque (vt summatim dicam) quemadmodum in hoc materiali mundo materiæ omnes in vnam tandem intimamque materiam, sic & multo magis in mundo formali formæ omnes in vnam intimamque formam necessario reducuntur. Quod hinc rursus argumentari licet, quòd omnis vita prolem suā penes seipsam prius generat quàm seorsum: & quo præstantior vita est, eo interiorē sibimet generat prolem. Sic vita vegetatiua tam in arboribus quàm in animalibus semen quasi arborem & quasi animal in corpore proprio prius generat, quàm aut iaciat extra, aut arborem inde animál ve externum producat. Sic sensitiua vita, quæ est vegetatiua præstantior, per phantasiam in se simu-

lacrum intentionemque rerum parit prius quàm in externa materia fabricet. Sed fœtus ille phantasiæ primus quia in ipsamet anima est, ideo propinquior est animæ quàm fœtus vegetatiuæ vitæ: qui non fit in anima, sed in corpore. Sic vita rationalis, quæ est excellentior sensitiua, parit in seipsa rationem tum rerum tum sui ipsius quasi fœtum prius quàm vel loquendo vel agendo promat in lucem. Primus ille fœtus propinquior est animę quàm phantasię fœtus. Vis enim rationalis in fœtum suum, perque illum in seipsam reflectitur: quod non efficit phantasia. Sic angelica vita notiones sui ipsius & rerum promit in se antequã depromat in mundi materiam. Proles hæc interior est angelo q̃ rationi sua: quia neque ab externis incitata est, neque mutatur. Quamobrem diuina vita eminentissima & fœcundissima omniũ, vniuersam hanc mundi machinam tanquam prolem suam in se generat prius quàm pariat extra. Oportet autem huius modi prolem, quam Orpheus Palladem vocat, Iouis capite natam, magis intimam (vt ita dixerim) esse deo, quàm angeli notionem angelicæ menti. In angelo quippe cum sit esse aliud quàm intelligere: notio quæ generatur intelligendo, aliud est quàm angeli ipsius essentia. In deo autem quia esse & intelligere idem sunt: notio quam deus intelligendo seipsum gignit tanquam exactissimam sui ipsius imaginẽ, idem est atque ipse deus. Quoniam verò generationem voluptas comitatur: Timæus Platonis inquit deum opere suo mirifice delectari. In prole autem illa dei intima, quæ vniuersale semen est mundi, insunt propria semina membrorũ omnium quæ in mundo hoc prole eius externa gignuntur. Semina illa essentia inter se conueniunt: ne deus sit substantia multiplex. Differunt ratione: ne quicquid in mundo fit, sine vlla varietate sit vnicum. Age sic vltra procede. Cũ deus vim habeat infinitam, & res quę sequuntur eum cunctæ finitam: ideoque diuina virtus non sit determinata ad ea solũ alẽda quibus finitæ res possunt subministrare, sed queat absque illis insuper innumerabilia opera etiã incorporalia facere: an non necessarium tibi videtur, in deo horum operũ formas, quæ absque instrumentis certisque subiectis facere potest, ita relatione saltem distinctas esse, vt propriam illic habeant rationẽ? Nam cum ab vno, quantum vnũ omnino

est,absque medio subiectóve certo nõ fiant multa:nulla est ratio ob quam formæ tales possint ex deo multiplices emanare, nisi multiplex(vt ita dicam)& quodammodo multiformis sapientia dei. Quinetiam quicquid reliquæ causæ agunt,id omne operantur tanquam primæ causæ instrumenta:atque ita agunt,vt temperantur ab illa. Tẽperantur autem ducunturque à deo certis modis ad certas formas in materia generandas non per aliud quàm per certas formarum rationes quæ sunt in deo,quemadmodum instrumenta artis atque naturæ per formas agentis diriguntur ad formas. Atque vt formę tum artificiosæ tum naturales perspicuæ magis sunt in agente quàm in opere vel instrumentis: ita mundi totius formæ expressiores modo suo in deo sunt,quàm in sequentibus causis & materia. Quamobrem
A Mercurius putat mundum esse omniformis dei imaginem omniformem.Et Plato in Timęo inquit diuinam virtutem cum bonitatis suæ gratia vellet mundum quàm pulcherrimum facere,decreuisse eum ad exemplar illud quod est omnium excellentissimum,figurare. Ideoque mundum ita ad sui similitudinem effecisse,vt mundi partes ad sui ipsius formarit ideas.Ex iis quorundam canum rabies condemnatur latrantium Platonem ideas extra diuinam intelligentiam posuisse.

Cęlum vnum syderum plenum torrentem noctu figurat suorum syderum imaginibus:quę quidem imagines neque sunt sydera,licet esse infantibus videantur, neque manent, sed iugiter innouantur aqua fluente:quanuis manere vulgo
B putentur. Similiter deus vnus idearum exuberans plenitudo,materiam fluctuantem fingit semper simulacris idearũ: quę sane simulacra neque veræ species sunt apud Platonicos,quanquamveras esse quidam physici arbitrantur:neque quiescunt vnquam, vt Heraclitus ait, labente materia: etsi quiescere eas ignorantes existimant. Atque hic est modus per quem res temporales,vt vult Parmenides Pythagoreus, æternarum fiunt participes idearum.Profectò sicut æternitas (quæ vnum duntaxat momentum est manens idẽ semper & eodem modo)tempus omne quod per innumerabilia diffluit momenta,quiescendo metitur, & sicut centrum stabile puncta superficiei circuncurrentis:ita idea quælibet

in æternum vna eademque consistens, res eas tẽporales metitur omnes, quæ in eadem inter se specie sunt ideæ vnius eiusdemque participes. Quod de vna dicam: de omnibus est C
ideis intelligendum. Pulchritudo ipsa pulchrorũ omnium est mensura: quia per accessum ad pulchritudinem primã, & recessum ab ipsa, res sequentes magis minúsve pulchræ existimantur: & quod cadit ab omni pulchritudine, ab omni cadit essentia: & quod totam possidet pulchritudinem, totam habet essentiam: quia prima essentia & prima pulchritudo sunt idem. Quæcunque homo in specie aliqua iudicat, iudicat ad speciem referendo: puta quando iudicat solem aut ignem esse pulchrum, tunc duo pulchra refert ad vnam pulchritudinis speciem absoluté. Et quando solem esse igne pulchriorem pronunciat, ad eandem refert ideam, non absolute, sed comparando. In vtraque relatione pulchrũ solem & ignem pulchrum per eandem metitur ideam: sed in prima vtrunque per totam ideam mensurat: in secunda per alterum ideæ gradum illorum metitur alterum. Neque audiendi sunt barbari quidam, qui res pulchras mensurari non D
posse putant per accessum ad purum pulchritudinis actum, quia ille sit infinitus, ideoque non possint res aliæ aliis propius ad ipsum accedere. Volunt autem per recessum à pura pulchritudinis priuatione mensuram talem excogitari.
Hi enim ob id errare videntur, quòd si purus actus est infinitus affirmatione: similiter pura priuatio est infinita negatione. Neque fit pulchrorum comparatio ad diuinam essentiam penitus infinitam: sed ad pulchritudinis ipsius ideam, quæ quodammodo finita est quantum respicit creaturam: quia est determinatio quædam diuinæ perfectionis, facta quidem à mente diuina, confirmata verò à voluntate. Accedunt autem ad eam propius, quæ similitudinem eius suscipiunt purius. Receduntverò, quę contrà. Merito autem inde mensura accipitur pulchritudinis in rebus pulchris, vnde ipsa suscipitur pulchritudo. Hæc autem ab idea capitur, non à pura pulchritudinis priuatione. Deniq; quid stultius, quàm pulchritudinis habitum per priuationem velle discernere, cum fieri econuerso tam natura quàm ratio cogat? Quapro
pter absque dubio fateamur humanam mentem pulchra E
referre ad ipsam pulchritudinis rationem.

Quoniam verò quod mensurat, præstantius est quàm quod mensuratur: mens humana quãtum per relationes ad ideas res omnes temporales metitur, quæ sub ipsis continentur ideis: rebus illis est excellentior. Atque ideo ideis est proxima: quia metitur quæcunque illas sequuntur: vtpote quæ ea dit media inter idearum fontem, & riuulos inde manantes. Verùm licet mensuret ad ideas: non tamen per ideas ipsas mensurat tanquam per propria quędam & proxima media. Non enim sunt vniuersales ideæ ,pprium instrumentũ huius aut illius mentis humanę: neque inter mentem singularem & res alias singulares vllo modo vniuersales ideæ cadunt mediæ. Quia verò non potest animus singularia vniuersalium idearum simulacra aliter metiri, quàm per formulas idearum animo proprias, & quasi declinantes ad singularia: necesse est mẽti idearũ formulas inhærere, per quas ideis simulacra conferat: & quæ congruũt formulis probet: reprobet quæ non congruunt. Sed vnde aduenient hæ formulæ menti? nunquid à simulacris? an ab animi fictione? an forsitan ab ideis? Non à simulacris: nam per eas formulas animus mensurat simulacra: vnde formulæ simulacra antecedunt: & tanto præstantiores sunt, quanto ideis propinquiores. Ac si fierent à simulacris, non verè mensurarent illa: sed ab eis potius mensurarentur. Mensura enim adæquatio est. Causa adæquat effectũ: effectus causam non adæquat. Nusquam in corporibus perfectas vnitatis, bonitatis, pulchritudinis rationes inuenimus. Oportet enim eas suis contrariis non esse permixtas. In corporibus autẽ vnitas miscetur partium multitudini: bonitas vitio: pulchritudo deformitati. Nusquam rectas figurarum rationes inspeximus in materia corporum: eas tamen ipsi tenemus. Alioquin neque de ipsis loqui possemus: neque per ipsas quasi examen defectũ formarum corporalium redarguere. Non igitur eas à corporibus accepisse videmur: essent enim illis deteriores. Neque dicendum est eas esse nusquam: quia nequit mens intelligere per seipsum quod nihil est omnino. Nam & priuationes per habitus cogitat: & falsæ opiniones nõ ex eo fiunt in nobis, quod ipsum quod omnino nihil est cogitem⁹, sed quòd vel coniungamus res inuicem vel disiungamus præter ordinem naturalem. Immo verò si exstant alicubi obiecta

seu-

sensuum, sunt & rationes obiecta mentis: si modò & mens sensibus est nobilior: & quod omnino nihil est, neque mouet animi aciem, neque contrahit, neque terminat. Non igitur finguntur ab animo. Sanè figmenta mentiuntur: res veras non metiuntur. Figmenta animi res ipsas sequuntur cõfusius etiam quàm vmbræ corpora. Corpora per vmbras non discernuntur. Quis ergo per fictitium extraneũque simulacrum pulchritudinis, odoris, saporis, caloris, horum ipsorum essentiales definitiones proprietatesque latentes inspiciet? Præterea figmentum animi est animo ipso deterius. Formulæ vero illæ ideo præstantiores sunt animo, quia per ipsas animus etiam iudicat corrigitque seipsum. Nẽpe per rationes vnitatis, bonitatis, & pulchritudinis, animus de seipso iudicat sæpe quàm sit ipse aut partibus multiplex, aut affectibus dissidens. Item quantum vel natura deficiat: vel vitio deprauetur. Rursus quantum vel natus sit deformis, vel turpis euaserit. Nónne per pulchritudinis sigillum pronunciat esse se corporibus pulchriorem & hanc partem sui illa, & hunc habitum illo pulchriorem esse? Immo vero & angelis sublimiores esse videntur: quia per sigillum idem angelum mens nostra designat, quando angelũ animo pulchriorem esse affirmat: & alio angelo aliũ: angelisque deũ. Non tamen metitur deum: sed ipsum tanquam mensuram relinquit immensurabilem. Sicut enim sapientia non sit sapiens, & motus non mouetur: ita prima mensura non mensuratur. In eo igitur quòd illæ formulæ angelos metiuntur tanquam regulæ expressæ ab ideis super angelos existentibus, certe sublimiores sunt angelis. Et animus in hoc ipso actu quo metitur angelos, excellentior est q̃ ea ipsa natura angeli quam apud seipsum metiendo designat. Quanuis & angelus animam metiatur per regulas quodãmodo rectiores: & eo ipso actu magis excedit animum, quàm per actũ animi excedatur ab animo. Quo autem pacto sigilla huiusmodi, quas & formulas appellamus, si sunt animo & angelis altiora, finguntur ab animo? Quinimo sunt in animo ante omne commentum animi. Animus enim sua inuenta omnia ad sigilla talia confert. Siquidem veritatis sigillo discernit quæ vera inuenta sint, quæ veriora, quæ falsa. Item quod per nouos tẽporalesque actus animi fabricatur, mo-

H

Deus non metitur

A

bile est omnino. Quod enim motu fit: nimirum fit & mobile. Sigilla verò talia sunt immobilia. Hærent enim animo immobiliter: quoniam quicquid singulis momentis occurrit animo, vel fit ab animo arbitratu nostro: ad illa referimus tanquam firmiter inhærentia. Porro si illa quoque nutarent, essent ad alia referenda: & alia rursus ad alia: neque esset in nobis principium aliquod iudicandi. Sigillum per quod de statu huius rei, aut statu illius, aut etiã de ęternitate sententiam ferimus, mobile esse nequit. Siquidem in sigillo ratio illius exprimitur, quod eo significatur. Ratio verò status ipsius æternitatisque est à ratione motus alieniſſima. Quinetiam stabile & æternum non aliter quàm sub rationibus status æternitatisque definimus. Rationes huiusmodi omnis sunt mutationis expertes. Siquidem status antecedit motum. Quod verò in natura prius est, est à posteriore solutum. Atqui has rationes per quas talia definimus, intus habemus. Non enim per aliena mens loquitur. Ac si extra nos essent, egeremus adhuc aliis rationibus rationũ: quibus quasi mediis rationes illas hauriremus per quas essemus de statu ęternitateque locuturi. Aliæ illæ rationes ideo immobiles essent, quia essent rationes immobilium rationum. Itaque quacunque gradiamur: ad immobiles rationes nobis innatas perueniemus. Scite Plotinus quando de æuo disputat, inquit: Hæcne de æternitate loquimur quasi de extraneis rebus testificantes, ac de alienis agentes? Nequaquam. Non enim intelligimus, nisi tangamus neque extranea tangimus. Itaque oportet nos ęternitatis esse participes: Hęc ille. Talia ergo sigilla sunt immobilia. Immo etiam sigillum motionum est immobile. Quando enim de rerum motibus iudicamus, illos ad æternam motus ideã per motionũ sigillum nobis insitum comparamus. Si hoc quoque foret motus aut mobile: esset per sigillum aliud comparandum. Non enim motus ad æternitatẽ nisi per mediũ competens religatur, quod neque motus sit, neque mobile. Itẽ si foret mobile: non recte per illud motiones iudicaremus. Motio nanque tunc iudicatur rectè, quando refertur ad terminos & spatia quæ permanserint. Nã iis non manentibus neque fit motus, neque motus progressio cernitur. Ipsum quoque tempus, quod est proprietas quędam & perduratio motio-

nis,non aliter mensuratur quàm si per stabilẽ seruetur memoriam,& stabili æternitatis momento circunscribatur.Si motionis sigillum stabile est: multo magis stabilia sunt sigilla omnia reliquorum . Ex iis omnibus duo pariter concluduntur: quòd scilicet sigilla talia & ab ideis animo inserantur:& ipsi hæreant immobiliter.

Confirmatio superiorum per signa. Cap. 5.

HVius autem rei signa multa comperimus . Primum, quòd rustici homines , qui nunquam de ideis aliquid cogitauerunt:& adolescentuli qui nihil de iis audiuerunt,cum primum eorum sensibus occurrunt corpora pulchra:modò ratione vtantur,ea referunt ad ideas:duobus(vt diximus)modis. Vno, quando affirmant hoc esse pulchrũ: quod non faciunt nisi ex eo quòd talis corporis figura quadrat sigillo pulchritudinis intus ingenito . Altero quando affirmant hoc isto,& istud illo esse pulchrius : quantũ aliud alio accedit proprius ad sigillum.Tale sigillũ neque per doctrinam neque per inuentionem prius acquisiuere:quia neque cogitauerunt de illo quicquam:neque audiuerunt: neque etiam tunc ex singulis pulchris corporibus ipsum colligunt.Siquidem per ipsum minime fallax,singulorum fallaciam defectumque redarguunt.Neque ex natura quadam communi quę est in singulis. Nã quod in rebus iacet fallacibus,ipsum quoque fallax euadit,fallacẽque ex se procreat notionẽ.Præterea quando de illo diligentius cogitant:inueniunt ipsum vel esse vel referre aliquid vnũ supra multa in seipso consistens. Nam super naturam illam quæ vna quodammodo est in multis,oportet esse naturam talem quæ vna sit ante multa:vt communis sit çquè multorum.Tale sigillum quia nullo modo clauditur rerum singulariũ multitudine,ab ea multitudine nullo modo colligitur:neque etiã cogitationis machinatione concipitur. Nam per ipsum inuenimus super mobilem multiplicemque cuiusque animi pulchritudinem, vnam esse pulchritudinẽ in seipsa manentem.Ergo sigillum vim suam tollit altius super animos:machinamenta verò animi nihil animis eminentius fabricant. Si ergocum primum vtimur ratione,res plurimas ad huius

modi figilla referimus quæ neque didicimus antè, neque tunc colligimus aut fingimus, præsertim cum comparationis signum præcedere semper res illas oporteat quæ comparantur: sequitur vt ante omnem rationis vsum ea possideamus.

Secundum signum est, quòd subito fiunt relationes vtrę-que, sæpe etiam nulla præcedente aut intentione voluntatis, aut rationis discursione. Quod significat non esse animo regulam relationum huiusmodi nuper aut extrinsecus acquirendam, sed iamdiu intrinsecus possideri: qua totiens vti pro arbitrio potest, quotiens se ad eam intenderit.

Tertium signum est, quod omnes in seipsis experiuntur quotiens volunt alicuius rei definitionẽ & causam inuenire, nihil aliud conantur, quàm vt omnibus sensus & phantasiæ submotis obstaculis, profundæ mentis intima penetrent: quibus tunc primum clarissime fulget quod venantur, cum primum in arcanæ mentis adyta penetrauerint: quasi in-
D tus scientiarum thesauri delitescant. Quod ita Pythagoras cecinit.

ἀλλὰ σὺ θάρσει ἐπὶ θεῖον γένος ἐσσὶ βροτοῖσιν
ὅις ἱερὰ προφέρουσα φύσις δείκνυσιν ἑκάστα.
E

id est: Tu autem confide: quoniam diuinũ genus est hominibus: Quibus sacra natura proferendo in lucẽ omnia monstrat. Ergo mirabimur Homerum & Didymũ alioſque per multos vel natura vel ab infantia cæcos ita scripsisse, vt perspicue vidisse omnia videantur? Mirabimur Zoroastrem, alioſque sapientiæ inuentores, diuturna duntaxat solitudine: solaque animi totius in mentem solam conuersione, rerum omnium scientiam peperisse?

Quartum signum ab approbatione sumitur. Complexio corporis quę abundat sanguine, suos quosdam postulat tum sapores, tum cęteros rerum vsus: quę bili, alios: alios quę pituita. Quando cuique complexioni quod suum est offertur, non aliter oblatam rem natura talis adscisit, quàm ipse ignis escam sulphuream. Hinc sanguineus cõmendat dulcia, acuta acriáve cholericus, acida melancholicus, mollia phegmaticus & insipida. Quòd de sanguineo dicemus, similiter est ad alios transferendum. Nescit sanguineus quâ ob causam dulcia probet: quia non cõmendat consilio, sed natura-

li cõplexionis instinctu. Sanè per naturalem instinctũ quoque appetit genera qualitatum: rubra: & viridia visu: auditu A
læra, dulcia gustu: tẽperata tactu atque olfactu. Si has quinque qualitates per complexionẽ affectat & probat, necesse est in ipsa cõplexionis conflatione quinque inesse fomites harum quinque probationum. Sicut enim illarum quinque qualitatum alia inter se est & alia ratio, ita à tali cõplexione sub alia & alia ratione probantur. Igitur in vnoquoque homine quinque sunt fomites naturales ad quinque qualitates congruas quinque sensibus comprobandas. Et quia in aliis hominibus aliæ sunt complexiones humorũ, ideo rerũ concupiscentiæ corporalium inter homines sunt diuersæ. Quoniam verò vna humana species est in omnibus: cũ sit mentis species vna: idcirco communis est eorũ quę ad mentem pertinent approbatio. Omnis mens figurã laudat ro- B
tundam in rebus statim consideratã: & cur laudet, ignorat. In ædificiis quoque similiter talem, vel quadraturam ædiũ, vel parietum æqualitatem, lapidúmve dispositionem, angulorum oppositionem: fenestrarum figurã atque occursum. Laudat insuper eodem pacto certam quandam siue membrorum humanorum proportionẽ, siue numerorũ vocũque concordiam. Commendat morales gestus, & habitus tanquam decoros. Commendat sapientiæ lucem, & veritatis intuitum. Si quælibet mens hæc omnia semper & vbique adsciscit illico, & quam ob causam adsciscat ignorat, neque potest non adsciscere: instinctu adsciscit necessario prorsus & naturali. At quia eorũ quæ hic affectantur, diuersa inter se ratio est: oportet vt à mente ex diuersis naturæ suæ rationibus tum quasi fomitibus appetantur, tum quasi formulis & regulis approbentur: ita vt ex eisdem regulis illorũ contraria reprobentur. Siquidem contraria illorum cum primum nobis obiiciuntur, offendunt natura sua, etiã si causam nesciamus. Sunt ergo rationes illorum similiumque ingenitę menti.

Quintum signũ à definitione artis accipitur. Omnis ars quia certa ratione ad certum finem ordinat opus, rationalis facultas est. Facultas rationalis si omni naturæ irrationali est ingenita: multo magis ingenita est omni rationali. Elementa quàm artificiose situm repetunt suum? Quanta geo-

metriæ arte rectam lineam in ascensu seruant atque descensu? Quanta architecturæ industria pluuia se in orbiculares guttulas cohibet? Quanta aër sagacitate rerum naturæ succurrit, ne quid in ea vacuum relinquatur? Complexio quoque plantarum & animalium quàm mirabili medicinæ artis solertia vtitur in conseruando habitu naturali aut recuperando? Ipsæ quoque brutorum animæ singulis in speciebus singulas artes exercent. Laneam telam infecta fericia: lineam araneæ: hirundines figulinam: musicam olores: apes architecturam: ciuilem ciconiæ: bellicam verò leones: vulpes denique venatoriam. Quis autē dixerit (modò ista consideret) solam naturam rationalem inertem fuisse, atque ex inertia irrationalem ab initio constitutam? Immo verò si debet rationalis sedes multo prius & magis artē capere rationalem quàm sedes irrationalis, oportet omnes rationali hominum speciei artes innasci, postquā singulæ innatæ sunt singulis irrationalium speciebus. Omnes enim ferme in genere brutorum vniuerso congregantur: sed aliæ species artium per alias animalium species disperguntur. Omnes ergo in vnica rationali hominum specie colliguntur: licet per singulos diuidantur. Omnes iterum in vno speciei angelicę singulari: in quo tamen diuiduntur secundum formas: quoniam multiformis est angelus. Cunctæ denique in vno singulari deo: atque vna dūtaxat dei forma. Quapropter artes diuiduntur inuicem in brutorum genere secundum habitū atque actum: quoniam nulla mutorū species aut artes omnes exercet actu, aut omnes infusas habet: sed quælibet eorum species vnica vtitur arte, & possidet vnicam. Artes igitur diuidantur oportet in hominum specie secundum actū, quia alij alias meditentur: non tamen secundum habitum: quia singuli cunctas possideant. Siquidem in angelo quolibet vniuntur cunctę habitu atque actu. Quilibet enim illorum quaslibet meditatur: sed diuiduntur executione: quoniam alij aliter gubernant mundum. Cunctæ in deo modis omnibus vniuntur: quia & habet & videt, & exequitur vniuersas. Nam in omnibus operantibus, vt inquit theologus Paulus, omnia operatur.

Sextum signum ab assecutione artium ducitur: quas non illi solū qui præceptore carēt, per se assequuntur: sed illi etiā

qui magistros vel libros vel homines habuisse tradũtur. Nã & qui eligendo discunt, nõ à literis corporalibus vitaq; carentibus spiritalẽ viuãq; scientiã hauriunt, sed ipsi per litteras prouocati, pariunt in seipsis: & qui discunt audiendo, nõ prius discunt, q̃ ipsi audita apud se recolant, examinẽt, approbent. Non fit autẽ examinatio approbatioque verorũ, nisi F intus præfulserit regula veritatis: & qui docere dicũtur, neq; scientiã eandẽ quã ipsi habent, omnino transfundũt in aliũ. Nã docendo alios, ipsi euaderent ignorãtes: & sciẽtię qualitas de alia mente in aliã quasi de subiecto in subiectũ transiret: quod non conuenit qualitatibus. Neque aliã quandã specie similẽ scientiã in discipulo ipsi per propriã generant. Talis enim generatio ad qualitates pertinet corporales, non ad humanã scientiã: cuius actio clauditur intus, & operantẽ perficit potius quàm externa. Cæterum quonã pacto magister discipulum edocet? Duo sunt artium genera. Aliæ sunt G quarum materia circa quã versantur, nullũ habet in se principium operis effectiuum: sicut lutum aut saxũ ita subesse videntur figulo & sculptori, vt manum duntaxat expectent artificis: ipsa vero suapte natura nihil momenti habeant ad opus efficiendum. Aliæ verò artes sunt quarum materia per formam quandam motum agit ad opus: quod quidem naturale est potius quàm artificiale dicendum. Sic terra subest agricolæ: sic medico corpus humanum. Quippe fœcunditas soli ad segetes producendas agricolæ, & corporis humani complexio ad sanitatem recuperandam medico confert quamplurimum: vsque adeo vt sæpe ager absque cultura producat segetes: & complexio corporis nostri sine medentis opera pellat morbos. Quod significat & agro inesse semina segetum per naturam, & complexioni semina sanitatis. Ergo in primo artium genere artifex ille dominus materiæ vocatur atque magister: in secundo verò excitator H naturæ atque minister. Artem docendi ad secundum id genus spectare, hoc nobis testimonio esse potest, quòd animus qui tanquam materia videtur subesse docenti, nonnunquam antequam audiat, præsagit audienda: & postquam audiuit, audita reddit vberiora & meliora: & sæpe licet non audiat, ex se parit: quippe qui semina scientiarum non minus quàm ager segetum possidet.

Vnde qui docet, minister est potius quàm magister. Quapropter Socrates apud Platonem in libro de scientia Theæteto inquit se filium obstetricis esse, & obstetrici persimilem: vtpote qui in erudiendis hominibus non inducat scientiam, sed educat, sicut obstetrices conceptos iam fœtus educunt. Ideo quando doctor aliquis contendit ex pluribus argumentis audienti aliquid demonstrare: qui audit, non paulatim formatur, vt lutum à figulo, aut saxum aliquod à sculptore: sed post multa indicia veritatem subito intuetur etiã absente magistro, quando sufficienter fuerit prouocatus: sicut agèr cultus à rustico, post diuturnos illius labores suo ipse tẽpore edit fœtus, agricola nihil agente. Quis oculos videre docuit? Aures quis audire? Oculis non præstat visum medicus: sed vel superinfusas caligines discutit, vel dirigit in obiectum ita menti præceptor scientiam non infundit, sed purgat aciem aut dirigit. Nemo canibus sagacitatem præstat venatoriam: nemo equis currendi virtutem: nemo robur bellicum elephantibus: sæpe tamen homines eas ipsas virtutes latentes & dormitantes in membris vsu expergisci compellunt. Idem facit in mente præceptor, vt Plato in semetipso libro de repub. docet. Mens enim virtutem suam (quæ est veritatis intuitus) non minus habet firmam & naturalem: quàm sensus & animalia suam sciscitando prouocat Socrates docendi dux: ipsa rectè interrogata vera respõdet. Respondere non potest vera, nisi cognouerit. Quoniam verò res ipsæ inuicem connexæ sunt, similiterque rationes rerum coniunctæ sunt inuicem, vnde facilè de vna transitur in multas: sæpe fit vt ex vno quodam vestigio à præceptore monstrato sagax discipuli animus propriis naribus venetur longo ordine plurima. Adde quòd non imbecilliorẽ habet mens videndæ veritatis aspectum, quàm pedes progrediendi potentiam. Socrates infantem porrecta ducit manu quò gradiatur: adolescentẽ quò discat interrogat. Infanti non pstat eundi virtutẽ: sed & prouocat, & tutius perducit ad terminũ. Adolescenti non largitur intelligentiã: sed efficit ad effectum sui operis promptiorem. Ipse autem Socrates scientiam suam siquando adeptus dicitur: tanquam nouã aut per inuentionem aut per disciplinam est adeptus. Si ipse per se res inuenit: nunquã rebus inuentis fuisset vsus, nisi vtendi

A

modum antea cognouisset. Vtendi modum non tenet, qui rei ipsius non tenet naturam. Si ab alio audiuit, nō prius ex auditu concepit scientiam quàm sciret nunquid docentis rationes veritati congruerent. Non intelligit hoc, nisi qui ipsam inspicit veritatem. Igitur antequam inueniat quicquā aut audiat, veritatis est compos. Et qui docuit Socratem Archelaus, vel per se inuenit, vel accepit ab Anaxagora. Quicquid fuerit: sciuit & ante. Atqui licet & Anaxagoras ab Anaximene, & ille ab Anaximandro, & Anaximander acceperit à Thalete: Thales denique vel alius quiuis sacerdos AEgyptius, aut saltem Persicus magus caruit præceptore. Qui hominis caret doctrina: discit docēte natura: immo verò scit iā diu, docente deo. Quapropter Socrates apud Platonem in libro de sapientia inquit Theagi. Nemo vnquam didicit à me quicquam: quanuis mea consuetudine multi euaserint doctiores, & me exhortante, & bono dæmone inspirante. Tu quoque breui multum proficies, si deus fauerit. Præterea narrat Socrates ibidem, quemadmodū nonnulli dū eius consuetudine vterentur, illique propinquarent: ipso etiā tacente acutiores euaderent, recedentes verò hebetiores subito redderentur: quasi ad diuinum quendam influxū à deo per genium mentemque Socratis in familiarium animos penetrantem vis illa ingenij pertineret. Et Orpheus Musas esse dicit Iouis & memoriæ filias: quia videlicet scientiæ in profunda memoria lateant, nobis olim à deo tributæ. Quin etiam hæc de memoria tradidit.

πάντα νόον συνέχεσα βροτῶν ψυχᾶισι σύνοικον.
ὑπομνήσασα δὲ πάντα ὧν ἕκαστος ἀεὶ χρηΐσιο γνώμην κατάπαλαι.
ἐπεγείρασα φρένα πᾶσιν.

id est Totam mentem contines humanorum animorū familiaris. Commemoras omnia quorum notionem quisque semper animi sinibus occulit: mentem suscitas omnibus. Concludemus iam præsentem disputationē, si prius nos ipsos admonuerimus, vt quando audimus artes nobis inesse natura, non intelligamus vel à natura cælesti corporalique impressas, vel à mera animæ essentia fluere (siquidem à tali natura impressas habent bestiæ: ab essentia autē mera manātes solus possidet deus) sed intelligamus nostris mētibus

ſtatim ex deo natis infuſas fuiſſe ſpecies rerũ,& regulas artium: vt in Timæo tradit Plato, non aliter quàm angelicis mentibusinfundantur. Eſt autẽ differentia triplex inter nos & beſtias quod ad artes pertinet. Prima, quòd à deo ſine medio nos eas accipimus, ille natura cæleſti intercedente. Secũda, quòd quiſque noſtrũm accipit cũctas beſtiarum ſpecies, ſingulæ ſingulas. Tertia, quòd beſtiæ neceſſario quodã impulſu naturæ ad ſuæ artis vſum certo tempore compelluntur: nos autem libero rationis iudicio tum artis vnius, tum plurimarum vſum eligimus. Conuenimus autem quantum ad ſpecies rerum & regulas artiũ attinet, cum angelis atque deo cum in aliis nonnullis, cũ in hoc vel maxime: quòd nobis inſunt per abſolutũ perſpicuumque modũ ferme ſicut & illis. Itaque diuinæ ideæ abſolutas atque diſtinctas ipſarũ imagines nobis tanquam ſpeculis impreſſere, naturæ autẽ corporali vmbras quaſdam confuſiores: quẽadmodum nos ad lumen imaginem quidem noſtri corporis claram in ſpeculo pingimus, vmbram vero reddimus parieti. Vbi autem idea per modum lucet abſolutum perſpicuũque, non modò lucet clara, ſed ferè tota. Omnes enim ideæ proprietates quas in diſputationis huius principio ex Platonis mente narrauimus, in eo conſiſtunt potiſſimum, quòd vniuerſalis ſit atque ſoluta. Quòd autem non vmbræ idearum, ſed imagines perſpicuæ nobis inſint, ex eo patet potiſſimum, quòd vmbras illarum ab imaginibus earundem recta ratione diſtinguimus, quódve formulæ illarum nobis inſitę ipſas nobis perſpicue repræſentant, noſque ad eas conuertũt: & vmbræ idearum in corporibus haud prius eas nobis referunt, quam per noſtræ mentis formulas purgentur atque reformentur. Denique ſi per diſtinctas imagines: atque per modum integrum ſplendent in noſtris mentibus, atque ſolutũ: per modum quoque fulgent penitus immortalem. Quòd ſi immortalis rei naturale ſubiectum eſt immortale (ſubiecto namque ſoluto, quicquid ſubiecto hęrebat, diſperditur) proculdubio mens hominis eſt immortalis, quæ naturaliter firmiterque immortalium idearum ſpeciesper modum ſuſcipit immortalem.

E

Ratio ſecunda. Mens eſt ſubiectum veritatis æternæ. Cap. 6.

AVrelius Augustinus, diuino vir ingenio (quo Latinorum nullus Platonicam maiestatem tum sapientia tũ eloquentia expressit exactius) iactis à Platone superioribus fundamentis, argumentationes huiusmodi construit. Aliud est verum, aliud veritas: quemadmodum aliud castus aliud castitas: præstantiorque est vero veritas: siquidem omne verum veritate est verum. Cum verò aliquid quod verũ dicitur, interit: non tamen interit veritas: sicut si quis castus intereat, castitas tamen non interit. Si manebit semper hic mundus, verum est semper esse mansurum: quod si non manebit, verum est non semper esse mansurum. Quid cum interierit si interiturus est: nónne tunc id verum erit mũdum interiisse? Nam quandiu verum non est occidisse mundum, non occidit. Repugnat igitur vt mundus occiderit: & verum non sit mundum occidisse. Non potest autem aliquid esse verum vbi veritas non sit. Erit igitur veritas, etiam si mundus intereat. Quid si ipsa veritas occidat? nónne verum erit veritatem occidisse? Verum autem non puto esse, si veritas non sit. Nullo modo igitur occidet veritas. Hæc Augustinus. Sed vbi nam est veritas? non in corporibus: mutaretur enim corporibus permutatis: cum tamen æterna sit veritas hinc sequitur parodoxon illud Platonicum, corpora non vere esse, quia scilicet in illis non maneat veritas. Ergo quod aurum dicimus, si non vere est aurum, falsum aurum est. Si hoc, neque aurum quidem est. Atque ita de cęteris rerum corporalium speciebus. Præterea affectio corporis per duo temporis puncta non permanet penitus eadem, vt ostendimus aliâs: & in præsentia in hunc modum ostendimus. Sicut stabilis & simplex æternitas, rerum stabilium simpliciumque mensura est: ita fluens & varium tempus, mobilium & multiplicium est mensura.

Temporis puncta nunquam permanent eadem, sed sibi inuicem surrepunt semper aliis alia succedentia. Corpus mundi mobile tanquam mensuram sibi propriam tempus habet. Si ita est: quadrat vtique cæli dispositio & mutatio temporis fluxui. Itaque non potest in duobus tẽporis momẽtis esse cæli dispositio penitus eadem. Nã si eadẽ per duo momenta maneret, in ea ipsa morula tẽpus quidẽ de alio momento fluxisset in aliud: cælum verò quieuisset in vno.

Fluxus verò quieti minime congruit. Quod non congruit:
non metitur. Quomodo enim motus mensurat quietẽ, aut
A res fluens per duo rem stante in vno? Quapropter in ea mo-
rula tempus cælum non mensurasset. Metitur autem revera
tempus semper cælũ, non aliter quàm æternitas ea quæ sunt
supra cælum. Ergo sicut illa in æternitate continue sine vlla
mutatione manent, ita cælum sub tẽpore continue absque
vlla quiete transcurrit. Si cælorum configuratio nullo mo-
do permanet: multo minus corpuscula quę sub cęlo sunt, &
cæli rapacitate raptantur. Necesse est enim hæc per influxũ
& effluxum, condensationem rarefactionemque, intensio-
nem remissionémve qualitatum, consonantiam & dissonan
tiam complexionis, cæteroſque motus continue variari.
Quod quidem abunde Plutarchus & Proculus demonstra-
uerunt: & ante illos Heraclitus inquit. Quemadmodũ non
possumus eandem torrentis aquam bis intrare, aut eandem
rotæ currentis particulam bis similiter tangere: ita similem
omnino dispositionem complexionẽque cõporis per duo
puncta perseuerantem assequi non valemus. Si nullius cor-
poris affectio per duo momenta prorsus eadẽ & similis per-
seuerat: in eodem momento incipit qualitas talis, & desinit.
Quod in natura incipit, nondum absolutũ existendi vel o-
perandi actum possidet: quod desinit, talem iam actum non
retinet. Igitur in eo puncto in quo esse qualitas illa dicitur,
B dici etiam potest non esse: cum nondum à non esse omni-
no discesserit, & iam in non esse labatur. Et quia celeritas tẽ
poris linguæ celeritatem superat: dum esse illã pronuncias,
te pronunciante subterfugit prius quàm hoc ipsum verbum
est, ore protuleris. Et vt Timæus inquit, fallit pronunciantẽ:
nec vnquam vere quicquam de hac pronunciatur aut percí-
pitur. Nec esse magis quàm non esse dici potest: cum & sit
& non sit pariter, dum profertur. Quoniam verò quæ con-
tinue permutantur, quatenus mutantur, eatenus fiunt: quæ
vero fiunt, dum fiunt, revera non sunt: ideo quæcunque ita
mutantur & fiunt, non tam dicuntur esse, quàm esse videri.
Quid vero dicemus de tempore? quod semper falso dicitur
esse: cum esse eius (vt ita loquar) sit non esse. Sane de quoli-
bet præsenti momento vere dicitur, hoc non est tempus: sed
C tẽporis terminus. De præterito autem aut futuro duntaxat

affirmantur esse tempus. Siquidem continuam successionē quandam tempore significari putamus. Præteritum verò futurumque non est. Igitur esse temporis quodāmodo in non D esse locamus. Momentum verò, quod est terminus tēporis, dum esse pronunciamus, vertitur in non esse: atque pronunciantes mentiri compellit. Quod autem de tēpore demonstramus, de temporalibus quoque est iudicandū: esse scilicet in non esse (vt ita loquar) hābere. His consonat Pythagoricū illud. Qui homo dicitur, magis non homo est quàm homo: quia si innumerabiles eius partes consideraueris, in- E numere poteris iudicare: hæc pars non est homo, & illa similiter. Semel duntaxat de toto dices: hoc est homo. Vnde & de elementis Timæus differens duas, esse elementi partes existimat, materiam, atque formam: propter materiam F non dici ignem aut aquā: sed propter formā ergo secundū partem. Hoc igitur solum secundum partem ignis dicitur, & illud aqua. Ac revera non ignis hoc est: sed igneum. Illud non aqua: sed aqueum.

Adde quòd illud est verū tale, quod merū tale est: puta merum vinū, quod merū est vinū. Natura verò cuiusq; speciei quādo in materia est, primo quidē admixtā habet potentiā ad non esse: vt in libro quinto probauimus. Deinde multa patitur additamenta, ac sæpe contraria. Siquidem in aëre sæpe aliquid igneum est: semper situs aliquis præter aëris rationem. In homine hoc vel illo sæpe complexio aliqua contra naturam eius: semper habitus aliquis, vel affectus, figura vel situs vltra humanæ speciei necessitatem. Similiter se habent & reliquæ rerum naturalium species. Quoniam verò super omnia quę per partē & impure talia sunt, esse oportet ea quæ secundum se tota & purè sunt talia: putat Timæus G super inquinatas & mancas materiæ formas esse alias meras, integras, separatas. Atque eius rationis viribus confidit maxime, quæ sic argumentatur. Formæ quæ sunt in alio, scilicet in materia, sunt & ab alio: Non tamen ab informi natura materiæ: & formam esse oportet à forma, & à forma tandem per se subsistente: atque vna formabilis materia ad vnum tandem reducitur formatorem. Nam & siquis multos induxerit formatores, nunquam multi, quatenus diuersi sunt, mutuum inter se habebūt ordinem: atque ad vnū opus

finemque conducent: sed quatenus ab vno omnium formatore ducuntur. Igitur necesse est formas dari materiæ à mente quadam plena formarum, vbi formæ sint ipsa mentis essentia, atque ideo veræ sint species. At quia mens illa est esse primum, materia verò est proxima nihilo: & illa purus actus, hæc pura potentia: sequitur vt materia innumerabiliter penè sit mente deterior. Quicquid autem ab aliquo capitur, in suscipientis transit naturam. Quare formæ immersæ materiæ vsque adeo sunt speciebus mentis deteriores, vt vmbræ quædam sint illarum potius quàm imagines: & illarum denominationem & hanc quidem falsam retineant potius quàm naturam. Sicut artificia sunt simulacra naturalium: ita naturalia sunt simulacra diuinorũ. Propius autem accedunt artificia ad naturalium veritatem, quia cũ illis conueniunt in materia: quàm naturalia ad veritatem diuinorũ. Si ergo pictus equus vsque adeò à naturali equo deficit, vt non sit verus equus: multo magis naturalis equus adeo à diuino equo, id est ab idea, veraque equi ratione deficit, vt dici debeat vmbram equi ipsius potius quàm formam repræsentare. Ac si vera hominis & equi ratio naturaque, idea ipsa est hominis aut equi, & hanc non seruat materia longissime inde distans: cõcluditur illud Socratis in Phedone, & in Republica, videlicet veros homines verosque equos in materia non reperiri: quę idearum vmbris ita ignorantium fallit animulas, vt somniantium instar, dum rerum verarum simulacra vident, putent se res ipsas inspicere. His consonat illud Proculi nostri paradoxo: Composita ex elementis, neque sempiternitatem habẽt, neque statum. Puræ mentes vtrunque possident: suaque simul omnia comprehendũt: horum media sunt, quę suam in motu quodã sempiternitatem habent. Animæ quidem mentibus proximæ motum in operatione duntaxat admittunt: animæ verò sequentes quodammodo insuper in virtute. Vniuersa denique corporei mundi machina tanquam per essentiam operatione virtuteque animarum inferior, essentiã quoque ita mutabilem nacta est, vt tota vndique sit temporalis. Atque sicut res omnino æterna in vno semper tota manet, ita mundi huius machina penitus temporalis, in quolibet temporis infiniti momento tota à mundo diuino effluat semper,

ſtatimque diffluat ſimul & refluat : non aliter quàm quidam putant à ſole lumen per momenta ſemper effundi ſimul totum ac diffundi, repente vaneſcens: atque refundi. K
Profecto quod indiuidua æternitas ipſa metitur, indiuiduum eſſe neceſſe eſt. Quod ergo diuiſibilem habet eſſentiam tum ex partibus, tum ex naturis pluribus conſtitutam, qualis eſt mundi machina: cum indiuidua æternitate non congruit, ſed cum tempore potius diuiſibili: quo menſuratur: quo cum perpetuo labitur. Præterea diuiſibilem motu virtutem actionemque ſortitur : quapropter mundi moles momentis ſingulis tota ſimul ex non eſſe incipit eſſe, atque deſinit, iterumque renaſcitur : quemadmodum in motu & tempore (quibus omnino ſubiecta eſt) momenta profluunt tota ſingulatim ſimul & refluunt. Quod quidem ita inſuper confirmatur, quòd perpetuo cæleſtium motui virtute opus eſt infinita. Quam cum terminatum mundi corpus neque ex ſe habere, neque totam ſimul ab alio poſſit accipere, oportet ab opifice ſuo atque motore paulatim momentis ſingulis haurire. Haurire inquam momentaneam, & ſubitò vaneſcentem.
Siquidem & temporalis eſſentia omnino temporaliter accipit: & terminata natura capax æternitatis, cui' infinitè totaque ſimul potentia eſt, eſſe non poteſt. Sanè & natura mundi infinitatem ſimul non poteſt accipere. Et æternalis infinitas cum indiuidua totaque ſimul conſtet, à nullo poteſt accipi paulatim.
Hic Proculus iſta diſtinguit, Eſſentias immobiles eſſe quidem à deo quodammodo ſemel : ſed à ſeipſis ſuamet virtute ſeruari. A
Nam cum ſine motu totæ ſimul inde ſint, ideo ſtabiles per ſe deinde perſeuerare poſſe quodammodo: ſuaque virtute iam à quibuſdam potentiis ſuis in ſuos actus poſſe procedere. Quamobrem tales eſſentias per ſe ſubſiſtentes nominat : ſeque quodammodo producentes affirmat : machinam verò corpoream, & poſt animæ motum, tempuſque, & vna cum motu temporeque corporeo profluentem, nihil habere ſtabile, nullamque habere virtutem ſuimet ſeruatricem. Itaque nõ ſubſtantialem aut verã, ſed vmbratilem omnino falſamque qua Manichæorum more cognominat, perpetuò dilabentem, perpetuoque

influxum desuper instaurante prorsus egentem, quasi corporis vmbras in aqua velocissime pfluente. Hinc illud Timęi:
B Mundum intelligibilem semper quidem esse, nunquā verò fieri dicimus: sensibilē verò fieri certè semper: esse nunquā. Hic Proculus addit mundum illum numero eundem semper existere: hunc verò non proprie vnum eundemque numero esse vnquam, sed potius vnum: eundemque numero continue recreari. Et quantū corpus est, fieri semper: atque incipere: quantum verò à mente diuina dependet, factū esse semper: finemque subitò consequi: Sed huius paradoxon finem iam habeat. Quoniam igitur tota sensibilis machina vanitas quædā est, vanitatisque quotidie sensibus causa: ideo
C exclamauit Salomon: Vanitas vanitatum: & omnia vanitas. Non est igitur in rebus sensibilibus veritas. Sed nunquid in anima? Forsitan est in anima: non tamen (vt opinatus est Protagoras atque Epicurus) in ea parte animæ quæ sensus est: quia extra se respicit, & cum passione quadam sentire cō pellitur: frequentibusque nugis deluditur sensibilium. Propterea Xenophanes, Parmenides, Zeno, Melissus, Stilpo, dixerunt nihil veri sensibus comprehendi. Idem ferme Anaxagoræ Empedoclique placuit & Platoni. Nam etiā si quis dixerit esse aliqua sensibilia eodē modo semper manentia, & quæstionem nobis de sole atque stellis afferat, in quibus facile conuinci non possit, quòd cita mutabilitate nos fallant: illud certe nemo est qui non cogatur fateri, nihil esse sensibile quod non habeat simile falsum, ita vt internosci
D non possit. Nam vt alia prętermittam: vt Augustinus inquit, omnia quę per corpus sentimus, etiam cum ea non adsunt sensibus, imagines tamen eorum patimur tanquam prorsus assint, vel in somno, vel in furore. Quod cum patimur omnino: vtrum ea ipsis sensibus sentiamus, an imagines sensibilium sint, discernere non valemus. Si igitur sunt imagines sensibilium falsæ, quę discerni ipsis sensibus nequeunt: & nihil percipi potest nisi quod à falso discernitur: non est constitutum iudiciū veritatis in sensibus. Atque fieri forte potest vt sensus aliqua vere percipiat, vt Aristoteli placuit: nun-
E quam tamen discernit vere ne an contrà percipiat: & cum veritas rerum naturalium in eo consistat, vt diuinæ mentis congruant rationibus: quemadmodum veritas artificiorū,

vt

vt congruant artificiosæ mentis ideis: sensus congruitatem eiusmodi non agnoscit: ideoque non habet veritatis examen. Rursus cum cognoscentis potentiæ veritas tunc oriatur, quando potentia rebus congruit cognoscendis: perficiatur autem, quando rerum adæquatur ideis sensus: qui neque illam congruentiam neque adæquationem animaduertit, caret iudicio veritatis. Adde quòd sensus non comprehendit intimam meramque rei substantiam: aut quo ordine in natura res quælibet disponatur, quod totũ ad rei ipsius pertinet veritatem: sed subito impulsu allicitur qualitatum ad prosequendum vel fugiendum: in quo corporis sui commoditati indulget potius quàm veritati rerum cõprehendẽdę. Ergo non est in sensu veritatis iudicium constitutum. Constitutum est autem in ratione. Nam priuationes rerum per habitus cognoscuntur: per lumen tenebræ: per voces verò silentium. Priuatio veritatis est falsum. Ratio nostra sensibilia & sensus redarguit falsi: quod facere non potest nisi p̃sentis veritatis examine. Rursus ratio veritatem ipsam ita describit: Veritas est naturæ cuiusque pura integritas, & integra puritas. Non definitur autem veritas nisi sub naturali veritatis & propria ratione. In ipsa ratione veritatis est veritas. Est igitur veritas in animo veritatem definiente: sicut in animo falsum redarguente. Quinetiam est in animo rem quamlibet describẽte. Speciei siquidem definitio ipsam rei essentiam complectitur tum integrã, tum ab extraneis contingentibus segregatam. Si ergo in ipsis speciebus est veritas rerum, species autem definitione comprehenditur, & definitio, mente: quis non videat esse in mente hominis veritatem? Quæ si est immortalis, satis declarat mentem cui inhæret inseparabiliter, incorruptibilem esse. Nam qualitas quæ alicui subiecto inhæret inseparabilis: subiecto sublato disperditur. Inhærere autem veritatem nobis inseparabiliter, illud testimonio esse potest, quòd vel assiduè, vel saltem arbitratu nostro, subito, & sola mẽtis in seipsam collectione tum falsa multa damnamus, tum communes naturas aliquas definimus siue naturalium rerum, siue moralium, siue artificiorum. Quinetiam ex eo idem concluditur quod in superioribus ostendimus, idearum perspicuas rationes menti stabiles inhærere. In ipsis verò rerũ omniũ veritates

G

H

I

comprehenduntur. Prę cęteris autem declarat hoc summopere vis ipsa rationalis, quæ nō minus homini naturalis est, quàm auibus sit volatus, canibúsve latratus. Per hanc Socrates homo est: per hanc homo ab aliis animalium distinguitur speciebus. Rationalem vim vocamus in pręsentia ipsam
K ratiocinandi virtutem: quæ consequentia cernit, id est, quid ex quoque sequatur animaduertit gradatim: & à pręcedentibus ordine percurrit ad consequentia. Hæc est naturalis quędā dialectica id est ars differendi, ab origine hominibus insita. Per hanc pueri & imperitissimi quiq; partes suas quibuscunque possunt coniecturis assertionibusque tutantur.
Hominis sermo nihil aliud est quàm argumentatio.
Atque omnis hominis sermo, totaque vitæ actio & consul-
L tatio nihil est aliud quàm argumentatio quędam. Ac nemo est tam insanus, quin ex aliis alia inferat argumentando, & ita ferme ab imaginibus ad imagines argumentetur: sicut
M sana mens ad res ipsas percurrit ex rebus. Vis ergo rationalis nunquam ab homine separatur. Quod si ab hac non separetur veritas: ab anima nunquam veritas separabitur. In hac differendi virtute duæ insunt necessitates: altera secundum subiectum eius: altera secundū eius vsum. Prima quidem necessitas est, quia ipsa differendi facultas toti hominū speciei sic insita est, vt nequeat separari. Secunda verò necessitas, quę in eius vsu conspicitur, duplex est: absoluta, & relatiua. Absoluta quidem necessitas in tribus apparet: scilicet in disciplinę principiis: definitionibus: proprietatibus. Principia sunt huiusmodi. Quicquid est: aut per se est, aut per a-
N liud. Contraria sua se natura repellunt. Omne totum est maius sua parte. Suum cuique tribuendum est. Hęc & talia plurima necessario ita se habent, vt necessario cognoscantur: quia neque possunt vnquam aliter se habere: neque ab aliquo quanuis imperitissimo ignorari. Est quoque necessitas
O in definitionibus: vt quando sic circulus definitur. Circulus est figura à cuius centro ad circunferentiam omnes lineę in rectum ductæ sunt æquales. Quanuis enim vel talis verborum coniunctio in ore, vel figuratio talis in puluere sit contingens: veritas tamē illa est necessaria & sempiterna: quòd illa ipsa circuli est natura. Similis in proprietatibus necessitas est, id est quòd circulus est capacissimus omnium figurarū. Atque vt cætera omittā, nónne in numeris à necessaria

veritate in necessariam veritatē absque fine transcurrimus? Bis duo quatuor. Ter tria nouem. Bis quatuor octo: & quæ sequuntur. Idem facimus in compositionibus comparationibusque figurarum. Quòd si definitiones proprietatesque in principiis confluunt, quia effluunt ex principiis: principia verò necessariò insunt semper virtuti rationali, vnde assidue aliqua de re ratiocinetur: fit vt hæ tres necessariæ veritates, quę omnes absolutę vocantur, in naturali hominum dialectica comprehendantur..

Restat necessitas relatiua: quæ etiam tres habet partes. Alia quidē est in positione: in conditione alia: alia in demonstratione. Prima est talis. Res nulla potest non esse dum est. A
Animal dum viuit, necessario viuit: & similia quæ de præsenti tēpore affirmantur. Ex quibus necessitas habetur prēteriti atque futuri. Quod factum est, infectum esse non potest. Quod futurū est, non potest non fore. Secunda talis est. Si corpus viuit: est necessario. Si animal currit: mouetur. Tertia est huiusmodi. Omnis pars minor est quàm totum. Caput, humani corporis pars est. Ergo caput illud est humano corpore minus. Hæc conclusio ideo omnino necessaria est: quia duæ præcedentes propositiones necessariæ sunt simul iunctę. Necesse est enim caput esse minus corpore: tum quia pars est minor toto: tum quia ipsum est pars corporis. Quapropter in his quoque tribus, positione, conditione, demonstratione, tres sunt necessariæ veritates. Ac si tria ipsa in B
humana ratione sunt cum disputat: tres quoque hæ veritates necessariæ sunt in ipsa. Et quia disputat semper, etiam dū tacemus, & dum dormimus (tota enim hominis vita perpetua quædam ratiocinatio est) idcirco semper sunt illæ veritates in ratione. Quæ semper (vt ita loquar) & veridica est, & verifica. Veridica in primis tribus veritatibus: quę necessariæ per se sunt, etiam si ratio nihil egerit. Verifica in tribus aliis: quia ratio necessitatem quandam illis imponit per positiones, conditiones, demonstrationes: siue per quoslibet alios argumentandi modos. Contingit enim hoc animal viuere: non tamen dum viuit, contingit viuere: sed est necessarium. Contingit hunc hominem moueri, non tamen si currat: immo sequitur necessario. Contingit hoc caput esse hoc corpore minus: sed positis ab animo prioribus illis dua

bus propositionibus,est necesse:quanuis in ipsa specie capitis & specie corporis nunquam id sit contingens. Si ratio in aliis necessariam veritatem capit,in aliis ipsa facit, & capit semper & facit:quis negabit in ea esse perpetuam veritatē? Immo quis negabit eam esse necessariam , postquam quæ per se necessaria sunt,ita vt sunt accipit,neque mutat: quæ verò non sunt per se talia,ipsa virtute sua efficit necessaria? Et multo magis necessaria est quàm omnia quæ positionibus,conditionibus,argumentationibus necessaria efficiuntur ab ipsa. Ipsa igitur absolutè est necessaria ferme vt principia illa disciplinarum,definitiones proprietatesque perpetuæ . Quapropter humana ratio vel necessariò fuit semper & erit vt illa: vel saltem necessario semper erit . Nam quid prohibet fore perpetuam rationem , cuius perennnis actio nihil est aliud quàm ex absoluta æternitate firmiter intra manente,relatiuam æternitatem temporalibus quibuslibet contingentibusque præstare:atque ex necessariis & contingentibus seriem vnam digerere necessariam & perpetuam? Si erit semper:viuet & semper . Non enim est ratio nisi viuens,& in viuente.

Obiectio Scepticorum & responsio,quòd aliquid certum sciatur. Cap. 7.

C

NEque audiendi sunt Sceptici si negauerint in animis nostris esse veritatem,quia videantur de singulis dubitare. Non enim de omnibus dubitat animus: vt apparuit in omnibus necessariis veritatibus quas narrauimus: & similibus. Hoc mihi candidum videri scio. Hoc mihi iucunde olere scio. Hoc dulciter gustum attingere scio. Quis nesciat summum bonum esse,quo nihil prestantius? Et esse vel in homine,vel extra hominem:& si in homine:vel in animo, vel in corpore, vel in vtroque . Quis non certò sciat deum esse,vel non esse? & si sit,oportere vnum esse,vel plures:& si plures:aut finitos numero,aut infinitos? Oportere deum esse corporeum,vel incorporeum. Ac si non sit corporeus:esse necessario incorporeum. Itē regulas multas astro-
D logiæ & medicinæ certas esse declarat effectus:vt arithmeticas & geometricas prętermittam,quibus nihil est certius.

Et quod maius est: siquando animus de re aliqua dubitat, tunc etiam de multis est certus. Nam se tunc dubitare non dubitat. Ac si certum habet se esse dubitanté à veritate certa id habet certum. Quippe qui se dubitantem intelligit: verum intelligit: & de hac re quam intelligit, certus est: de vero igitur est certus. Atque omnis qui vtrum sit veritas dubitat: in seipso habet verum, vnde non dubitet. Nec vllum verum nisi veritate verum est. Non igitur oportet eum de veritate dubitare, qui potuit vndecunque dubitare: vt Augustinus inquit: præsertim cum non modo se dubitare intelligat, sed quòd hoc intelligit animaduertat: & quòd animaduertit agnoscat: ac deinceps in infinitum. Discernit preterea dubium animum ab indubio. Nec eum latet quanto satius foret non dubitare: & quàm ardenter cupiat veritatem. Certitudinem cum dubio comparat: quo fit vt de vtrisque sit certus. Est insuper certus se inuestigare, sentire, viuere, esse. Siquidem nihil dubitat qui non est, viuit, sentit, & inuestigat. Certus quoque est se non esse primam veritatem: quippe cum ipsa de se non dubitet. Scit eam dubitatione & errore non implicari. Scit oportere se in iudicando falli aut non falli. Scit, siue fallatur, siue non fallatur, dum iudicat, se proculdubio viuere. Postremo non ignorat esse extra animum suum aliquid aliud in natura quod ipsi inferat dubiū. Tales quædam certæ veritates in ipsa etiā dubitatione perspiciuntur. Quo admonemur vt Aristonem, Pyrrhonem atque Herillum non metuamus: qui dum opinantur nihil à nobis verum sciri: ipsi proculdubio sciunt opinionem hanc suam oportere aut veram esse, aut falsam. Sciunt si vera est, nonnihil ab homine verum intelligi. Sciunt, si falsa est, opinionem eis oppositam esse veram scilicet aliquid ab homine verum sciri. E

Obiectio Peripateticorum, & responsio, quòd veritas animum familiariter habitat. Cap. 8.

SEd nunquid metuendi Peripatetici sunt, qui negant familiariter habitare in animo veritatem, ex eo quòd tam pauci eius periti esse videantur: & quisquis eam nouerit, tanto ab infantia tempore fuerit indoctus? Certe non esse

timendos Augustinus, vbi mentem Platonis exponit, ita testatur. Aut est aliquid in animo quod in præsenti cogitatione non est: aut non est in musico animo ars musica cum de sola geometria cogitat. Hoc autē falsum est: illud igitur verum. Nō autem quicquā se habere animus sentit, nisi quod in cogitationē venerit. Potest igitur aliquid esse in animo, quod esse in se animus ipse non sentiat. Id autem quandiu sit, nihil interest. Nā si diutius fuerit in aliis animus occupatus: quauis intentionem suam in ante cogitata facile possit reflectere, obliuio vel imperitia nominatur. Sed cum vel nos ipsi nobiscum ratiocinantes, vel ab alio bene interrogati, de quibusdam liberalibus artibus vera percipimus: ea quæ inuenimus, non alibi quàm in animo nostro inuenimus. Nam ob idipsum oportet animum ad hæc inuenienda relictis externis secedere in seipsum. Neque idem est inuenire, quod facere aut gignere. Alioquin æterna gigneret animus inuentione temporali: nam æterna sæpe inuenit. Quid enim tam æternum, quàm circuli ratio: vel si quid aliud in huiusmodi artibus neque non fuisse aliquando, neque non fore comprehenditur? Hinc manifestū est immortalem esse animum humanum, & omnes veras rationes in secretis eius esse: quauis eas siue ignorantia siue obliuione aut nō habere aut amisisse videatur. Fac te aliquid esse oblitum, alioquē te velle quasi in memoriam reuocare. Dicunt ergo illi: nunquid nam hoc est, aut illud? diuersa velut similia proferentes. Tu verò nec illud vides quod recordari cupis: & tamen vides non hoc esse quod dicitur. Nūquid nam tibi cum hoc euenit, integra videtur obliuio? Nequaquam. Nam ipsa discretio qua non admittitur quod falso amoueris, pars quædam recordationis est. Tales ergo nondum verum vident: falli tamen decipiq́ue non possunt: & quid quærunt, satis norunt. At si tibi quispiam dicat te post paucos dies risisse quam natus es, non audes dicere falsum esse: & si auctor sit cui fides habenda est: non recordaturus, sed crediturus es. Totum enim tē pus illud validissima tibi obliuione occultum est. Hæc igitur ab illa obliuione plurimum differt: sed illa media est. Nam est alia recordationi reuisendæq́ue veritati propior atque vicinior. Cui simile est quando videmus aliquid, certoq́ue agnoscimus nos id vidisse ali-

quando, atque nosse affirmamus, sed vbi, aut quando, aut quomodo, aut apud quem nobis in notitiam venerit, satagimus repetere atque recolere. Vt si de homine nobis contigerit: etiam quæramus vbi eum nouerimus. Quod cum ille commemorauerit, repente tota res memoriæ quasi lumẽ infunditur: nihilque amplius vt reminiscamur laboram⁹. Tales sunt qui bene disciplinis liberalibus eruditi sunt. Siquidem illas sine dubio in se obliuione obrutas eruũt dicendo, & quodammodo effodiunt: non tamen contẽti sunt neque se continent donec totam faciem veritatis cuius quidam in illis artibus iam splendor subrutilat, latissime: atque planissime intueantur. Sed in iis quidam falsi colores atque formæ velut in speculum cogitationes effundunt, falluntq; inquirentes sæpe ac decipiunt: putantes illud totũ esse quod norunt, vel quod inquirunt, ipsæ sunt illæ imagines magna cautione vitandæ: quę deprehenduntur fallaces, cum cogitationis variato quasi speculo variantur: cum illa facies veritatis vna & immutabilis maneat. Quanuis enim alterius atque alterius magnitudinis quadratum sibi cogitatio depingat, & quasi ante oculos præferat: tamen mens interior quæ vult verum videre, ad illud se potius conuertit secundum quod iudicat omnia illa esse quadrata. Quid si quispiam nobis dicat secundum idem iudicare, quod videre oculis solet? Quare ergo dicit, si tamen vere erudita est, pilam veram vera planitie puncto tangi? Quid tale vnquam oculis vidit, aut videre potest, cum ipsa imaginatione cogitationis fingi quicquam huiusmodi non possit? An non hoc probamus, cum etiam minimum circulũ imaginando animo describimus, & ab eo lineas ad centrum ducimus? Nam cũ duas duxerimus, inter quas quasi acu vix pungi possit: alias iam in medio non possumus ipsa cogitatione imaginaria ducere: vt ad centrum sine vlla commixtione perueniant: cum clamet ratio innumerabiles posse duci: ita vt in omni earum interuallo scribi etiam circulus possit. Hoc cum illa phantasia implere non possit, magisque ipsi oculi deficiant: siquidem per ipsos est animo infusa: manifestum est: & multum eam differre à veritate: & illam, dum hoc videtur, non videri. Idem contingit quando ratio lineam diuidit in infinitum: quod neque cernit sensus, neque assequitur phanta-

sia. Ex omnibus his Augustinus confici arbitratur, quod &
A Plato in epistola ad Syracusanos docet, vt veritates ipsæ rerum mentem nostram familiariter habitent, ostendantque sua illam familiaritate perpetuam.

THEOLOGIÆ PLATONICÆ
De immortalitate animorum eodem Ficino authore,

LIBER DVODECIMVS.

Rationes multæ & signa, quòd mens humana intelligendo mente diuina formatur. *Cap.* 1.

B Lato philosophorum pater in epistola ad Syracusanos de comparanda sapientia disputans, quinque inquit potissimũ ad rei cuiusque scientiã concurrere oportere: nomẽ, descriptionem, idolum, formulam, & ideam. Exemplum de circulo, sicut ipse, ponamus: vt idem de cęteris omnibus arbitremur. Animus noster ad scientiam circuli commonetur sæpenumero per auditum, quando audit tum nomen hoc circulus, tum circuli descriptionem huiusmodi: Circulus est figura reflexa, quæ æquis interuallis vndique distat à medio. Admonetur quoque per visum: quando circulum vel torno factum ex ligno videt, vel in pariete signatũ: qui non verus est circulus, quoniam non perfectus: sed veri idolum & simulacrum. Per hæc tria commonitus animus auidus veritatis, eruit in actum ingenitam sibi circuli formulam: Per quam velut characterem ad ipsam circuli ideam in mente diuina vigentem aciẽ dirigit: quæ quidem directio est scientia circuli. Ostendit autem in ea epistola Plato, animum corpore clausum non posse ad ideam absque quatuor illis gradibus surgere: quia oportet illum iã diu infra se lapsum, primum per illa tria in se reuerti: deinC de per formulam quam in se habet, supra seipsum ascendere ad ideam. Sicut enim formæ rerũ à mente diuina in ma-

teriam per infimam animæ virtutem traiiciuntur, id est per semina formarum virtuti huic infusa: ita à formarum corporalium perceptione non fit transitus in diuinæ mentis ideas nisi per summam animæ partem id est per innatas formulas idearum: vt à formis corporis: quę omnino temporales sunt, quia tã essentia quàm affectione mutantur, transcendatur in formas diuinæ mentis æternas omnino, quia nulla ex parte mutantur, per mentis humanæ formas partim æternas, partim etiam temporales: quia per essentiam manent, per affectionem verò ex habitu vertuntur in actũ: atque contrà. Merito enim faber qui materiam formaturus est, ipse disponit. Idcirco mens illa sublimis mentem nostrã per ideas quotidie formatura, ad hanc formationem olim dispo∫uit eã per characteres idearum: signauitque, quemadmodum propheta canit, super nos vultus sui lumen: vt lumen in suo lumine videremus. Videlicet vt per formulam opportune excitatam, idea non aliter accenderetur in mente, quàm aut ignis per sulfur in ligno, aut per naturam perD spicuam serenãque in aëre lumen. Et quia sicut natura ad suam se habet materiam, ita penè deus ad suam, natura verò cæleste m (vt quidam putant) materiã semel cunctis formis ornauit, elementalem singulis momentis exornat: ideo probabile est deum quoque materiam (vt ita loquar) angelicam semel ideis omnibus impleuisse, animalem implere quotidie. Huic autem Platonicorũ mysterio similis ex quadam parte videtur esse Auicennæ Algantelisque opinio. OE pinantur enim materiam tum elementalem tũ intellectualem sub luna diuinæ cuidam menti tanquã formatrici subesse, cuius instrumenta sint ad elementalem materiam disponendam formæ corporeæ: sed ipsa tandé prę paratæ materiæ subst antiales imprimat formas. Similiter humanam mentem per imagines corporũ, per sensus phantasiamque acceptas ita sæpe disponi, vt in diuinam illam intelligentiã se conuertat: atque ab illa quatenus cõuertitur, eatenus formari quotidie. Neque aliud quicquam esse quod intelligere dicimus, q̃ ab intelligentia diuina formari. Quod autem dicimus meminisse, id esse videlicet, habitũ iam contraxisse quo facilè ad diuinam mentem pro arbitrio conuertamur. Sed mittamus Arabes in pręsentia, quanuis Platoni satis a-

micos:ad Platonica redeamus.

Quod autẽ res verè cognoscere nequeamus, nisi formemur ideis:his rationibus Plato sibi persuasisse videtur. Prima. Nomen circuli mutabile est. Potest enim vsu linguę variato aliter appellari. Si est ita, descriptio quoque mutabilis est: quæ componitur ex nominibus. Idolum quoque mutabile est. Potest enim ligneus circulus destrui: & qui pictus est, aboleri. Formula quoque ex eo mutabilis est, quòd ex potentia siue habitu migrat in actum: deque actu rursus in habitum. Illud autem quod per scientiam circuli cõprehenditur, est penitus immutabile: quoniam & vniuersale est, & non potest aliter se habere. Quapropter idea immutabili opus est ad rationem circuli immutabilem comprehendendam.

Secunda. Circulus, qui vel torno fit, vel pingitur, non est purus: quia nonnihil rectæ figuræ habet admixtũ. Similiter phantasia quæ sequitur illius aspectũ, puram rationem circuli non assequitur: quę est à figura eius oppositа penitus segregata. Ratio quoque si phantasię auscultauerit, fallitur. oportet ergo vt ad puram ideam recurrat, qua cernat purũ.

Tertia. Scientia vera circuli in eo consistit, vt quid sit circulus, cognoscatur. Quatuor verò illa qualitatem potius significant quàm substantiam: quia & ipsa sunt qualitates.

Quarta. Verus perfectusque cognoscendi modus modum sequitur essendi. Itaque sicut tam circulus quàm reliquæ rerum species à mente diuina per idearum ideas concipiuntur & pariuntur: sic à sequentibus mentibus per easdẽ cognoscendæ videntur: vt omnes scientię primã pro viribus scientiam imitentur. Veritas rei creatæ in hoc versatur, vt
A ideæ suę respondeat vndique. Scientia verò in hoc præcipuè vt mens congruat veritati. Non potest autem rei ipsius veritati quadrare, nisi ideę quoque quadret: in cuius congruitate sita est veritas: vt ita per ideam: quæ rei causa est, rem cognoscat: siquidem vera scientia est per causam. Ideo Ioannis euangelistæ theologia, quę ideam appellat rationem diuinam, eam ipsam rationem vocat veritatem: quia per eam res & vere subsistant, & cognoscantur vere.

Quinta. Intellectus quęlibet creata in ipsorum rationibus absolutis intelligit & diiudicat. Et sicut plerunque ea-

dem sensibilia natura sua omnibus sentientibus præsto adsunt, neque mutatis istis illa inde mutantur: ita eędem intelligibiles rationes vbiq; & semper cunctis rationantibus sese monstrant: manentque stabiles in seipsis: dū ratiocinantiū animi magis minúsve ad illas accedunt. Rationes huiusmodi creatis omnibus præstantiores sunt, non ob id solū quòd per ipsas tanquam regulas creata quæque probantur, reprobantúrve, sed ob hoc insuper, quòd tum propter amplitudinem tum propter simplicitatē sunt priores. Quapropter in ipso sunt deo: per quas ipse & discernit singula & disponit. Quando igitur intellectus apprehendit rationes huiusmodi, tunc apprehendit quodammodo tam deum in quo sunt, quàm res quarum illæ sunt exemplaria: prius tamen secundum naturalem originem quandam quodammodo apprehendit deū in quo illæ sunt, q̄ res quibus non insunt, quanuis assint. Neque incredibile videri cuiquā debet per incorporalia exemplaria corporalia quælibet cognosci: potius quàm econuerso. Nā per imagines sensibiliū spiritales, siue in sensibus siue in speculis illæ sint, sensibilia corporа, non contrà sentimus. Quod autē ita hac in re decipiamur, vt dū spiritalia rerum exemplaria intuemur, sæpe intueri solum naturas rerum corporeas arbitremur: quid mirum: cum & infantes quando in speculis vident simulacra corporum incorporea, & somniantes quando cogitant imagines spiritales, corpora videre se credant? Sed de hoc planius in sequentibus. Adde his rationibus signa duo, alterum per intellectum, alterum per voluntatem. Per intellectum hoc pacto. In speciei naturalis ceu pulchritudinis cognitione, primò quidem descriptionem pulchritudinis aliquam singulis rebus pulchris communem excogitamus. Addimus statim proprietatesaliquas pulchritudinis à descriptione deductas. Has notiones forsitan concedemus posse per formulā pulchritudinis menti innatam excogitari. Sed quando in hac ipsa consideratione diutius immoramur, inuenimus eam naturam pulchritudinis quam definiuimus, quia mera sit, esse infinitam: & quia infinita sit, esse deum. Nullus autem sanæ mentis concesserit per formulam terminatam, & infrà deum interuallo longissimo immo incomparabili existentem, apprehendi naturam infinitam, ipsumque deum. B

Igitur mens per formulam ſuam ex habitu eductã in actũ, ideæ diuinę quadam prępara-
C tione ſubnectitur: cui ſubnexa, ſupra ſe ſurgit. Nulla enim res ſupra ſe vnquam attollitur, niſi à ſuperiore trahatur. Quo enim pacto aqua volat in aërem, niſi calore aëris eleuetur? Facile autem & naturali quodam inſtinctu ipſa formula, cum ſit ideæ radius, reſilit in ideam: ſecumque attollit mentem cui eſt infuſus hic radius: qui cum reducitur in ideam, refluit in eam ſicut fontẽ: ceu radius repercuſſus in ſolem: perque nondũ huiuſmodi vnũ aliquid ex mẽte & deo cõficitur. Hinc Paulus diuinus theologus inquit: Qui adhæret deo, vnus ſit ſpiritus.

Signum per voluntatem, hoc eſt. Mens in clara veritatis cognitione tam mirabili voluptate perfunditur, vt omnem humanæ voluptatis excedat modum. Talẽ quoque vitæ ſtatũ voluntas propter ſeipſum appetit ſolũ: alia propter illũ: quaſi ſtatus eiuſmodi in ſumma ſit arce naturæ: vltra quem nihil ſuperſit optandum.

His rationibus & aliis pene ſimilibus Plato ſibi perſuaſiſ-
D ſe videtur nihil revera diſci poſſe, niſi docente deo. Ideo in eadem epiſtola inquit: Diuina myſteria verbis doceri non poſſunt. At ſi quis diutiſſime cum diuinis verſetur, ſimilẽque illis agat vitam: ſubito tandem tanquã ab igne ſcintillante lumen veritatis effulget in animo: ſeque ipſum iam alit. Quod ſibi ſcribit accidiſſe. Merito: quia etiã in epiſtola ad Dionyſium regem ſcripſerat, omnem ſuæ mentis curam in diuinorum inueſtigatione verſari. Quam quidẽ inueſtigationem Socrates tandẽ purgatione mentis aſſecutura quicquid cupit exiſtimat. Ideo prætermiſſa quandoque ſolita in quiſitionis ſolicitudine, ad moralem confugit philoſophiã: vt mens eius beneficio corporeis diſcuſſis nubibus facta ſerenior, diuini ſolis lumen ſemper & vbique luces ſubito caperet. Quod quidem & Socrates ipſe prius, deinde Plato imitatione Socratis aſſecutus fuiſſe videtur. Sed ad inſtitutũ
E ordinem redeamus. Plato in ſeptimo libro de rep. cum deũ bonitatem ipſam appellauiſſet, adiunxit, vix quidem eã percipi poſſe: ſed hac ignorata nihil aut vere cognoſci, aut recte agi vel publice vel priuatim. Quod quidẽ ab Indis philoſophis Socratẽ & Platonẽ didiciſſe Ariſtoxenus affirmat. Idque Socrates Theagi apertiſſime declarauit: videlicet à

solo deo tam hæc quàm alia disci: quemadmodum in libro superiore narrauimus. In sexto autem de repu. Plato deum comparat soli: vt in libro de amore exposuimus: vt quēadmodum summum in genere sensibilium se habet ad sensus & sensibilia, ita summū in genere intelligibilium se ad intellectus & intelligibilia habeat. Sol oculos visuros, & colores visibiles procreat. Tribuit oculis generationem: vim videndi, & videndi actum: quia sine lumine nihil actu videmus. Dat rursus coloribus generationē, ac vim qua oculos possint mouere: & actum per quem moueant. Sic deus (vt scribit Plato) mentibus essentiā tribuit: deinde intelligendi virtutē: postremò ipsam infundit intelligentiā. Rebus quoque intelligibilibus præstat essentiam: vim qua mentē mouere queant: & actū per quem moueant. Itaque mentis actū deus cum intelligibiliū actu coniungit, sicut solis lumen oculi actum cum actu colorū. Et sicut in videndo triplex est actus, motus scilicet coloris, aspectūs oculi, fulgor lumini cō F nectens actus reliquos inuicē: sic in intelligendo: vbi actus intelligibilium veritas à Platone vocatur, actus mentis scientia. Actus vtrorunque nodus apud Platonem est deus: qui efficit vt & mens scienter intelligat, & res verè intelligantur: immo facit vt ipse intelligatur. Idcirco Ioannes euangelista inquit dei mentem esse viam, veritatemque, & vitā: ac neminem ad deum proficisci, nisi per ipsam. Est enim veritas rerum intelligendarum: vita mentis intelligentis: via per quam res ipsæ menti influunt, & in qua mens rebus fit obuia. Quare & alibi dixit, eos solos veritatis spiritū videre G posse, apud quos & in quibus est deus. Nam si res bonæ sub bonitatis ratione voluntatem mouent, atque ideo bonitas ipsa voluntatem mouet per bonitatem ad bonitatē, neque aliud quicquam nisi bonitatē ipsam in singulis exoptamus: sequitur vt quia res veræ sub ratione veritatis intellectum mouent, idcirco veritas ipsa per veritatē ad ipsam veritatē moueat intellectum: neque aliud quicquam quàm veritatē ipsam intellectus intelligat. Ipsam verò bonitatem & veritatem esse deum ambigit nemo. Lucentes oculi luce cōmuni lucentia vident: aures aëreæ cōmuni aëre aërea audiunt. H Veridicæ mentes veritate cōmuni vera intelligunt & pronuntiant. Voluntates quoque bonæ ipsa bonitate cōmuni

Nota

afficiuntur ad bona. Et ſicut oculus ſolis lumine illuſtratus in eo corporum colores intuetur atque figuras, neque aliud quicquam reuera niſi lumen ipſum videt, licet videatur varia intueri, quia lumen ipſi infuſum variis fulget ſplendoribus, prout à variis corporibus in viſum reflectitur: atque hoc quidem lumen in corporibus reflexũ oculus percipit, ipſam verò in fonte ſuo lucẽ minime ſuſtinet: ita mens noſtra dei radio illuſtrata, in eo ipſo intelligit rerum omnium rationes, quarum fons eſt deus, & quæ deus ipſe ſunt: ideo & per dei lumen intelligit, & ipſum diuinum duntaxat lumen cognoſcit. Diuerſa tamen videtur cognoſcere: quia ſub diuerſis rerum inde manantium ideis & rationibus ipſum intelligit. Quanuis autem per dei lumen quotidie omnia cognoſcamus, & ipſum quoque lumen ſub tali aut tali rerum figura refulgens gradatim percipiamus: puram tamen dei lucem ab ideis omnibus abſolutam, & in ſuo fonte penitus infinitam, non prius videbimus, quàm eũ mentis puriſſimæ ſtatum adipiſcamur: in quo lumen ipſum vnico intuitu cunctarũ ſimul idearũ ſplẽdore refulgens cõtueamur. Tunc (vt inquit præco ille veritatis inſignis Ioãnes euangeliſta) videbimus deũ ſicuti eſt: quia deũ cognoſcem⁹ vt deũ. A Nunc enim formati hac idea vel illa, videmus eũ vt ſpeciẽ hanc rerũ, aut illã. Quanuis & in hac vita ſecundum Ioannẽ theologi filij dei ſint: quia p diuinas ideas quotidie reformã tur: quarũ idearũ ſeries ab eo vocatur ratio dei, vita rerũ o- B mniũ lumen mentiũ, non angelicarũ modo, ſed etiã humanarum. Humanarum inquam omnium: quia ita illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, vt quicquid intelligit quiſque, in ipſo intelligat, & per ipſum: licet tenebroſæ mentes ipſum non comprehendant: quia non agnoſcunt ſe omnia videre per ipſum. Iſtæ quidẽ vocem diuini ſpiritus vbicunque vult ſpirantis audiunt, neſciunt autem vnde vox illa veniat, quóve tendat. Cum hæc theologi priſci cognoſcerent, philoſophiæ ſtudium ſemper cum religioſa pietate iunxerunt. Principio Zoroaſtris philoſophia C (vt teſtatur Plato) nihil erat aliud quam ſapiens pietas cultuſque diuinus. Mercurii quoque Triſmegiſti diſputationes omnes à votis incipiunt, & in ſacrificia deſinunt. Orphæi etiam Aglaophemiq́ue philoſopia in diuinis laudibus

tota versatur. Pythagoras à matutino hymnorum sacrorum cantu philosophiæ studia incohabat. Plato non in dicendo solum, sed etiam in cogitando exordiri à deo præcipiebat in singulis: atque ipse semper exordiebatur à deo. Sed redeo parumper ad Pythagoram. Hic cum inuenisset latus longius trianguli illius quem rectangulum nominant, tantum posse quantum duo reliqua simul iuncta: hecatomben deo suppliciter immolauit, vtpote qui intelligebat nihil vsquam veri sine summæ veritatis lumine posse videri. Hinc denique fingitur Minerua sapientiæ dea solo Iouis capite nata. Hinc & illud, Ab Ioue principiũ Musæ: Iouis omnia plena.

Quæstio prima de ascensu ad deum: quomodo mens in diuinam eleuatur ideam.

Cap. 2.

TRes hic quæstiones suboriuntur. Prima, quo pacto mens in diuinam eleuetur ideam. Secunda, quam ob D
causam in eo statu deum nos videre nequaquam animaduertamus.

Tertia, quo pacto hanc ipsam intelligentiam deus nobis infundat assidue: quod Plato in superioribus affirmauit. Ad primam ita in præsentia respondemus. Quando phantasia excitata per hominis alicuius figuram visu haustam, simulacro formatur humano: tunc humanæ speciei formula quæ latebat in mentis arcanis, instigata corrusca t: & mentis siue rationis aciem actu format, quam formauerat habitu. formatio talis: vel intelligentia quædam ambigua est, vel ortus intelligentiæ. Postquam, ita satis formata est, hominis idea formatur, id est ratio illa per quam deus hominem generat. Ita vero mens per formulam hominis ideę quadrat humanæ, sicut cera quæ ab annulo figurata est, quando diligẽter annulo admouetur, suo congruit exemplari. Illa ipsa quadratio, vera & distincta hominis intelligentia est.

Ideo Plato in conuiuio inquit animum diuinæ pulchritudinis amatorem, quando diuinas rationes attingit, tunc non amplius simulacra rerum, sed res veras parere in seip- E
so: partasque nutrire: familiarem deo fieri: ac præ cæteris immortalem.

Sed nullus hoc arcanũ lucidius quàm Ioannes euangelista reuelasse videtur: qui mentem hominis, quando verum aliquid attingit, non dicit (vt solent alij) videre rem aliquam veram, sed facere veritatẽ: quia scilicet re ipsa assequitur vt deus qui ipsa veritas est, quasi forma eius efficiatur. Tunc enim mens ideam induta fit ipsa veritas rei illius quæ per talem est ideam creata. Quod omnes faciunt contemplantes, quos inquit Ioannes de plenitudine diuinæ rationis accipere: quia scilicet quisquis vere contemplatur speciem aliquã rerum, accepit iam in se aliquam ex numero idearũ: quarũ plenitudo est ipsa diuina ratio. Consummati verò theologi
F mentem aurum appellat ignitum: quia sicut aurum formã induitur ignis, per quã calefit, rarescit & fulget: sic illa mens induta diuinæ mentis ideas, per illas tum veritatis lumine claret, tum bonitatis fomite flagrat. Paulus quoque apostolus mentem diuinorum contemplatricẽ affirmat tum quotidie renouari, tum in eandem cum deo imaginẽ transformari, tum vnum cum ipso spiritũ fieri. Trismegistus similiter ait ex mente pura & diuinitate quodammodo vnũ spiritũ coalescere. Et Platonici omnes probant in rationibus contemplandis diuinam rationem tactu quodã mentis sub stantiali potius quàm imaginato tangi: vnitatẽque mentis propriam, deo rerum omnium vnitati modo quodã inestimabili copulari. Quod Plato in Phędro & in Epinomide & alibi sæpe confirmat: præsertim quando in Phędro diuinorum ait contẽplatorẽ à reliquis segregari: purgari prorsus: hærere deo: impleri deo & in Epinomide, animũ contemplatione perfectum penes diuinam vnitatem vnũ prorsus euadere. Idem in libris de repub. censet.

Quæstio secunda: Quam ob causam in eo statu deum nos videre nequaquam animaduertimus.

Cap. 3.

G AD quęstionem secundã ita possumus respondere. Sicut oculus per speciem coloris formatus videt colorem, speciẽ verò per quam videt, non cernit: sic forsitan intellectus quodãmodo formatus idea, per hanc statim speciem ipsam naturalẽ intelligit, quæ per talem facta fuit ideam:

ideam:ideam tamen ipsam nondũ perspicuè intuetur: immo non agnoscit, licet intueatur. Forte vero sic accidit in contemplationis quadrationisque initio:sed quando pergit in contemplando,congruitque magis, ipsam quoque ideã suspicit clarius,agnoscitque:sed vbi eam suspiciat,nondum discernit. Sicuti enim pueri dum figuras suas in eo solis fulgore qui ambit superficiẽ aquæ,prospiciunt:eas non in extrinseco lumine,sed in aquæ fundo se putant videre:ita mẽs adhuc rudis dum rationes rerum in sublimi videt deo:in se H aut in rebus aliis videre se putat: præsertim cũ ratio rei naturalis in deo,verbi causa ratio aëris,non deũ referat prorsus vt deum,& vt principium vniuersi solutum ac liberum, sed vt exemplar aëris: quo fit vt mens quando ratione ipsa diuini aëris circunfunditur, deum intelligat non tanquam deum,sed tanquam aërem:deum nanque videt aëreum, id est ad naturam aëris circunscriptum. Angeli verò qui cunctis simul formantur ideis:per ipsam idearum omniũ congregationem fontem vniuersæ naturæ conspiciunt. Sic enim diuinæ substantiæ non ex quadam ipsius parte, vt nos, sed toti ferme seipsos insinuant. Idcirco vbi illas videant, animaduertunt. Idem continget & nobis quando in deum penitus reformabimur. Nunc verò non aliter in hac penè omnes decipimur,quàm plebeij qui cum multa nocte ad lunam videant,aiunt se in lumine lunæ videre:cum tamen illud sit solis lumen,quo etiam nocte vident. Sic ingrati homines in lumine proprio & naturali vera se affirmant inspicere,quæ in lumine communi diuinoque inspiciunt. Quòd si globus ipse solis aut non exoriretur atque occideret,aut à nobis in sua illa figura nequaquam suspiceretur: ita nemo sciret vnde lumẽ hoc mittatur in aërẽ quo cunctavidemus: sicut modo scit nemo vnde lux demittatur in mentem qua cuncta discernimus:quia occultus est deus,vnde illa descendit. Descendit autem ita,vt sit intelligentiæ nostræ principium,medium,atque finis. Principium:quia sicut ipsius oculi visio à lumine externo fit tanquam vniuersali causa,ac etiam à scintilla quadam interiore inde accensa tanquã causa particulari: ita in nobis actus intelligendi ab ampla dei mente pendet,& nostra. Medium verò,quia in ipsa æternas discernimus rationes quę in ęternitate sunt solum. Finis de-

nique,quia ipſam duntaxat cognoſcimus. Nam æterna cu-
A iuſque rei ratio: in ipſa æternitate nihil eſt aliud ſecundum
eſſentiam quàm æternitas.Hic reuelatur diuinum illud Pla
tonis noſtri myſterium,quod in ſeptimo de repub. legitur.
Inquit enim theologũ idoneis demonſtrationis fundamen-
tis &gradibus aſcendere vſque ad principium vniuerſi,tan-
gere ipſum atque tenere, adhærentem ſemper his quæ ad-
hærent principio:quippe qui nullis ſenſibilium rerum cor-
poreis gradibus ad id contendat, ſed ipſis ſpeciebus per ip-
ſas ad ipſas potius innitatur,quouſque ad ſpeciem finem v-
niuerſi perueniat. Breuis horum verborum explanatio erit
B huiuſmodi.Theologus tũ agendo tum diſputando purgat à
corporeis affectibus animam : ſegregat rationem à fallaci-
bus rerum ſenſibilium coniecturis:inuitat mentẽ vt ad ve-
ritatem huiuſmodi ſe gradibus conferat,ſpeciebus id eſt in-
ſitis ab origine formulis, per ſpecies id eſt per formationẽ
quæ nobis prouenit ab ideis.Ad ſpecies id eſt ad ipſas ideas
& rerum naturaliũ ſpecies conſiderandas. Quas ſpecies ad-
hærere inquit deo vniuerſi principio:ipſe enim fons eſt id-
earum : Theologi verò mentem illis adhęrere,id eſt illis ſe
formandam inſinuare:per quam inſinuationem inquit deũ
tangere id eſt diuina mẽte formari.Adiunxit &tenere deũ,
duabus(vt puto)de cauſis. Tũ quia mens vbi ſemel ita cœ-
pit,forte nunquam talis vitæ ſtatum penitus intermittit: tũ
quia poſtquam mente diuina multis ex partibus iam mens
noſtra formata eſt diutius contemplando: incipit vſque a-
deò ſupra hominem ſapere,vt ſe & per deum,& deum,& in
C deo contemplari non neſciat.Vocat autem hic deũ nomini
bus pluribus,principium,finem,ſpeciem.Principium, quia
ab ipſo omnia, & quia ab ipſo exordium ſumit intelligen-
tia.Finem, quia ad ipſum & intelligentia & omnia termi-
nantur:Speciem , tum quia ipſe eſt actus qui res omnes dũ
ab ipſo tanquam principio procedunt,format &facit:atque
eaſdem dũ ad eundem tanquam finem conuertuntur, re-
format & perficit. Tum quia ipſo mens quæque formatur
dum intelligit veritatem.Addidit deo nomen quartum ſci-
licet ipſum bonum,vel bonitatem ipſam.Propriũ boni eſt,
quòd ſe diffundat,quòd res alliciat,quòd perficiat. Deus ſe
diffundit res producendo:allicit conuertendo : perficit for-

mando procedentia, reformando conuersa. Ponit autem ipsum bonum supra mentem, & super essentiam. Super mentem scilicet eã quæ est inuisibilis oculus veritatis capax, auidus bonitatis. Nam deus non capax veritatis dicitur, non cupidus bonitatis, sed est ipsa veritas atque bonitas. Potest autem secundum excellentiorem sensum vocari mens: tum quia diuina veritas sui ipsius non est ignara: tum quia exuberantia quadã diuinæ bonitatis mentes inde effluunt plurimæ. Super essentiam quoque eam locatur deus, quæ est ipsius esse subiectum. Quinetiã locatur super esse illud quod est actus essentiæ. Talis enim actus quia potentiæ passiuæ miscetur, impurus est, & infinitus. Vocatur tamen à Peripateticis esse, quantũ ipse est purus & absolutus actus, per quẽ omnes essentiæ actum essendi suscipiunt. Plotinus autẽ & Proculus ipsum vnum bonumque super ens his rationibus collocant. Vnius bonique ipsius influxus latius sese propagat quàm entis influxus. Materia siquidẽ informisque potentia magis vnius bonique particeps est dicenda, quàm entis. Siquidem esse fit per formã: materia vero est informis: vna tamen materia dicitur, & auida boni. Atque hanc argumentationem à Dionysio Areopagita accepisse videntur. Præterea quemadmodum non idẽ est multitudo atque nihilum: ita non est idem ens ipsum atque vnum. Neque tamen pariter dispositæ sunt ens quidem hinc, & inde vnum: ne duo rerum principia stulte ponantur. Neque rursus ens super vnum: siquidem vnũ particeps fieret entis, neque amplius vnum, sed duo id est vnum simul ensque foret. Sequitur igitur, vt super ens sit vnum. Denique quanto simplicius quiddam significat vnitas quam ens, in quo essentia & esse clauduntur: tanto magis primo rerũ principio cõgruit. Neque segregari permittunt esse alicubi ab essentia: ne prius actus vsque à propria potentia segregetur. Neque mirum cuiquam videri volunt quòd principiũ rerũ nominent vnitatem. Sic enim distinguunt. Aut nominandum est vnitas: aut multitudo: aut ex vtrisque compositum. Sed non cõpositum: ne ab illo dependere cogatur, qui diuersa in vnum conciliauit. Non multitudo vnitatis expers: quia & ipsum omni virtute, & vniuersum omni vnione carere. Rursus in principio omniũ omnis esse debet potentia. Ergo si ipsum

Bb ij

multitudo ipsa sit: quatenus in multitudinem quelibet labe
rentur, eatenus potentiora euaderent. Quoniam vero quate
nus ad vnitatē accedunt, eatenus valentiora sunt, atque con
trà: sequitur vt principium rerum propriè sit vnitas appel-
landum. Denique cum vnione quadam proprie singula fi-
H ant, seruenturque: quis non viderit vnitatem ipsam esse cau-
sam omnia facientem atque seruantem? Item bonum om-
nia simpliciter appetunt: esse verò non simpliciter, sed bene
esse duntaxat. Forte etiam si bene esse omnino nequeant,
esse non appetent: vt probat Olympiodorus: vtpote quę es-
se appetat gratia boni. Bonum igitur cum finis sit vltimus,
nimirum primum omnium est principium. Si super ens e-
I xistit: multo magis super vitam atque mentem. Quando
vero vnum bonumque dicunt, idem semper intelligunt. Si-
cut enim in ordine rerum bene esse in vnione consistit, quo
niā malū dissensione & diuisione coniungit: sic & super or-
dinem vniuersi idem est vnum ipsum atque bonum: cuius
splendor est pulchritudo: quæ nihil est aliud quàm multarū
rationalis ordo formarū in mente, anima, natura, materia,
inde refulgens. Supra quam pulchritudinem esse vnum pro
bant: quia illa composita sit. Rursus super eam esse bonum:
quia omnia, & semper bonum appetunt: pulchritudinē ve-
rò sola quæ cognoscunt eam, & postquam eam nouerint,
Item pulchritudinem gratia boni desideramus, sperantes vi
delicet profuturam. Postremò bonum revera habere volu-
mus: sæpe tamen nobis est factum, si palam pulchritudinē
videamur habere. Beati nimium, quos vniuersi pulchritudo
boni ipsius splendor, in ipsum bonum amore transformat:
præsertim quia dum transformat in bonū, pariter reformat
in vnum: ideoque ipsi bono coniungit in vnum. Siquidem
ipsum vnum bonumque, tanquā idem, & per omnia, & su-
per & ista pariter dilatantur, pariterque ab omnibus etiam
sine cognitione naturali desiderio appetuntur. Neque dif-
ferre inter se tanquam duo quædā æqualiter disposita pos-
sunt: ne duo rerum principia sint. Neque vnum super bonū
esse potest: ne quid melius optabiliusque bono esse dicatur.
L Neque rursus bonum super vnum: ne quod bonum dicitur,
desinat esse bonum. Vnum ergo bonumque sunt penitus
idem, quando æqualiter appetuntur: quemadmodū diuisio

atque malum tanquam idem æqualiter fugiuntur. Beatus, qui bono prorsus vnitur. Vnitur autẽ non intellectuali virtute proprie. Hęc enim cum sit multiplex, atque infra intelligibile collocetur: neque congruit vnitati neque quod intelligibile, id est, ens vniuersum supereminet, attingere potest. Adde quòd cum vnum bonumque instinctu quodam antecedente intelligentiam appetatur: consequens est vt tactu quodam super intelligentiam attingatur: tactu (vt ita loquar) vnifico: per vnitatem videlicet nostram, quæ intelligentiam superat: animamque ipsam ipsi rerum omniũ vnitati bonitatique non imaginaria intelligentiæ copula, sed vera substantiæ ipsius vnione coniungit: vnde non leuis quædam & extrinseca particularisque lætitia sequitur quasi videntis bonum vel audientis, sed vehemens intrinseca vniuersalis voluptas efficitur quasi gustus tactusque intellectu superioris suauitatem ipsam intelligibili superiorẽ gustantis iam penitus atque tangentis. Profectò naturalis sitis liquorem appetit prius quàm sensu sitire nos agnoscamus: ac postquam agnouimus, rursus appetimus. Appetitus qui sensum sequitur, imaginarius est, & à substantia nostra remotior: antecedens vero, substantiæ intimus. Quamobrem cũ liquorem gustu consequimur: non sequentis proprie, sed antecedentis appetitus virtute complectimur: & in substantiã nostram perfecte transferimus. Similiter non tam appetitio quæ mentis actionem sequitur, quàm quæ præcedit tanquã principium motus, motionis fine perfruitur dũ substantialem conficit copulam: ideoque votum sola penitus implet.

Quæstio tertia. Quo pacto deus nobis intelligentiam infundit assidue.
Cap. 4.

SEd hinc iam ad quæstionem tertiã descendamus. Hunc esse Platonis nostri sensum arbitror, quãdo scribit & intellectui scientiam, & intelligibilibus veritatem ab ipso bono infundi: quòd videlicet beneficus ille: & viuificus actus omnium, qui deus est, ambit opera sua semper: ac se inserit vniuersis. Potissimum verò lucens in mentis arcanis, tum eius aciem purgat, acuit, illustrat, accendit assidue: tum formulas insitas menti viuificat: ita vt quotiens curis vacui

animum ad veritatis indaginem applicamus, formulæ illæ deo viuificante viuaciores effectæ, promptius palàm erumpant: ac mentis acies deo irradiante succensa, lucidius ardẽtiusque inspiciat. Vbi ad ipsum intelligendi actum deus se habet tanquam agens primum atque commune: formula tanquam agens proprium atque secundum: simulacrũ tanquam incitamentum: mens tenet materiæ locum. Sed hanc rem exemplo consideremus: vt planius videamus qua ratione actus intelligendi in nos descendit ex deo. Si deus ad creandæ mentis ideam in se vigentem, mentem nostram temperat procreando, & secũ maxime configurat: atque ex lyra in lyram similiter temperatam motus sonusque trãsit: quid mirum est sonante diuina mente intelligendo mentem hominis consonare? Efficit faber aliquis specula mille his factis dispositisque in ordinem sese obiicit. In mille speculis mille fabri resultant imagines. Mouet quandoque faber seipsum hunc in modum, vt oculũ suum ad reliqua membra sua circunspicienda conuertat, & membra pro viribus conuertat ad oculum. Hos motus imagines in speculis imitantur. Ad motum viuentis oculi, oculi imaginarij cuncti mouentur: ad motum membrorũ viuentium, imaginaria mẽbra. Similiter deus animas procreat: deinde his sese obiicit tanquam speculis: per quam obiectionem in singulis imagines fiunt dei. Quæ quidem imagines mentes ipsæ sunt animarum: ita vt mentes tum multæ sint, quia multæ sunt animæ in quibus sunt: tũ vna cunctæ, quia vnus est deus quẽ referunt. Mens autem quæque per vim intelligendi vim dei refert ideas concipiẽtem: per formulas autem refert ideas. Hinc etiam propheticum illud quod suprà tetigimus, aperitur. Signatum est super nos lumen vultus tui domine: & in lumine tuo videbimus lumen. Nempe deus per vim suam fœcundam qua ideas concipit discernendo, vim præstat seruatque menti per quam ideas attingat intelligendo. Iterũ deus per ideas ipsas iam conceptas, & ratione discretas, imprimit & seruat menti formulas idearum. Ad dei motũ id est ad actum dei, continuus fit motus in mentibus. Quónã pacto? Vis quæ in deo est, ideas concipiens, ad ipsas quodãmodo se flectit ideas: ideæ ad eam vim mutuò se reflectunt. Interea concordi quadam temperatione contingit, vt vis in

telligendi in hominis mente, si expedita sit, in deumque erecta, se vertat ad formulas, & formulæ ad vim conuertantur intelligendi. Atque ita mentis actus mirabili consonantia dei actus perpetuò imitantur. Quoniam verò vultus in speculo quando videtur aspicere vultum vnde manat, revera potius aspicitur quàm aspiciat: ideo Paulus apostolus ait: Cũ B deum cognoueritis, immo cogniti sitis à deo. Sic igitur superior animæ nostræ vultus, diuini vultus imitatio à Platonicis nominatur: vsque adeo vt Plotinus Theodorusque Asinius & Iamblichus censuerint illam hominis mentẽ quæ non humana est sed diuina, in mundo intelligibili viuere & operari continue per continuum intuitum idearum. Mouerunt autem Plotinum Theodorumque & Iamblichũ ad hoc duæ potissimũ rationes. Prima Animæ suprema mens quia secundum se intellectualis essentia est, ideo intelligit per essentiam: sicut per essentiam ignis calet, & aquã friget, licet potentia animæ mente inferior per essentiam non intelligat. Itaque sicut ignis semper calet, ita mens semper intelligit. Obiecta verò intelligentiæ sunt species ipsæ rerum æternæ. At intellectus intelligendo non obiectorum simulacris fallacibus hæret, sed vt verè intelligat, ipsis vnitur obiectis. Ergo mens semper est æternis speciebus vnita: quo fit C vt sedulo ædem colat æternitatis. Huc illud Iamblichi tendit: Intellectus nostri esse non est aliud quàm intelligere numina. Putat enim sicut idem actus est quo & sol lunam illuminat, & luna inde illuminatur, respicitque luminis similitudine solem: ita eundem esse actum quo & diuina mens creat illuminatque mentem nostram, & nostra creatur illuminaturque inde, & intuitu illuc quodam naturali conuertitur. Similiter imago in speculo eodem actu vultum respicit, quo à vultu aspicitur. Et sicut aspiciendo fit, ita respiciendo seruatur. Eadem est animæ ad deum similitudo.

Secunda ratio talis. Rationalis anima à mente diuina fit, & iungitur corpori: atque inter mentem & corpus obtinet mediũ. Si solum hæreret menti: vitam corpori non tribueret. Si solum hæreret corpori: intelligeret vtique nihil. Ergo hæret menti simul & corpori: sicut linea quæ centrum tangit simul atque circunferentiam: sicut solis lumen soli coniunctum est simul, diffusumque per aërem. Atqui vt anima

rationalis se habet ad corpus, sic mens ad animã se habet rationalem. Sed vita ipsa corporalis nihil aliud est quàm actus continuus animæ transfusus in corporis huius complexionem, ab anima non recedens. Igitur intellectualis animę vita nihil est aliud quàm intellectus diuini perennis actus annexus animæ, non solutus à deo. Et sicut anima vitæ corporali semina inserit rerum generandarum: ita deus animę cognoscendarum accendit igniculos. Vita corporalis est animæ rationalis simulacrum. Intellectualis animę vita simulacrum est vitæ, mentisque diuinæ. Corporali vitę pręsidet infima pars animæ, quæ est potentia nutriendi. Si hæc infima pars quæ corpori iungitur, agit semper, & ipso suo esse quodãmodo operatur: multo magis suprema potentia, quæ validior est, quia suo fonti hęret propinquior, operatur semper, & per esse suum quodammodo operatur. Agit autẽ circa mentem, vnde effluit proximé. A mente enim solũ mens effluit. Mens autẽ quæ supra nos est, quia purus intellectus est, puro intelligibili pascitur, id est pura fruitur veritate. Eadem nostra mens assidue vescitur, si epulis superioris mentis accumbit. Nec iniuria intelligentiam in anima essentialem perpetuamque locamus: quia ex eo est in anima, quòd conuenit cum perpetuis eius essentiæ causis. Et sicut animæ ingenitus est appetitus boni perpetuus atque essentialis: ita & ipsius veri naturalis essentialisq; intuitus, siue tactus aliquis potius, vt Iamblici verbis vtar. Tactus inquam omni cognitione discursuque prior atque præstantior. Eiusmodi sententiam hac insuper ratione diuinus Iamblicus confirmauit, quòd quemadmodum temporalia contingentiaque per tẽporalem contingentemque cognitionem attingimus, ita oportet necessaria & ęterna per essentialem & perpetuam attingere notionem: quæ non aliter inquisitionem nostram antecedit, quàm status motum. Temporalis verò cognitio ita inquisitionem sequitur, vt contingens effectus motum sequitur ac tempus. Putant autem diuinũ ipsum mentis actum, qui quodam intuitu & quasi tactu diuinorum fit, propter actiones inferiores non intermitti quidẽ in seipso: quãuis quod ad animaduersionem pertinet, in viribus inferioribus intermittatur, atque actus intellectus rationalis, vel rationis intellectualis, qui discursione fiunt, propter operatio-

nes inferiores ſoleant intermitti: atque econuerſo. Verum cur non animaduertimus tam mirabile noſtræ illius diuinę mentis ſpectaculum? Forſitan quia propter continuã ſpectandi conſuetudinem admirari & animaduertere deſeuimus. Aut quia mediæ vires animæ, ratio videlicet & phantaſia, cum ſint vt plurimum ad negocia vitę procliuiores, men A
tis illius opera non clarè perſentiunt: ſicut quando oculus preſens aliquid aſpicit: phantaſia tamen in aliis occupata, quod oculus videat non agnoſcit. Sed quando mediæ vires agunt ocium, defluunt in eas intellectualis ſpeculationis illius ſcintillæ velut in ſpeculum. Vnde & vera ratiocinatio naſcitur ex intelligentia vera: & humana intelligentia ex diuina. Neque mirum eſt aliquid in mente illa fieri quod nequaquã pſentiamus. Nihil enim animaduertimus niſi quod in medias tranſit vires. Ideo licet ſæpe vis concupiſcendi eſuriat atque ſitiat, non prius tamen hoc animaduertimus quàm in phantaſiam tranſeat talis paſſionis intentio. Nónne nutriendi virtus aſſiduè agit? Aſſiduam tamen actionem eius haudquaquam perpendimus. itaque neque perpetuam mentis intelligentiã. Neque ex hoc eſt intelligentia illa debilior, quòd intelligere nequaquã nos agnoſcamus: immo eſt potius vehementior. Sæpe enim dum canimus aut currimus, canere nos aut currere nequaquã excogitamus: atque ex hoc attentius operamur. Animaduerſio enim actionis intentionem diſtrahit animæ, ac minuit actionem. Tyrones B
in qualibet arte opera eius artis ſine attentione non agunt: veterani autem etiam ſi non attendant, habitu quodam & quaſi natura operantur. Quid prohibet talẽ eſſe continuam mentis intelligentiam? Quoniam verò lumen lumini iunctum, ſine confuſione conſpirat in vnum (nã & vbique ſunt ambo, & alterum ſecerni poteſt ab altero) efficitur vt mentes hominum menti diuinæ coniunctæ, vnum quodammodo fiant cum mente diuina, & vnum inuicem: neque tamen inter ſe confundantur: non aliter ac multæ lineæ à circunferentia in centrũ reflexæ per puncta ſua medium circuli tangunt punctum: ibique vnum quodammodo fit lineę cuiuſque punctum cum puncto circuli medio: vnũ quoque quodammodo fiunt puncta inuicem ſingula, & quę non diſcernit ſitus aut tempus, ratio tamen ipſa diſcernit: quẽadmodũ

plurimæ notiones in mente tum inuicem, tum menti absque vlla confusione coniunctæ. Profectò sicut sphæræ minores intra maiorem sphæram, centri sui centrum maioris attingunt: ita mentes quasi minores intelligibilis mundi sphæræ sub bonitate diuina comprehensæ tanquam sphæra
C maiori, sub ipsaque reuolutæ propriè per centra sua, id est, per vnitates suas intellectibus suis præstantiores, vnitati diuinæ tanquam vniuersi centro se copulant. Ac si forte disiũguntur circuli, disiunguntur & centra: vtpote quę vnita fuerant potius quàm confusa. Disiungi verò nunquã vult Plotinus: ne æternæ mentium sphæræ minus vnitæ permaneant cum sphæra ipsarum summa, quàm temporales visibilis mundi sphæræ cũ sphæra maiori. Sed hoc ipse viderit. Nos autem ad institutum ordinem reuertamur: Ex iis omnibus quæ ex Platonis & Plotini fontibus hausimus, concluditur, hominis mentem ad mentem diuinam in ipsa sua intelligẽtia ferme comparari, quemadmodum materia comparatur ad formam. Sanè si mens nostra quotidie formatur diuinæ mentis ideis, perque illas opus proprium agit: quis non videat mentem nostram subire diuinam, ceu materia subit formam: nec aliter se habere ad diuinas formas, quàm materiam primam ad naturales? Vnde non minus immortalis debeat esse quàm illa: præsertim quia quanto mens purior est & simplicior corporibus atque animis, & ob hoc magis est vna: tantò ex duabus illis mentibus vnà congredientibus arctior prouenit copula quàm prouenire soleat aut ex quibuslibet rebus corporalibus vnà mixtis, aut ex animis inuicem concurrentibus, aut ex anima cum corpore coeunte. Auget huius copulæ nodum, quòd deus ipsa vnitas est, & ipsa bonitas. Et cum per vnitatis vim, rerum omnium copula vniatur: per vim quoque bonitatis vbique attractio fiat & propinquatio: nusquam vnio verior prouenit quam vbi mens cum diuinitate conspirat. Item si deus menti ab ipso proximæ, perpetuoque emananti, infinita tum puritatis tenuitate intus illabitur, tum virtutis amplitudine eam penitus implet, parteque mentis quasi iuncturas ipse tanquã neruus connectit intrinsecus inuicem, & ad totam, totamque essentiam ipse velut nodus intimus cum esse deuincit, ideoque interior menti est quàm ipsa sibi: quid mirum est

deum ipſi in ipſius intelligentia vniri tanquam formã, poſtquam in eſſentia & vita iam vnitus eſt pluſquã forma ? Signum illius vnionis hoc eſt præcipuum, quòd per veram intelligentiam intima ſubſtantia rei ſemper inſpicitur, vtpote quę in rei ideam profundius penetrauerit quàm aut viſus in coloris ſpeciem, aut in coloris ſimulacrum phantaſia: cum ſenſus & phantaſia rerum ſuperficies duntaxat attingant. Ideo Mercurius inquit ex diuinitatis & mentis conſpiratione vnum ſpiritum coaleſcere. Et Ioannis theologia docet E
contemplatores diuinæ rationis in vnum cum ipſa ita conſummari, ſicut ipſa vnita eſt deo. Nempe ſi in genere corporalium tanta eſt vnio, vt materia (quę vltimus eorum eſt terminus) vnum quiddam efficiatur non ſolum cũ mediis omnibus, verum etiam cũ ſupremo generis corporalis: quis negabit æqualem ſaltem eſſe in genere intellectualium vnionem, vt mens humana, quanuis vltimus illorum terminus ſit, cum omnibus tamen intellectualibus formis, ac etiam cum ſuprema vnum aliquid fiat? Non fit autem ex animo ac deo tertia quædam natura à tertio aliquo compo- F
nente vtrunque inuicem, & ad tertium actum dirigente vtrunque: ſicuti fit in naturalium rerum compoſitione: ſed quia in animo contemplante deus & primus motor eſt, & formator vltimus, ideo totus actus eſt deus: quo quidem actu & ipſe ſemper eſt deus, & animus fit ſaltem quandoque diuinus. Et ſicut natura per naturalem motum tradit materiæ formarum ordinem: ſic deus per diuinam mortalemque vitam tradit menti perſpicuam formarum poſſeſſionẽ: vt eidem diuina immortaliſque competat vita, cui diuina immortaliumque intelligentia conuenit. Atque vt materia licet ſub inferioribus fluat formis, ſub formis tamen ſublimibus (vt quidam putant) quieſcit ſemper: ita mens hominis quanuis per ſenſibiles imaginariaſque perfluat formas, poteſt tamen ſub diuinis quãdoque in æternum quieſcere: quod etiam modo facit, vt vult Plotinus, & Iamblichus, &
Theodorus: vt quẽadmodũ materiã perficit ſemper quanti- G
tatis interminata dimenſio, ſic mẽtem diuinæ amplitudinis virtus immenſa per huius vim in huius luce ad huius finem mens cõtinue æternis formatur ideis. Et quia per cõgruẽtiã formatio omnis efficitur, nõ poteſt ſubiectũ hoc eſſe mor-

tale,quod formis continuè formatur æternis.Si incorruptibilis est materia prima,in quam formæ quædam penetrant sempiternæ, quanuis ipsa non penetret in illas: nónne immortalis quoque mens erit quæ non modo penetratur ab illis,sed & penetrat cognoscendo,& reflectitur in eas agnoA scendo?Præterea vbi prima mens est,ibi vita prima:quoniã mens est reflexio vitæ in esse suum.Vbi vita prima,ibi & esse primum: quoniam vita est primus & intimus ipsius esse motus.Profecto deus prout per se exiſtit,& vere id quod exiſtit perpetuo permanet:primum apud multos esse vocatur. Prout non torpet ocio, sed operatur assidue secum: vita dicitur. Prout actus est talis,qui non effluit extra: sed refluit B in seipsum,mens appellatur.Nam ea reflexione seipsum animaduertit.Quoniam verò quod est in genere aliquo summum,nihil contrarij generis aut immixtum habet,aut proximum:fit vt neque prima mens vel in se vel iuxta seipsam demẽs aliquid patiatur:neque prima vita mortale quicquã: neque primum esse aliquid in nihilum ruiturum:neque prima vnitas aliquid dissolubile:neque prima bonitas aliquid morbo subiectũ.Quare mens quæ menti iungitur primæ, sicut in ea coniunctione nihil reseruat dementiæ:sic mortale'nihil admittit aut perdibile,aut dissolubile,morbóve subiectum: quia per mentem primam primæ quoque vitę copulatur,& esse primo, similique vnitati & bonitati. Quid mirum si intellectualis vita propter congressum cum prima vita,immortalis permaneat:cum cæleſtia corpora(vt volũt Platonici)per se quidem dissolubilia sint,quia & mobilia & composita siue ex naturis pluribus siue partibus: ex eo taC men indissoluta perdurent,quòd nullo alio corpore interiecto immortali animæ copulantur.quę verò per aliud medium,dissoluuntur:qualia sunt corpora ex pluribus elementis composita,quę immortalem animam(vt Magi tradũt) per corpus cęleste suscipiunt.

Confirmatio superioris rationis prima per visum.
Cap. 5.

D ANimas hominum de corporibus in corpora transmigrare,& præcedentis vitæ artes in sequentibus recor-

dari, Plato non suo sensu tractauit, sed ex quorundam Aegyptiorum opinione recensuit: quorum opinionem Augustinus Aurelius reprobauit. Quod autem anima hominis ab ipso suo formatore formis rerum insignita descendat, atque his formis non sufficienter rerum substantias comprehendat, sed per eas tanquam præparationes ideis reformata cõ prehendere valeat: hoc inquam & Plato ex mente propria sæpe affirmasse videtur, & Augustinus summopere compro basse. Ergo per Augustini vestigia gradientes, ad superioris sententiæ confirmationem iterum contendamus. Procedamus autem triplici calle: visu: auditu: & ratione. Visu primo, hunc in modum. Anima qua viuunt corpora, omnibus cor- E poribus potior est: quia vitã dat corporibus. Hac profecto: quæ sensum habet, excellentior est. At verò in animo huma no quiddam præstantius est: non dico quo sentit sensibilia, sed quo de sensibilibus iudicat. Iam verò illud videre facile est, præstantiorem esse rem iudicantem illa de qua iudicatur, neque iudicat. Non solum autem rationalis vita de sensibilibus, sed de ipsis quoque sensibus iudicat, vt cur in aqua F remum fractum oporteat apparere, cum rectus sit: & cur ita per oculos sentiri necesse sit. Nam ipse aspectus oculorũ renunciare id potest: iudicare autem nullo modo. Igitur rationalis vita sensuali præstat. Itaque si ratio secundum seipsam iudicat: iam nulla est natura præstantior. Sed quia clarum est eam esse mutabilem, quando nunc imperita, nunc perita inuenitur: tanto autem melius iudicat, quanto est peritior: & tanto peritior, quanto alicuius artis vel disciplinæ vel sapientiæ est particeps: ipsius artis natura quærenda est. Neque nunc artem intelligi volo, quæ notatur experiendo: G sed quæ ratiocinando indagatur. Sed certe quærendum est, cur nos offendat si duabus fenestris non supra inuicem, sed iuxta inuicem locatis, vna earum maior, altera minor sit, cũ æquales esse potuerint: si verò super inuicem fuerint, ambęque dimidio quanuis impares, non ita offendat illa inęqualitas: & cur non multum curemus quanto sit vna earũ aut maior aut minor, quia duæ sunt. in tribus autem sensus ipse videtur expetere vt impares non sint: aut inter maximã & minimam ita sit media, vt tanto præcedat minorẽ, quanto à maiore præceditur. Ita enim primò quasi natura ipsa

consulitur quid probet. Vbi potissimum notandũ est, quem admodum quod solum inspectum minus displicuit, in me-
H lioris comparatione respuatur. Ita reperitur nihil esse aliud artem vulgarem, nisi rerum expertarum placitarumque memoriam, vsu quodam corporis atque operationis adiuncto: quo si careas, iudicare quidem de operibus possis, quod multo est excellentius: quanuis operari artificiosa non possis.
Sed cum in omnibus artibus conuenientia placeat, qua vna seruata pulchra sunt omnia, ipsa verò conuenientia æqualitatem vnitatemque appetat vel similitudine parium partium, vel gradatione disparium: quis est qui summam æqualitatem vel similitudinem in corporibus inueniat, audeatque dicere, cum diligenter considerauerit, quodlibet corpus vere ac simpliciter vnum esse: cum omnia vel de specie in speciem, vel de loco in locum transeundo mutentur: &
I partibus constent sua loca obtinentibus, per quę in spatia diuersa diuidũtur? Porrò ipsa vera: æqualitas ac similitudo, atque ipsa vera & prima vnitas, nullo sensu sed mente intellecta conspicitur. Vnde enim qualiscunque appeteretur in corporibus æqualitas, aut vnde conuinceretur longe plurimum differre à perfecta, nisi ea quę perfecta est mente videretur? Et cum omnia quæ sensibiliter pulchra sunt, siue natura edita, siue artibus elaborata, locis & temporibus pulchra sint, vt corpus, & corporis motus: illa æqualitas & vnitas mẽti tantummodo cognita, secundum quam de corporea pulchritudine sensu internuncio iudicatur, nec loco tumida est, nec instabilis tempore: Non enim recte dici potest secundum eam iudicari rotundum templum, & non secundum ea rotundum vasculum, aut rotundum denarium. Similiter in temporibus atque in motibus corporum ridiculè dicitur secundum eam iudicari ęquales annos, & non secundum eam æquales menses. Sed siue per hæc spatia, siue per horas, siue per breuiora momenta conuenienter moueatur aliquid: eadem vna & incommutabili æqualitate iudicatur. Quòd si minora & maiora spatia figurarum atque motionum per eandem legem parilitatis vel similitudinis vel congruentiæ iudicantur, ipsa lex maior est iis omnibus, sed potentia: cęterum spatio aut loci aut temporis, nec maior, nec minor. Quòd si maior esset, non secundum totam iudica-

remus minora: si autem minor esset, non secundum eam iu dicaremus maiora. Nunc verò cum per totam quadraturæ legem iudicetur & forum quadratum, & lapis quadratus: rursus si per totam æqualitatis legem iudicentur conuenire sibi motus pedum currentis formicę: & per eam gradientis elephantis: quis eam dubitet locorum interuallis ac tempo rum nec maiorem esse nec minorem: cum potentia superet omnia. Hæc autem lex omnium artium cum sit omnino incõmutabilis, mens verò humana cui talem legem videre concessum est, mutabilitatem pati possit erroris: satis apparet supra mentem nostram esse legem, quæ veritas dicitur. Nec iam illud ambigendum est, incommutabilẽ naturam quæ supra rationalem animam sit, deum esse: & ibi esse primam vitam & primam essentiam, vbi est prima sapientia. Nam hæc est illa incommutabilis veritas, quæ lex K omnium artium rectè dicitur, & ars omnipotentis artificis. Itaque cum se anima sentiat nec corporum speciem motumque iudicare secũdum seipsam: simul oportet agnoscat præstare suam naturam ei naturæ de qua iudicat: præstare autem sibi eam naturam secundum quam iudicat, & de qua iudicare nullo modo potest. Possum enim dicere quare similia sibi ex vtraque parte respondere membra cuiusque corporis debeant: quia summa æqualitate delector: quã non oculis sed mente contueor. Quapropter tanto meliora esse iudico quæ oculis cerno: quanto pro sua natura viciniora sunt iis quę animo intelligo. Quare autem illa ita sint, nullus potest dicere: nec ita esse debere quisquam sobrie dixerit: quasi possint esse non ita. Quare autem nobis placeant, & cur ea quando melius sapimus, vehementissime diligamus: nec id quisquam quidem, si ea rite intelligit, dicere audebit. Vt enim nos & omnes animæ rationales secundum veritatem de inferioribus recte iudicamus: sic de nobis quando eidem cohæremus, sola ipsa veritas iudicat: de ipsa verò nec iudicat pater.

Nec enim minus est quàm ipse. Et ideo quæ pater iudicat, per ipsam iudicat. Omnia enim quę appetunt vnitatem, hanc habent regulam, vel formam, vel exemplum: quoniam eius similitudinem sola, à quo esse accepit, impleuit.

Mens omnia iudicat: quia super omnia est, quando cum

deo est. Cum illo est autem, quando purissime intelligit: & tota charitate quod intelligit, diligit. Ita etiam quantum potest lex ipsa, & ipsa sit per quam iudicat omnia: & de qua iudicare nullus potest. Sicut in istis temporalibus legibus, quanquam de his homines iudicant quando eas instituA unt: tamen cum fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed per ipsas. Conditor tamē legum temporalium si vir bonus est: & sapiens, illam ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ iudicare datum est: vt per eius incommutabiles regulas, quid sit pro tempore iubendum, vetandumque, discernat. Aeternam igitur legem mundis animis fas est agnoscere: iudicare fas non est. Sanè secundum ipsam de animo & corpore iudicare possumus, hic minus actus, aut minus vehemens est quàm debuit: hoc minus candidum est quàm debuit. De ipsa verò lege nullo modo quis iudicat. Cum enim quis dixerit æterna temporalibus esse potiora, aut septem & tria esse decē: nemo dicit ita esse debuisse, sed tantum ita est, agnoscens: non vt examinator corrigit, sed tanquam inueniēs delectatur. Sed multis finis est humana delectatio: nec volunt tendere ad superiora: vt iudicent cur ista sensibilia placeant. Itaque si quæram ab artifice, vno arcu constructo, cur alterum parem contra in alteram partem moliatur: respondebit, credo: Vt paria paribus ædificij membra respondeant. Porro si pergam quęrere, idipsum cur eligat: dicet hoc decere: hoc esse pulchrum: hoc delectare cernentes nihil audebit amplius. Inclinatus enim recumbit oculis: & vnde pendeat, non intelligit. At ego virum intrinsecus oculatum, & indiuisibiliter videntem non desinam commonere cur ista placeant, vt iudex esse audeat ipsius delectationis humanæ. Ita enim superfertur illi, nec ab ea tenetur: dum non secundum ipsam, sed ipsam iudicat. Et prius quæram, vtrum ideo pulchra sint, quia delectant: an ideo delectant, quia pulchra sint. Hic mihi fine dubitatione respondebitur: ideo delectare, quia pulchra sint. Quæram ergo deinceps, quare sint pulchra: Et si titubabit, subiiciam. Vtrū ideo, quia similes sibi partes sunt, & aliqua copulatione ad vnam conuenientiam rediguntur? Quod cū ita esse compererit, interrogabo: Vtrum hanc ipsam vnitatem quā cōuincuntur appetere, summe impleant: aut longe infrà

infrà iaceant:& eam quodammodo mentiantur. Quod si ita est nam quis non admonitus videat, neque vllam speciem neque vllum omnino esse corpus, quod non habeat vnitatis qualecunque vestigium? Neque quantũuis pulcherrimum corpus,cum interuallis locorum necessario aliud alibi habeat,posse assequi eam quam sequitur vnitatem:flagitabo vt respondeat ipse vbi videat vnitatem hanc,aut vnde videat. Quam si non videret,vnde cognosceret & quid imitaretur corporũ species,& quid implere non posset? Nũc verò cum dicitur corporibus: Vos quidem nisi aliqua vnitas contineret,nihil essetis. Sed rursus si vos essetis ipsa vnitas,corpora non essetis:recte dicitur. Vnde igitur nosti istã vnitatem,secundum quam iudicas corpora? Quam nisi videres,iudicare non posses quòd eam non impleant. Si autem iis corporeis oculis eã videres,non vere diceres, quanquam eius vestigio teneantur,longe tamen ab ea distare. Nam iis oculis non nisi corporalia vides:Mente igitur videmus eam. Sed vbi videmus? Si hoc loco esset vbi corpus nostrum est,non eam videret qui hoc modo in oriente de corporibus iudicat. Non ergo isto continetur loco. Et cum adest vbique,iudicanti nusquam est per spatia locorum & per potentiam nusquam non est. Cum anima multis illusionibus phantasmatum hinc inde perturbantium concitatur,& tamen falsa hæc esse agnoscit: vbi est verum quod mente conspicitur? Illa lux vera est, qua hæc omnia non esse vera cognoscis:per hanc illud vnum vides,quo iudicas vnum esse quicquid aliud vides:nec tamen hoc esse quod illud est quic quid vides mutabile. Præterea quære in corporis voluptate quid te delectat:nihil aliud inuenies quàm conuenientiam. Nam si resistentia vel discrepantia pariunt dolorem,conuenientia pariunt voluptatem. Agnosce igitur quæ sit summa conuenientia. Noli foras ire. In te ipsum redi. In interiore homine habitat veritas. Et si tuam naturam mutabilẽ inueneris,transcende te ipsum. Sed memento cum te transcenderis,ratiocinantem animã te transcendere. Illuc ergo tende,vnde ipsum lumen rationis accenditur. Quò enim peruenit omnis bonus ratiocinator, nisi ad veritatem: cum ad seipsa veritas non vtique ratiocinando perueniat: sed quod ratiocinantes appetunt,ipsa sit? Et cum disputando ambo vi

demus verum esse quod dicis,& ambo videmus verum esse quod dico:vbi quæso hoc videmus?Hoc vtique nec ego in te,nec tu in me:sed ambo in ipsa quæ super mentes nostras est incommutabili veritate videmus. Ibi sane formam ipsam secundum quam hæc temporalia facta sunt,visu mentis aspicimus:atque inde conceptam rerum veritatem & notitiam tanquam verbum apud nos habemus.Vide ibi conuenientiam qua superior esse non possit:& ipse conueni cũ ea.Confitere te non esse quod ipsa est.Siquidem se ipsa non quærit. Tu autem quærendo ad eam venisti, non locorum spatio sed mentis affectu : vt interior homo cum suo inhabitatore spiritali voluptate cõueniat.Aut si non cernis quę dico,& an vera sint dubitas:cerne saltem vtrum de iis te dubitare non dubites.Et si certum est te esse dubitantem,quære vnde sit certum . A lumine quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:quod iis oculis videri non potest,nec illis quibus phantasmata cogitantur : sed illis quibus ipsis phantasmatibus dicitur:Nõ estis vos quod ego quæro:neque illud estis.Vnde ego vos ordino.Et quod mihi inter vos fœdum occurrerit improbo : quod pulchrũ, approbo:cum pulchrius sit illud vnde improbo& approbo, quare hoc ipsum magis approbo:& non solum vobis,sed illis omnibus corporibus vnde vos hausi, antepono. Vbi videntur hæc, ibi est lumen sine spatio locorum & temporũ: & sine vllo spatiorum talium phantasmate.Nunquid ista ex aliqua parte corrumpi possunt,etiam si omnis ratiocinator intereat?Non enim ratiocinatio talia facit,sed inuenit:ergo antequam inueniãtur,in se manent: & cũ inueniuntur, nos innouant.Ita renascitur interior homo,& exterior corrumpitur de die in diem.Inter mentem nostram , qua illum intelligimus patrem & veritatem, id est,lucem interiorẽ per quam illũ intelligimus,nulla interposita creatura est. Quare ipsam quoque veritatem nulla ex parte dissimilem in ipso & cum ipso veneremur: quæ forma est omnium quæ ab vno facta sunt:& ad vnum nituntur.Vnde apparet per hanc formam facta esse omnia : quę sola implet quod appetunt omnia.

D

Secunda confirmatio per auditum secundum Augustinum.
Cap. 6.

HActenus per ea quæ aſpectu percipiuntur, duce Auguſtino cò peruenimus, vt inueniremus mentem noſtrã diuina mente formari. Deinceps duce eodem, per ea E
quæ audiuntur, ad idẽ proficiſcamur. In ſonis concinnis eſt aliquis numerus: hinc & in actu ſentiendi certus ſit numerus: quia numeroſus ſonus numeroſe ſentitur. Eſt & numerus aliquis in ipſa ſenſus natura. Non enim aliter aut mulceretur ſonorum concinnitate, aut abſurditate offenderetur. Idipſum ergo quicquid eſt quo aut annuimus, aut abhorremus, non ratione, ſed natura: cum aliquid ſonet, ipſius ſenſus numerum voco. Non enim tunc fit in auribus meis cũ ſonũ audio, hæc vis approbandi & improbandi. Aures quippe nõn aliter bonis ſonis quàm malis patent. Vide potius ne iſta duo ſint minime confundanda. Nam ſi verſus quilibet modo correptius, modo productius pronuncietur, ſpacium temporis non idem teneat neceſſe eſt: quanuis eadem pedum ratione ſeruata. Vt ergo ipſo ſuo genere aures mulceat, illa vis facit qua concinna adſciſcimus, & abſurda reſpuimus. Vt autem breuiore tempore ſentiatur cum celerius quàm cum tardius promitur, non intereſt aliquid niſi quan diu aures tangantur ſono. Affectio ergo hæc aurium, cum tanguntur ſono, nullo modo talis eſt ac ſi non tangantur. Vt autem differt audire ab eo quod eſt non audire: ita differt hanc vocem audire, ab eo quod eſt alteram audire. Hęc igitur affectio nec vltra porrigitur, nec infra cohibetur, quã eſt menſura eius ſoni qui eam facit. Altera eſt ergo in iambo, altera in tribrachо: productior in productiore iambo, correptior in correptiore: nulla in ſilentio. Quod ſi in numeroſa voce fit, etiam ipſa numeroſa ſit neceſſe eſt: neque eſſe poſſit cum abeſt effector eius ſonus. Similis eſt enim veſtigio in aqua impreſſo, quod neq; antè formatur quàm corpus impreſſeris: neque remanet cum detraxeris. Naturalis autem illa vis & iudiciaria quæ auribus adeſt, non deſinit eſſe in ſilentio: nec nobis eam ſonus inſerit: ſed ab ea potius A
ſonus probandus ſiue improbandus excipitur. Quis negauerit in anima eſſe vim numerorũ, cũ anima hos numeros agat quos in venarum pulſu inuenimus & reciproco ſpiritu? Cum aliquando correptius ſiue productius, dum ſeruiam temporum legi, qua ſimplo ad duplum pedes conueni-

unt, versum pronuncio, nulla fraude iudicium tui sensus offendo. Atqui sonus ille qui correptioribus & quasi fugacioribus syllabis editur: nō potest plus tēporis occupare quàm sonat. Iudiciales autem illi numeri si vinculo tēporis in tanto spacio tenerentur, quanto isti sonantes digesti sunt: non possent ad eorum sonantium qui paulo productius eadem iambica lege funduntur, aspirare iudicium. Hos igitur mora temporum qui iudicando præsident, illa non tenet. Sed si nulla tenerentur, quantolibet productius cōpetentibus interuallis & inuicem respondentibus iambico proferrem sonos: nihilominus ad iudicandum adhiberentur. Nunc vero si ederem vnam syllabā quanta mora peraguntur (ne multum dicam) tres passus incedentis, & aliam duplo: atque ita deinceps tam lōgos iambos ordinarem simpli & dupli: lex illa nihilominus seruaretur: nec tamen naturale illud iudicium iis dimensionibus approbandis adhibere possemus. Tenentur ergo & ij iudiciales nonnullis finibus temporalium spaciorū, quos iudicando excedere nequeunt: & quicquid excedit hæc spacia, non assequuntur vt iudicent. Temperant tamen isti singulas actiones. Quod enim nos vel ambulantes ab imparibus passibus, vel percutientes ab imparibus interuallis plagarum, vel edentes ab imparibus molarum motibus, scalpentes denique ab imparibus vnguiū ductibus: & quod nos in qualibet attentione agendi aliquid per corporis membra ab imparibus motibus refrænat & cohibet: & quandam parilitatem tacitę imperat: idipsum est iudiciale nescio quid: quod facit vt homines sensum ac delectum habeant pulchritudinis & decoris magis quàm bestię q̄ ad quęlibet sua incitamenta sedandę passionis corporalis causa præcipitantur, non pulchritudinis gratia auiditateq̄ue alliciuntur. Vnde equi non formosiorem deligunt equam quam ament, sed ad quālibet æquali furore trahuntur. Iudiciale autem illud conditorem animalis insinuat deum: quē certe decet credere auctorē omnis conuenientiæ atque concordiæ. Præterea numeri & qui in sono sunt, & qui fiunt in sentiendo: inquam tum eorum interualla potest memoria, custodire, intantum iis iudicialibus iudicandi offeruntur atque iudicantur. Numerus nanque iste qui interuallis tēporū cōstat, nisi adiuuemur, in eo memoria iudicari à nobis nul-

lo modo poteſt. Cuiuſlibet enim breuis ſyllabę, cum & incipiat & deſinat, alio tempore initium eſt, & alio finis ſonat. In audienda itaque vel breuiſſima ſyllaba niſi memoria nos adiuuet, vt eo momento quo iam non initium ſed finis ſyllabæ ſonat, maneat ille motus in animo qui factus eſt cum initiũ ipſum ſonuit: nihil nos audiſſe poſſumus dicere. Hinc eſt illud, quòd plerunque alia cogitatione occupati loquentes nihil nobis videmur audiſſe. Quapropter iudiciales illi numeri, qui numeros interuallis temporum ſitos iudicare non poſſunt, niſi quos eis tanquam miniſtra memoria obtulerit: nónne ipſi exiſtimandi ſunt per certum ſpatium tẽporis tendi? Licet enim in iis ſpatia temporum minime videamus, non tamen adhibentur niſi ad ea iudicanda quæ in ſpatiis temporũ fiunt: nec ipſa quidem omnia, ſed quæ poſſunt articulari memoriter. Cũ verſus ille canitur, Deus creator omnium: numeros ipſius verſus per numeros ſentiendi audimus: & per iudiciales numeros delectamur: & neſcio quibus aliis exiſtimamus de iſta delectatione, quæ quaſi ſententia eſt iudicialium iſtorum: cum per alios ſuper his latentiorem ſed certe verioręm ferre poſſimus ſententiã. Aliud eſt enim delectari ſenſu, aliud exiſtimare ratione. Aliud B quippe eſt annuere vel renuere motibus numeroſis: quod fit in delectatione conuenientiæ, & offenſione abſurditatis talium motio: & aliud eſt exiſtimare vtrũ rectè an ſecus iſta delectent: quod fit ratiocinando. Ac ſi rectè nobis viſum eſt niſi quibuſdam numeris eſſet ipſe delectationis ſenſus imbutus, nullo modo eum potuiſſe annuere paribus interuallis: & perturbata reſpuere rectè etiã videri poteſt ratio quæ huic delectationi ſuperimponitur, nullo modo ſine quibuſdam numeris viuacioribus de numeris quos infra ſe habet, poſſe iudicare. Iam nunc, ſi placet, illi qui nobis ſurrexerant ad principatum obtinendum, ſenſuales nominentur: & iudicialium nomen, quoniam eſt honoratius, ij accipiant, qui excellentiores comperti ſunt. Age nunc accipe vim potentiamque rationis quantum ex operibus eius aſpicere poſſumus. Ipſa enim (vt id potiſſimum dicam, quod ad huius operis ſuſceptionem attinet) primò quid ſit ipſa bona modulatio conſiderauit: & eam in quodã motu libero, & ad ſuæ pulchritudinis finem conuerſo eſſe perſpexit: deinde vidit

in motibus corporum aliud esse quod breuitate & productione temporis variaretur, inquantum magis esset minúsve diuturnum: aliud localium spatiorum percussione in quibusdam gradibus celeritatis & tarditatis. Qua diuisione facta, id quod in temporis mora esset, modesto interuallo, & humano sensui accommodato articulatum, varios efficere numeros: eorumque genera & ordinem vsque ad modulos versuum persecuta est. Postremò attendit quid in his moderandis, operandis, sentiendis, retinendis ageret anima, cuius caput ipsa esset: hosque omnes animales numeros à corporalibus separauit: seque ipsam hæc omnia neque animaduertere neque distinguere neque certe numerare sine quibusdam suis numeris potuisse cognouit: eosque cæteris inferioris ordinis iudiciaria quadam æstimatione præposuit: & nunc cum ipsa sua delectatione qua temporum momenta perpendit, & talibus numeris modificandis nutus suos exhibet, sic agit. Quid est quod in sensibili numerositate
C diligimus? Num aliquid præter parilitatem quandam, & æqualiter dimensa interualla? An ille pyrrichius pes, siue spondeus, siue anapæstus, siue dactylus, siue proceleusmaticus, siue dispondeus nos aliter delectaret, nisi partem suam parti alteri æquali diuisione conferret? Quid verò iambus, tribrachus, trochæus, pulchritudinis habent, nisi quòd minore sua parte maiorem suam in tantas duas æqualiter diuidant? Iã porro sex temporum pedes, num aliunde blandius sonant atque festiuius? nisi quòd vtraq; lege partiuntur, scilicet aut in duas æquales partes terna tempora possidentes, aut in vnam simplam ex qualibet parte, & alteram duplam, id est, vt maior habeat bis minorem: & eo modo ab illa diuidatur æqualiter duobus temporibus quatuor tempora in bina dimetiente atque secante? Et in reliquis omnibus simili ratione. Atque vsque adeo delectamur æqualitate, vt eã non modò in vocum interuallis, sed etiam in silentiorũ spatiis exigamus. Quærit ergo ratio & carnalem animæ delectationem quæ iudiciales partes sibi vendicabat, interrogat, cum eam in spatiorum temporaliũ numeris æqualitas mulceat: vtrum duæ syllabæ breues quascunque audierit, verè sint æquales: an fieri possit, vt vna earum edatur productius, non vsque ad longæ syllabæ modum, sed infra quantũlibet, quo

tamen excedat sociam suam. Nũ negari potest fieri posse vt hæc delectatio ista non sentiat, & inęqualibus velut ęqualibus gaudeat? Quo errore & inæqualitate quid turpius? Ex quo admonemur ab his auertere gaudium quę imitantur ęqualitatem, & vtrum impleant, comprehendere non possumus: immo quòd non impleant, fortasse comprehendimus: & tamen inquantum imitantur, pulchra esse in suo genere & ordine suo negare non possumus. Aequalitatẽ illam quã in sensibilibus numeris non reperiebamus certã & manentem, sed tamen adumbratam & prætereuntem agnoscebamus: nusquam profecto appeteret animus, nisi alicubi nota esset. Hæc autem alicubi, non in spatiis locorum & temporum: nam illa tument, & illa prętereunt: non in corporis formis, quas æquales nunquam dicere possumus: aut in temporum interuallis: in quibus similiter vtrum aliquid aliquanto quàm oporteat productius vel correptius transeat, quod sensum fugiat, ignoramus. Illam quippe æqualitatem quæro vbi esse arbitreris, quam intuentes, cupimus æqualia esse quædam corpora, vel corporũ motus: & diligentius considerantes, eis fidere nõ audemus? Ibi puto, vbi regnat quod est corporibus excellentius. Sed vtrum in ipsa anima, an etiam supra animam, quæramus. Artem istam rhythmam vel metricam qua vtuntur qui versus faciunt, putamus habere aliquos numeros, secundum quos fabricant versus. Quicunque isti sunt numeri, non prætereunt cum versibus, sed manent. Consentiendum est ergo ab aliquibus manentibus numeris prætereuntes aliquos fabricari: & hanc artem non aliud putamus quàm affectionem quandam animi artificis. Quid si omnia quæ ad numeros pertinent, ille interrogetur qui nunquam didicit: nónne censes hanc artẽ posse cognoscere? Non transibunt ij numeri ab eo qui docebit, in eum qui discet: sed discens intrinsecus apud mentẽ suam mouebit se ad aliquid vnde menti eius imprimantur hi numeri, & illam faciant affectionẽ, quæ ars dicitur: & ea quæ interrogabitur, vera esse intelliget atque respondebit. Quoniam verò hi numeri de quibus ita quęritur, incõmutabiles sunt, ideo sunt æterni: neque vlla in eis est inæqualitas. Vnde verò credendum est animæ tribui quod æternum est & incõmutabile, nisi ab vno æterno & incommutabili deo? Ergo

qui discit alio interrogante, sese intus ad deum mouet, vt incommutabile verum intelligat.

Tertia confirmatio per mentem secundum Augustinum. Cap. 7.

A SAtis per visus indicia primum, deinde per auditus admonitiones propositum nostrũ inuestigauimus. Nunc indagemus per indicia rationis. Aliter vnusquisque homo loquendo enunciat mentem suam, quid in seipso agatur attendens: aliter autẽ humanã mentem speciali aut generali cognitione definit. Itaque cum mihi de sua propria loquitur, vtrum intelligat hoc aut illud, an non intelligat: & vtrũ velit an nolit hoc, aut illud: credo. Cum verò de humana specialiter aut generaliter verũ dicit, agnosco & approbo. Vnde manifestum est aliud vnũquenque videre in se, quod sibi alius dicenti credit, non tamen videt: aliud autem in ipsa veritate, quod alius quoque possit intueri: quorum alterũ mutatur per tempora, alterum incommutabili subsistit æternitate. Neque enim oculis corporeis multas mentes videndo per similitudinem colligimus generalem vel specialẽ mentis humanæ notitiã: sed intuemur inuiolabilem veritatẽ, ex qua perfecte (quantũ possumus) definiamus non qualis sit vniuscuiusque hominis mens, sed qualis esse sempiternis rationibus debeat. Præterea cum impij cogitant æternitatem, & multa recte reprehendunt rectéque laudant in hominum moribus, quibus ea tandem regulis iudicant nisi in quibus vident quemadmodũ quisque viuere debeat, etiã si nec ipsi eodẽ modo viuant? Vbi eas vident? Neque enim in sua natura, cum proculdubio mente ista videantur: eorũque mentes constet esse mutabiles, has verò regulas immutabiles videat quisquis in eis: & hoc videre potuerit neque in habitu suæ mentis, cum illæ regulæ sint iustitiæ, mentes vero eorum esse constet iniustas. Vbi nam sunt istæ regulæ scriptę? Vbi quid sit iustum, etiam iniustus agnoscit: vbi cernit habendũ esse quod ipse non habet. Vbi ergo scriptæ sunt, nisi in libro lucis illius quæ veritas dicitur: vnde omnis lex iusta describitur: & in cor hominis qui operatur iustitiã, non migrando sed tanquam imprimendo transfertur: sicut imago

ex anulo & in ceram transit,& anulum non relinquit. Qui verò non operatur,& tamen videt quid operandum sit ipse est qui ab illa luce auertitur,à qua tamen tangitur. Qui autem nec videt quemadmodum sit viuendum, excusabilius quidem peccat: quia non est transgressor legis incognitæ. Sed etiam ipse splendore aliquotiens vbique præsentis veritatis attingitur,quando admonitus confitetur. Denique superior hæc Aureliana discursio quatuor finibus terminatur:quòd videlicet mens ad summa nõ surgit,nisi eius quod est summũ trahatur instinctu:quòd æternis rationibus non vteretur pro arbitrio iudicando, nisi æternitati se posset æquare: quòd immutabilia ratione immutabili non apprehenderet, nisi regulam ipsam immutabilitatis attingeret: quòd animi multi eandem non caperent veritatem,nisi aut vnus esset in multis intellectus humanus,quod fieri nequit: aut saltem multi intellectus humani in eundem se fontẽ veritatis immergerent: quasi tunc optime aliqui ordinẽ artificij sint cognituri, quando rationem ipsam vnam per quã artifex opus construxerat,penetrauerint. Hęc autem Augustini sententia duobus modis potissimum confirmatur:primò per cõmunem virtutem argumentandi: deinde per cõmunes notiones veritatis,bonitatis,& esse. Omnis intellectus apprehendit necessariam consequentiã in rebus & contingentibus & non existentibus. Hæc enim consequentia est necessaria:Si Plato currit,Plato mouetur:licet Plato, & cursus,& motus eius,contingentia sint. Quinetiam hæc est necessaria.Plato olim dum disserebat,loquebatur: licet neque Plato,neque disputatio sua,neque sermo sint in præsentia. Talium itaque consequentiarũ necessitas immutabilis in rebus illis temporalibus non fundatur,quæ vel non sunt vllo modo,vel sunt contingentes: neque in solis cogitationibus animæ:alioqui nõ esset vera necessitas,sed figmentũ: imò neque immutabilis esset,cum cogitatio nostra sit mobilis. Fundatur igitur in æterna & necessaria rerũ serie,quã diuina mens omnium ordinatrix intra se continet:vbi mutuam rebus habitudinẽ tribuit. Quapropter omne veræ ratiocinationis lumen à prima veritate accẽditur,& in eandẽ reflectitur,postquã omnis consequentiæ necessitas in summa totius naturæ necessitate fundatur. Docent hoc cõmu-

nes quoque veritatis bonitatisque ipsius intelligentiæ, quas in superioribus probauimus inesse mentibus omniũ, ex eo verò & vera & bona assidue cõparant. Quod si veritas ipsa & bonitas deus est, sequitur vt deus totiens mentibus hominũ illucescat, quotiens per deum tanquam normam vera & bona diiudicamus. Docet idem etiã ipsius notio omnibus insita. Nã omnes homines iudicant illud quidẽ nullo modo esse, istud verò esse, sed imperfecto modo: hoc esse modo perfectiori. Talis autẽ in essendo gradatio neque fit neque cognoscitur nisi per accessum ad esse summũ (qui deus est) atque inde recessum. Accessum verò ad ipsum, & recessum
A ab ipso, videre non potest nisi qui ipsum videt. Vident autẽ ipsum viri peritiores alio insuper pacto: quãdo videlicet omnia rerũ genera subalterna ad generalissima, & illa vsque ad ipsum quod dicitur ens simplex absolutũque, resoluunt. Tale ens aut figmentũ falsum est: aut est deus. Non potest autẽ ens ipsum falso esse: si modò aliquid in rebus est vere. Si cõparatio illa de rerũ gradibus atque hæc resolutio non fit nisi per ipsam summi & absoluti esse virtutẽ: vtique fit per deũ: quo formatus intellectus & cõparat & resoluit. Accedit ad hæc, quòd ipsum esse vsque adeo perspicue fulget,
B vt nequeat cogitari nõ esse. Sicut enim ipsum quod dicitur nihil, occurrit nobis vt expers omnino essendi: ita esse occurrit vt expers penitus non essendi. Itaque inesse neque potẽtia vlla prorsus apparet ad non essendum, neque aliquis defectus essendi.

Ex prima parte æternum est, ex secunda est tota essendi perfectione plenissimũ, id est deus. Hac ratione esse occurrit nobis euidentissime: & rectè animaduertentibus occurrit vt deus. Quod duabus præterea rationibus confirmatur. Prima, quia esse vsque adeo manifestũ est, vt in singulis quę
C cognoscuntur, semper cognoscatur & ipsum. Qui Platonẽ affirmat currere, affirmat eũ esse currentẽ. Qui eũ vocat hominẽ aut albũ: esse in hominis specie ait, & albi. Denique in singulis essendi modis per quos res constãt singulæ, ita esse ipsum subintelligitur, quẽadmodũ in omnibus animalium speciebus subintelligitur animal. Secunda ratio; quia per ipsum esse cętera cognoscuntur, ipsum verò per semetipsum. Siquidẽ in cognitione quę fit per intuitũ illud quod dicitur

non ens,per ens cognoſcitur.Ens in potẽtia,p ens actu. Ens actu,per actũ noſcitur exiſtendi.Talis actus,eſſe ipſum exiſtit.Si per eſſe quod cuiuſlibet entis actus eſt,quodlibet ens agnoſcitur:ſequitur vt per eſſe quod cunctorũ exiſtentiũ actus origoq́ue eſt,exiſtentia cuncta noſcantur.Ac ſi ponatur ſuper eſſe in potentia, & eſſe in actu,ens ipſum ſimpliciter, D quod neque ſit potentia,neq; actu:ens ipſum aut figmentũ erit,aut erit deus,aut quędã ſignificatio dei:vt placet Platonicis.Deus autem actus eſt omniũ auctor exiſtentiũ : perq́; actionis exceſſum prius,vehementi⁹, diutius mouet mouẽtem,q̃ reliqua q̃ offeruntur:immo eius virtute reliqua mẽtem mouent.Ipſum ergo eſſe abſolutũ,ipſe ſcilicet purus actus effector omniũ exiſtentiũ,qui deus eſt:primũ eſt quod mẽtibus miro quodã pacto ſeſe offert:quod illabitur:quod effulget:quod cætera omnia patefacit. Cuius formã & notionẽ quanuis perpetuã quodãmodo in nobis poſſideamus, perq́ue illã & in illa reliqua cognoſcamus: non tamen iſtud animaduertimus:ſicut neque oculus cõſiderat ſe videre ſolis lumen continue,cæteraq́ue per ipſum,atque in ipſo:neq; ratio animaduertit ſe continue ratiocinari,cũ ſemper ferme ratiocinetur.Nã diutius cõſueta animaduertere nõ ſolem⁹. Quis enim ſe ſpirare conſiderat? Vbi Platonici deũ ſummũ E vocant,ipſum eſſe intelligi volunt:non eſſe quod in eſſentia eſt,ſed huius eſſe principium:eſſe videlicet ſuper eſſe,quodcunque propria quadã eſſendi ratione concipitur, & aliqua notione cõprehenditur.Summũ enim deũ, propriè vnitatis F bonitatiſq́;:ſequentẽ verò,deũ de deo,lumẽq́; de luce, entis nomine nũcupãt, à prima vnitate in tria deductũ ſcilicet in eſſentiã,vitãq́; & mentẽ.Et quia in quolibet triũ modo ſuo ſunt & reliqua tria in nouẽ vſque ꝓducunt:vnde fiat, vt in angelis nouenarius ſit numerus obſeruãdus,ſimiliſq́; in animabus felicibus gradus. Mentẽ verò cõtemplantẽ formari quidẽ deo à ſummo per vnitatẽ mentis caput:à deo verò ſequente per intellectũ.Sed hæc ipſi viderint: nobis autẽ ſufficit animam diuinitate formari. Ex omnibus ſuperioribus cõcluditur,rationẽ humanã in ordine rerũ cõſiderãdo verſari ſemper circa rationẽ diuinam rerũ omniũ ordinatricẽ: G nõ minus q̃ mundi ſphęrę circa mediũ mũdi punctũ.Quòd ſi reuolutio quæ naturaliter & aſſiduè ex ſeipſa perpetuum

ambit centrum, perpetua est: oportet rationem nostrã fore perpetuam. Quæ quoniam intelligendo per deum atque in deo sine medio in deum reflectitur, planè testatur se à deo sine medio processisse. Quis autem neget, quod proxime ab æternitate fit, æternum fore? Atque etiã videt in deo speciẽ sempiternam prout sempiterna est, dum certa illam ratione sempiternam esse concludit. Ita vero videt, vt suscipit inde: sequitur igitur vt per modum suscipiat sempiternũ. Et quia suscipit vt est ipsa: siquidem pro natura capit sua: fit vt ipsa perpetua sit, postquam modo perpetuo suscipit. Ratio autẽ hæc nostra nihil est aliud quàm vita intellectualis. Semper ergo viuet: immo & intelliget semper, si semper erit. Sed iuuat hic cum Augustino, vt sæpe solemus, paulo latius perua gari. Quando ratiocinamur, animus id agit. Non enim id agit nisi qui intelligit. Nec corpus intelligit, nec animus auxiliante corpore: quia cum intelligere vult, à corpore auerti tur. Quod enim intelligitur, eiusdẽ modi est semper: nihilque corporis eiusdẽ modi est semper. Non igitur potest adiuuare animum ad intellectum nitentem, cui non impedire satis est. Si per se ratiocinatur animus, ac ratiocinando veritatem attingit: attingit vtique per se veritatem: quapropter ipsi veritati per quam vera sunt quæcunque intelligendo attinguntur, propius hæret quàm aut rebus sensibilibus, aut earũ imaginibus: quas non per se attingit, sed per instrumẽta & reliqua media. Non enim eam posset contemplari animus per seipsum sine maxima coniunctione cũ ipsa. Ea quę H sensu capiuntur, extra etiam nos esse sentiuntur, & locis continentur: vnde nec percipi quidẽ posse affirmantur. Ea verò quę intelliguntur: non quasi alibi posita intelligũtur, quàm ipse qui intelligit animus. Simul enim etiam intelliguntur non contineri loco. Quare ista coniunctio intuentis animi, & eius veri quod intuetur: aut ita est, vt subiectũ sit animus, verum autem illud in subiecto: aut contrà subiectum verũ, & in subiecto animus: aut est vtrunque substantia. Horum autem trium si primũ est, tã est immortalis animus, quàm veritas illa, & summa ratio rerũ, quæ inseparabiliter inhæret animo, & inesse nisi viuo non potest. Eadẽ necessitas est in secundo. Nã si verũ illud quod ratio dicitur, nihil habet cõmutabile, sicut apparet: nihil cõmutari potest quod in eo

Animus p se ratiocinatur

tanquam in subiecto est. Remanet igitur omnis pugna de tertio. Nam si animus substantia est, & substantia ratio cui coniungitur non absurdè quis putauerit fieri posse, vt manente illa hic esse desinat. Sed manifestū est quòd quandiu animus à ratione non separatur, sed ei cohęret, necessarium est eum manere atque viuere. Separari autem qua tandē vi I potest? Num corporea, cuius & potentia infirmior, & origo inferior, & ordo separatior? Nullo modo. Animali ergo. Sed etiam id quomodo est? An alter potentior animus, quisquis est, contemplari rationem non potest, nisi alterum inde separauerit? At neque ratio cuiquam contemplanti defuerit, si omnes contemplentur. Et cū nihil sit ipsa ratione potentius, quia nihil est incommutabilius: nullo pacto erit animus qui nondū est rationi coniunctus, eo qui est coniunctus, potentior. Restat vt aut ipsa ratio à se ipsum separet: aut ipse animus ab ea voluntate separetur. Sed nihil est in illa natura in uidentiæ quo minus fruendam se animis præbeat. Deinde quo magis est eo quicquid sibi coniungitur, magis facit vt sit: cui rei contrarius est interitus. Voluntate autem animū separari à veritate quis dixerit, qui nihil vnquā auidius studet quam veritati coniungi? Quid ergo? Iámne concludendum est animum esse immortalem? An ne etiam si separari non potest, extingui potest? At verò si illa vis veritatis ipsa sua coniunctione afficit animū (neque enim non afficere potest) ita profecto afficit, vt ei esse tribuat. Est enim maxime ipsa veritas vbi summa etiam incōmutabilitas intelligitur. Itaque quemcunque ex se afficit, cogit esse quodammodo. Non ergo extingui animus potest nisi à ratione separatus. Separari verò non potest: non potest igitur interire. Quod vero infert dubitationē, illud est, quòd animus stultus separari ab ipsa ratione videtur, & in quodā defectu esse & in essentia certiore atque pleniore sapiens. Sed si (quod nemini est dubium) tunc est animus sapientissimus, cū veritatem quæ semper eodem modo est, intuetur, eique immobilis inhæret diuino amore coniunctus, & ex illa essentia omnia sunt quæ quoquo modo sunt, quæ summè maximeque est: aut ab illa est animus inquantū est, aut per seipsum est. Sed si per seipsum est, quoniam ipse sibi causa existendi est, & nunquam se deserit, nunquam interit. Si verò ex illa:

diligenter opus est quærere quæ res ei possit esse contraria, quæ animo auferat animum esse quod illa prębet. Quid est igitur? An forte falsitas, quia illa veritas? Sed manifestum est, atque in promptu situm, quantum nocere animo falsitas possit. Non enim amplius potest quàm fallere. At nisi
A qui viuit, fallitur nemo. Non igitur falsitas interimere animum potest. Quod si hæc non potest, quæ contraria veritati est, auferre animo animum esse, quod ei veritas dedit (ita enim est inuictissima veritas) quid aliud inuenietur quod auferat animo id quod est animus? Nihil profecto. Nam nihil est contrario valentius ad id auferendũ quod sit ab eius contrario. At si veritati contrarium ita quæramus, non inquantum veritas est, sed inquantum summe maximeque est: quanquam intantum est idipsum, inquantum est veritas: (siquidem veritatem eam dicimus, qua vera sunt omnia, quantuncumque sunt: intantum autem sunt, inquantum vera sunt) tamen nullo modo id defugerim, quod mihi euidentius suffragatur. Nam si nulla essentia inquantum essentia est, habet contrarium aliquid: multo minus habet contrarium prima illa essentia quæ dicitur veritas, inquantum essentia. Primum autem verum est. Omnis enim essen
B tia non ob aliud essentia est, nisi quia est. Esse autem non habet contrarium, nisi non esse. Vnde nihil essentiæ est contrarium. Nullo igitur modo res vlla esse potest contraria illi substantiæ quę maxime ac primitus est: ex qua si habet animus id ipsum quod est (non enim aliunde hoc habere potest qui ex se non habet, nisi ab ea re quę illo ipso est animo prętantior) nec habet esse animus ab alio quàm à veritate. Siquidem ab ea sola sortitur & bene esse: sequitur vt nulla res sit qua id amittat: quia nulla res ei contraria est qua id habet: & propterea esse non desinit. Sapientiam verò quia per conuersionem habet ad id ex quo est, auersione potest amittere. Conuersioni nanque auersio contraria est. Illud verò quod ex eo habet cui nulla res est contraria: non est vnde possit amittere. Non potest igitur interire.

THEOLOGIÆ PLATONICÆ
De immortalitate animorum eodem Ficino authore,

LIBER DECIMVSTERTIVS.

Quantum anima corpori dominetur, à multis ostenditur signis: ac primum ab affectibus phantasiæ.
Cap. 1.

HActenus diuinitatẽ animæ rationibus demonstrauimus: deinceps verò signis idem pene similiter confirmabimus. Phantasiã quatuor sequuntur affectus: appetitus, voluptas: metus ac dolor. Hi omnes quando vehementissimi sunt, subito corpus propriũ omnino, nonnunquam etiam alienum afficiunt. Quantos ardores vel cupiditas vindictæ ciet in corde, vel libido voluptatis in iecore, imo & in pulsu? Ex cuius mutatione cognouit medicus Erasistratus Antiochum esse amore Stratonicæ captum. Rursus cupido nocendi frequenti intuitu quàm pernicioſe pueros alioſque quoſlibet molliores faſcinat? Quàm manifeſte prę gnantis mulieris auiditas tenerum fœtum inficit rei cogitatæ nota? Quæ varios filiis ſuis geſtus figuraſque parentes, & quantum ſibi diſſimiles imprimunt propter vehementem rerum diuerſarum imaginationẽ qua dum coëunt, caſu aliquo afficiuntur? Quo fit vt diſſimiliores ſint admodũ inter ſe homines figura geſtibuſque & moribus, q̃ quæuis inter ſe in quauis ſpecie bruta. Quàm ſepe malefica volũtas execrationibus ſuis & veneficiis vulgò fertur nocuiſſe hominibus, & brutis, & plantis? Adde quòd glutones nonnulli epulas quaſdam auidius cogitantes, ſaliuam ſuam ſimili quodã ſapore inficiunt. Pueri quoque & grauidæ mulieres propter nimiam vetiti cibi vel potus auiditatem liqueſcunt, diffluunt, dilabuntur. Hæc & ſimilia per multa efficit appetitus. Lætitia quoque vehemens non minora. Hęc perimere ſubitò poteſt corpus, & ſæpe morbo leuare.

F Nónne Sophocles & Dionyſius Siciliæ tyrannus obiêre repente vterque accepto tragicæ victoriæ nuncio? Mater viſo filio è Cannenſi pugna redeunte, ſubito expirauit. Quid cõtrà dolor poſſit, nullus ignorat. Moleſtia quinetiam tetri cuiuſdam ſpectaculi, guſtum inficit, & prouocat nauſeam ſolo aſpectu. Pueri nonnunquam & grandiores cum amarã potionem offerri vident alicui, ſtatim ſentiunt amaram in ore
G ſaliuam, quam vehemens mouet imaginatio. His nonnunquã tali quẽdã cogitatione aluus quoque laxatur. Et, quod mirabile eſt, nonnullis ſtupefiunt dentes & aſpectu aliquo, & auditu. Quid? miſericordia quæ dolor quidam eſt, nónne miſerantis corpus ita nonnunquam afficit male, vt corpus alterius videt affectum? Quod declarant ij qui ſanguinis humani aſpectu ſtatim ſpiritu deficiente labuntur: & ij quibus dolet cubitus dum vident aut audiunt alterius cubitũ vulneratũ. Quid metus? an non ſæpe altis è feneſtris in terram deſpicientes præ formidine caligamus, & contremiſcimus, quandoque etiam ruimus? Pallent repente timentes, ſicut & verecundi rubent. Timore ſubito trepidat cor: arrectæ ſtant comę: vox faucibus hęret: Deficit quoque vita: vel
H morbi diuturni ſequuntur. Nonnunquã verò morbos quoſdam curat metus, vt ſingultũ & quartanã febrem. Quando autem metus vehementiſſimus cum vehementiſſima auiditate concurrit, nõnunquã effectus mirabilis prouenit. Hinc
I (vt eſt apud Herodotum) cum Cræſum regem quidam ex Cræſis interficere vellet, filius Cræſi antea mutus, propter ingentem tum mortis paternæ timorem, tum clamandi cupiditatem, ſubito ſoluit linguam, ac magna voce clamauit: O vir, ne interficias Cręſum. Inde vocalis eſt factus. Quamobrem affectus illi quatuor corpori penitus dominantur, cum illud vndique mutent. Sunt autem hi motus ipſius animi. Nam quantum animus bonum quippiam iudicat: aut malum tantum cupit, gaudet, timet, & dolet. Vnde ſequitur naturam corporis animæ motibus penitus ſubiici. Hinc fit vt vultus humanus tum inclinationum animi perſpicua ſigna, tum affectuum ſingulorũ indicia certiſſima præ ſe ferat. Illa quidem ſoli phyſiognomi, hęc etiam vulgares intelligunt. Quis non facilè agnoſcat cupientem, timentem, iratum, gaudentem animũ, & mœrentẽ. Hinc accidit rurſus,

vt ſolus

vt ſolus homo rideat: ſolus & lachrymetur, ex eo quòd animi motus plurimum in corpus habent imperium. Ex hoc autem quòd rationalis animę motibus omnino corpus ſubiicitur, duo quædam coniicimus. Vnũ, quòd anima hæc forma excellentiſſima eſt, ac per ſe ſubſiſtens: quia non dominatur corpori forma illa quæ per corpus exiſtit. Alterum, quòd corpus humanum animæ ſuæ cedit facillime. Non cedit facilè, quod propter abundantiam terræ ſolidum eſt & durum. Ideo corpus noſtrum ſi ad cætera animalia comparetur, quàm minimum terræ, & illud quidem ſubtile poſſidet, ſublimiorum elementorum quamplurimum: quocirca cæleſtis eſt animæ receptaculum. Cui quidem rei documento eſſe poteſt, quòd veri ingenioſiores ſæpenumero molles carne ſunt, graciles, valetudinarij corpuſque illorum quàm minimis ipſorum motibus plurimum variatur: quod de Ariſtotele, de Pyrrhone: Speuſippo, Carneade, Chryſippo, Plotino legimus. Quod in Timęo ſenſit Plato cum diceret deũ potuiſſe tam ſolidum hominis corpus facere, vt ab externis minime lęderetur: ſed voluiſſe mollius facere, quo eſſet ſpeculationi paratius: quaſi non ad hanc habitationem, ſed ad cæleſtem ſpeculationem ſimus progeniti. Addit etiã, animi potentiſſimi motiones proprium corpus & reſoluere & diſſoluere. Quod non in affectu ſolum, verùm etiam in ſpeculationis intentione contingat. Scribit & in Charmide, magos illos animæ corporiſque medicos Zamolxidis Zoroaſtriſque ſectatores arbitrari omnia corporis tum bona tum mala ab anima fluere in ipſum corpus, quemadmodum oculorum qualitas fluit à cerebro, cerebri qualitas à toto corpore. Atque vt impoſſibile eſt oculos curari niſi curetur cerebrum, & cerebrum curari niſi corpus totũ: ita corpus totum, niſi anima bene valeat, non poſſe bene valere. Valetudinem verò animæ curari Apollineis incantationibus quibuſdam, id eſt philoſophicis rationibus. Socrates præterea narrauit, vulgatum eſſe apud Thraces, eos medicostali quadã curatione nonnullos homines ſeruare immortales conſueuiſſe. Tantum eſt animæ in corpus imperium: tanta poteſtas. Magica hęc opinio videtur cum illa Hebræorũ Chriſtianorumque ſententia conſentire, Adę primi parentis animo prius quidem ſano ſana fuiſſe omnia: deinde verò infir-

Motus corporis et animi

mo infirma omnia euasisse. Cæterũ de nostris motibus hoc est diligenter animaduertendum, quòd aliqui incipientes à corpore, nõ penetrant ad animam, alij penetrant: aliqui incipientes ab anima, non redundant in corpus, alij verò redũdant. Primi, huiusmodi sunt, quando temperatissimus aër corpori circunfusus sicut aliquo modo corpus moueat, & tamen neque caloris præbet nobis sensum, neque frigoris. Secundi sunt, quando ita mouet, vt aliquid sentiamus. Tertij sunt, quando mens tranquillè aliquid speculatur, aut phãtasia leue aliquid modice intuetur. ex iis nanque cogitationibus corpus non agitatur. Quarti denique, quotiens seu mens siue phantasia vehementius sese confert ad aliquid, aut noxium valde, aut vtile multũ iucundumque existimat. Tunc enim corpus aliquid patitur. Profectò quando per animi affectum motus aliqui in corpus redundant: non per vim corporis, sed per animi imperium in corpus videntur descendere. Corpus enim vim non habet agendi: atque accipit subitò motus illatos ab animo, nulla intercedente mora. Nam subitò pallescit vultus animo metuente: & per animi agitationem duntaxat expallet. Quando verò calefacto nimium corpore, anima id ægre fert: perturbatio huiusmodi non prius accidit animo, quàm & passionem corporis senserit, & noxiam iudicauerit. Sentire & iudicare, actus est ani
C mi. Itaque per suum actum proprie, non per corporis violentiam animus perturbatur: ideoque seipsum mouet: non mouetur à corpore. Quod ex hoc plane conspicitur, quia ex vehementiore cogitatione animi & affectu semper agitatur & corpus: neque potest illi corpus obsistere: ex passione verò & cruciatu corporis non necessariò animus de suo statu deiicitur. Diogenes Cynicus nudus glaciem niuemque hyeme, æstate ardentes calcabat arenas: atque interim ridebat
D & iocabatur: Polemon Academicus rabidissimos canũ morsus dum sentiret, ne expalluit quidem. Anaxarchus Abderites philosophus à Nicocreonte Cypri tyranno iussus est in saxum concauum coniici, ferreisque malleis cædi: at philosophus pœnam corporis negligens inquit: Tunde, tunde Anaxarchi vasculum: Anaxarchum ipsum nihil terres. Iussit tyrannus illi præcidi linguam. Tunc ille præcisam mordicus in tyranni faciem conspuit. Aliique innumeri, maxime

omnium Christi martyres, talia fecisse commemorantur. Ex quibus apparet, non per corporalem naturam, ser per animæ ipsius iudicium, passiones corporis posse in animam penetrare. Iudiciũ verò non semper naturam sequitur corporis. Variatur quippe iudicium ad coniecturarum varietatem, etiam simili corporis complexione manente: sæpe etiã manet idem complexione mutata. Constat igitur animum corpori per se obesse: ipsum verò nisi à seipso lædi non posse. Læsio verò quæ à seipso infertur, controuersia quædã est potius quàm pernicies. Nihil enim à seipso perimitur.

Signum secundum ab affectibus rationis. Cap. 2.

De philosophis.

E

ANimam nostram corporis esse dominã, ab affectibus phantasiæ satis narrauimus: cœpimus quoque idẽ partim à rationis affectibus indicare. Hanc ergo partem diffusius prosequamur. In hac parte ponimus philosophantes, poetas, sacerdotes, præsagos, & prophetas. Epimenidem Cretensem annos quinquaginta dormisse aiunt: id est (vt opinor) à sensibus vixisse semotum: similiter decem latuisse Pythagoram: Zoroastrem verò viginti. Socrates (vt scribit Plato) à solis ortu vsque ad solem alterum orientem inconniuens, immobilis, iisdem vestigiis, & ore atque oculis in eundem locum directis, cogitabũdus, & abstractus à corpore stabat. Plato cum frequenter contemplationis intentione longe secessisset à corpore, tandem in ea ipsa abstractione à corporis vinclis decessit omnino. Eius discipulus Xenocrates singulis diebus integram horam abstrahebatur à corpore. Archimedes Syracusanus geometricis figuris intentus, tumultuosum excidium pereuntis patriæ, & imminentem supra caput hostem non sentiebat. Porphyrius Plotini discipulus scribit, Plotinum sæpe solitum solui à corpore, mutare vultus, tunc mira quædam inuenire, quæ postea scriberet. Quater autem affuisse se asserit iis Plotini miraculis. Seipsum verò cum ageret octauum & sexagesimum ætatis annum, à numine correptum semel inter contẽplandum affirmat. Multis annis ante istos idem fecisse Heracli-

F

G

tum & Democritum legimus. Vtrique in solitudinẽ secessserunt. Alter intentione studij subtristis videbatur aspectu:
H alter cum mentem à sensibus auocare cœpisset, & impediretur ab oculis, sese excæcauit. Quid multa? Quicunque magnum aliquid in quauis arte nobiliori adinuenerunt: id fecere præcipuè quando digressi à corpore in arcẽ animi confugerunt. Hinc Plato scribit in Phedro, philosophorũ mentes præcipuè alas quibus ad diuina volatur, recuperare: quia videlicet semper diuinis incumbant. Et alibi quidem diui-
I nos, alibi verò dei filios nominat: quia quodammodo renascantur ex deo. Ob id scribit Aristoteles, omnes qualibet arte viros excellentes, melancholicos extitisse: siue tales nati fuerit, siue assidua meditatione tales euaserint. Quod ego ob eam causam arbitror euenire, quoniam humoris melancholici natura terræ sequitur qualitatem: quę nunquam latè sicut cætera elementa diffunditur, sed arctius contrahitur in seipsam. Ita melancholicus humor animam & inuitat & iuuat vt in seipsam se colligat. Rursus anima si frequenter ita ipsos in se spiritus colligit, propter continuam agitationem partibus humorum subtilibus resolutis, complexionẽ corporis multo magis terream efficit quam acceperit: præsertim cum habitudinem corporis se colligendo reddat cõpressiorem. Talis autem est terræ natura. Mitto quòd talis
K quoque est natura Mercurij atque Saturni: per quam dum spiritus in centrum colligunt, animi aciem quodammodo ab alienis ad propria reuocant, sistuntque in cõtemplando: & ad centra rerũ conferunt penetranda. Neque tamen planetæ vel humores eiusmodi tanquã efficientes causæ id operantur, sed vel præbent occasionem, vel impedimenta repellunt: animus autem ipse & inuitatus & expeditus talia perficit. Magnum certe est mentis imperium: quæ virtute sua à compedibus corporis soluitur. Ingens opulentia mentis: quę quotiens precioſos dei & naturę cupit thesauros nõ ex terræ visceribus, sed ex proprio eruit sinu. Maximè verò in illis apparet quantum corpori ratio dominatur, qui cum flagitiosam adolescentiam egerint, ante ipsam senectutem
A subitò vel inspirante deo, vel homine exhortante ita mores mutant, vt ex intemperatis temperati vel continentes euadant. Quod statim fecisse Polemon traditur eodẽ die quo

audiuit Xenocratem de pudicitia disputantem. Idem Diogenes cum audiret Antistænem differentē de libertate. Solet natura quicquid longo tēpore inoleuit, non aliter quàm longo tempore abolere. Habitum igitur diuturna consuetudine roboratum momento labefactare, non naturæ corporalis est, sed excelsioris atque diuinæ.

De poetis.

PRęterea poëtas considera, quos Democritus & Plato diuino quodā furore correptos affirmant. hoc ostendunt præ cæteris duo Platonis dialogi, Phedrus, & Ion. Cuius quidem rei tria affert signa. Primū, quòd artes singulas singuli homines sine deo longo vix tempore assequuntur: legitimi verò poëtæ, quales fuisse vult Orpheum, Homerū, Hesiodum, Pindarum, omnium artiū suis operibus certa quędam indicia & argumenta inseruerunt. Secundū, quòd multa furentes canunt, & illa quidem mirabilia: quæ paulò pòst deferuescente furore ipsimet non satis intelligunt: quasi nō ipsi pronunciauerint: sed deus per eos ceu tubas clamauerit. Tertium, quòd non prudentissimi quique, & ab ineunte ætate eruditissimi, optimi euasere poętę, verùm insani potius aliqui: qualem fuisse constat Homerum, atque Lucretium: aut rudiores, qualē se fuisse testatur Hesiodus & quales extitisse Ionem & Tynnicum Chalcidæum scribit Plato, qui præter artem subitò in rebus poëticis mirandi prodierint. B C Addit ineptissimos quosdam hominesà Musis ideo corripi, quia diuina prouidentia declarare vult hominū generi, non hominum inuenta esse præclara poëmata, sed cælestia munera. Cuius illud affert signum in Phædro, quòd nullus vnquam licet diligentissimus, & omnibus artibus eruditus, excelluit in poësi: nisi ad hęc accesserit feruentior illa animi concitatio, quam sentimus quando est Deus in nobis, agitante calescimus illo. Impetus ille sacræ semina mentis habet. Veniamus ad sacerdotes.

De sacerdotibus.

DIuum Paulum theologum tres cælestium hierarchiarum cælos in diuina abstractione animi conscendisse scripta eius, gesta discipuli monstrant. Galilæi quoque D

nonnulli olim subito inspirante deo ex piscatoribus summi euasere theologi. Sacerdotes multos ante horum tempora instinctu dæmonum solitos debacchari,& mirabilia quędā effari omnis testatur antiquitas. Cornelium sacerdotem castissimum scribit Aulus Gellius Pataui mente motum fuisse eo tempore quo Cæsar & Pompeius in Thessalia confligebant,adeo vt & tempus & ordinem & exitum pugnę videret. Plinius quoque tradit Hermotimi Clazomenij animam relicto corpore vagari solitam,& multa ac vera è longinquo nunciare:donec cremato eo inimici eius,qui Cantaridę vocabantur:remeanti animę velut vaginā ademerunt. Idē facere consueuisse scribit Maximus Pyrius Platonicus & Herodotus animam Aristei Proconnesij. Aurelius Augustinus refert sacerdotem quem Calamensem solitum se suo
E arbitratu à corpore auocare: præsertim cū querula harmonia demulceretur. Iacebat,inquit, simillimus mortuo: sine anhelitu:& cum vreretur & secaretur,non sentiebat. Experrectus autem dicebat se nihil præter ipsam melodiā & voces loquentiū in ipsa abstractione sensisse. Quod significat animam illam nihil tunc operari solitā in corpore, cū nullus esset motus aut sensus tangendi:aut anhelitus: aliquid tamen in seipsa agere cum harmoniam antè auditam excogitaret,vocesque perciperet. Atque & Cornelius ille,& Hermotanus & Aristeus,quos suprà narraui, cum se à corpore abstulissent,nihil vidissent remotiusquàm antea,nisi anima cū à corpusculo isto eximitur,viueret liberior,& latius vagaretur: nec Calamensis anima se sua sponte abstulisset à corpore,& semota egisset aliquid,si corporis sui pedisequa fuisset omnino. Hæc his Platonis verbis in Phædro confirmari videntur. Diuinis,inquit,meditationibus qui rectè vti-
F tur,perfectisque mysteriis semper imbuitur,perfectus reverā solus euadit. Ab humanis autem studiis segregatus,diuinoque numini semper inhærens: vulgo capitur quasi extra se positus:sed ipse deo plenus vulgus latet.

De fatidicis,& prophetis.

G

DIximus de philosophis,poëtis,sacerdotibus:iam de fatidicis prophetisque loquamur. Longior esse cogar,si

augures,aruſpices,auſpices,mathematicos,magos commemorauero.Horum quidē opera peritiſſimas indicant mentes.Mentes verò diuinas illa præ cæteris præſagia indicant, vt in Phædro vult Plato,quæ ſine arte & conſilio fiunt:qualia ſunt quæ de Diotima vate & Socrate & Epimenide Plato refert : quæ de Sibyllis Varro vnà cum Platone : quę de Pythiis oraculis hiſtorici narrant : & philoſophi penè omnes confirmant, præſertim Platonici:quæ de ſomniis experiuntur omnes : quæ de diuinis prophetis tradunt Hebræi. Horum omnium mentes tunc maximè loca plurima circunluſtrabant, & tria in vnum tempora complectebantur, quando ſe à corpore ſecernebant.

Ergo quando animus hominis omnino erit ſeiunctus à corpore : omnem (vt eſt apud Aegyptios) comprehendet locum,& omne tēpus. Immo verò iam penè eſt talis animus H
ſuapte natura vbique,& ſemper:qui vt multa loca & remotiſſima circunſpiciat, atque vt totum recolat præteritum tempus,& futurum anticipet,non cogitur extra ſe progredi: ſed relicto corpore in ſe reuerſus, id prorſus aſſequitur, aut quia natura ſua vbique eſt & ſemper,vt arbitrantur Aegyptij:aut quia cum in naturam ſuam ſe recipit, ſtatim numini coniungitur omnes & locorum & temporum terminos comprehendenti.Cæterum qua via præſagium cadat in tres
animum,ſi placet,altius repetam. Tres rerū ordines ad hu- termi
manam animam pertinere videntur : prouidentia : fatum: ordines
natura.Prouidentia eſt ſeries mentium:fatum ſeriesanimarum:natura ſeries corporum. Principio ſub deo mentes il- I
las omnino ſolutas à corpore ponimus ſecundum Platonē: quos vocat Dionyſius angelos, puriſſimos ſcilicet intellectus. Addimus inferiorem mentiū gradum, earum ſcilicet quæ iam corporibus vniuntur, & quaſi quidam angeli videntur eſſe: obtinentes quodāmodo gradū infimū angelorum:quorum in numero ſunt animę omnes rationales,ſiue mundi,ſeu mundanarum ſphærarum,ſyderū, dæmonū,atq; hominū.Tertio loco ſunt globi cælorū,elementorū, humorū.Proinde angelorum caput deus eſt:qui radium ſuum rerum omnium creandarū rationibus præditum, per angelos omnes demittens,gradatim format omnes: ita vt in ſingulis vniuerſam deſcribat mundi figuram.Neque ſolum ſub-

blimes illos intellectus, angelosque purissimos sic exornat,
verum etiam per illos tanquam medios in mentes quoque
rationalium animarum quasi quosdam infimos angelos ra-
dium eundem traducit. iisdem præditum rationibus, huius
modi rerũ dispositio lexque diuina inscripta mentibus, pro
K uidentia nuncupatur. Sequitur fatum. Animæ quippe ratio-
nales non modo vim illam habent intelligendi, per quam
angelicæ sunt, & in ordine prouidentiæ numerantur, verum
etiam vim illam viuificam, rectricemque corporis, quę alit
corpus in corpore, sentit corporalia per corpus, mouet cor-
pus per locum, regitque in loco: quam vim, idolum, id est si-
mulacrum rationalis animæ Platonici nuncupant. In hoc i-
dolo insunt semina motionum & qualitatum omnium quę
in corpore explicantur ab anima. Omnes animæ rationales,
tum nostræ tum quæ supra nos sunt vires illas habent intel
L ligendi. Habent & has viuificas rectricesque corporum fa-
cultates. Sequitur natura. Nam in quolibet corpore anima-
to est certa quędam eius affectio siue complexio efficax at-
que vitalis: quam virtus animæ suæ viuifica corpori tribuit.
Hanc volunt esse Platonici naturam corporũ, quasi quod-
dam vestigium animæ in corpore, siue vmbram: quam Pro
culus esse vult vnà cum diuisione corporis diuisibilem, se-
minibusque plenam, vitamque corporis ab animæ vita ma-
nantem. Resumamus in hunc modum. Omnes mentes, siue
sublimes & super animas sint, siue inferiores & inditæ ani-
mabus, ita inuicem connexæ sunt, vt ab earum capite deo
incipientes, longa & continua serie procedant: ac superiores
quælibet inferioribus radios suos dispertiant. Videamus
quid hinc oriatur. Quando quis caput summum recti ligni
humi iacentis digito pulsat, vsque ad alterum ligni extremũ
pulsatio vel leuissima resonat. Idem in chorda fit tensa: cu-
ius si apex tangatur, tota tremit & sonat. Si tendas æquo in-
teruallo duas in lyra fides: altera pulsata, tremit & altera. Si
duas lyras ad eandem intentionem fidium tẽperes: sonante
altera, altera reboat. Quorsum hæc? vt intelligamus hinc, ex
omnium mentium mutua & inuicẽ temperata connexio-
ne idem fieri, vt scintillæ primarum in medias, mediarum
in infimas vsque refulgeant: & à postremis per medias in
A sublimes iterũ reflectantur. Harũ connexionem hanc mu-

tuam, scintillarumque infusione à superioribus ad inferiores continue demanantem, prouidentiam appellamus. Mittamus mentes in præsentia: accipiamus idola, id est simulacra animarum. Caput omnium sit idolū animę mundi: huic connectantur idola duodecim animarum duodecim sphæras duodecim agitantium. Quoniam verò in qualibet sphęra plures sunt animæ: harum idola ad vnum idolum vnius communisque animæ, quę totam illam regit sphæram, religentur. Atque ita omnia animarum rationalium idola mutua quadam conspiratione ex vno pendent idolo summo: ita vt nutus quilibet idoli primi in media, & mediorum in infima transeant: & semina rerum omnium corporalium à primis idolis, idolis sequentibus inserantur. Conspiratione huiusmodi, seminumque traductionem, fatum esse arbitrabamur. Eadem ratione per corpora procedamus. Complexiones siue affectiones siue naturæ duodecim, sphærarum duodecim: vni & summæ naturæ ipsius mundanæ materiæ copulentur. Singulæ verò naturæ singulorum corpusculorum sphæræ cuilibet adhærentium, ad naturam sphæræ suæ vniuersalem similiter referantur. Atque hæc dependentia, series naturalis cognominatur, in qua naturarum superiorū instinctus in naturas inferiores transfunditur. Ita omnes mentes tanquam lumina ad vnam mentem tanquā lumen, omnia animarum idola & simulacra ad vnū vniuersalis animæ idolum, omnes naturæ corporum, quasi animarum vmbræ, proprie ad communem naturā vnius corporis quasi vmbram vnius animæ reducantur. Anima nostra per caput suum id est mentem, superioribus mentibus nectitur: per vim infimam id est idolum quo regitur corpus, cum idolis animarum superiorum conspirat: per naturam corporis sui, cui idolum se insinuat, conciliatur naturis corporum mundanorum, quas natura huius corporis sequitur. Ergo iis quasi tribus rudentibus toti machinæ colligamur, mente mentibus, idolo idolis, natura naturis: non aliter ac fœtus in aluo toti corpori materno per continuata ligamenta connectitur: vnde & animæ maternæ, & corporis & spiritus materni ipse quoque per animam suam corpus & spiritum percipit passiones. Anima igitur per mentem est supra fatum: in solo prouidentię ordine tanquam superna imitans, & in-

feriora vnà cum illis gubernans. Ipsa enim tanquam prouidentiæ particeps, ad diuinæ gubernationis exẽplar regit sẽ, domum, ciuitatem, artes, & animalia. Per idolum est in ordine fati similiter, non sub fato. Siquidem animæ nostræ idolum natura sua cum supernis idolis concurrit ad formãdum corpus atque mouendum. Per naturam quidem corpus est sub fato: anima in fato naturã mouet. Itaque mens super fatum in prouidentia est, idolum in fato super naturam, natura sub fato supra corpus. Sic anima in prouidentię fati, naturæ legibus, non vt patiens modo ponitur, sed & vt agens. Ideo Plato in libro de republi. decimo, virtutẽ animi
E inquit non esse seruilem dæmonem vitæ ducem: ac rursus vitæ fortunam eligit à nobis: non nos à dæmone vel fortuna. Culpã eligentis esse, nõ dei. Zoroaster quoq; ita præcipit.

F μὴ σὺ γ' ἄυξανε τὴν εἱμαρμένην.

id est, Ne tu augeas fatum. Quasi in tuo arbitrio sit cedere fato, atque non cedere. Cũ verò ex tribus illis partibus adstringamur partim rerum ordini, partim nõ adstringamur: ex quarta præcipue soluimur, nostriq́ue sumus omnino. Hæc ratio est: quam inter mentem animæ caput, & idolum animæ pedem, mediam collocamus. Mens enim animæ ineſt non quantum anima proprie est, sed quantum angelica, & à supernis mentibus occupata. Idolum quoque illud animæ, id est rectrix potentia corporis, non est animæ purę officium, sed animæ iam vergentis ad corpus. Verum ratio interponitur, vis quædam verarum propria animarũ, per quã in vniuersali conceptu à principiis rerũ ad conclusiones tẽporali successione discurrunt: effectus resoluunt in causas: causas iterum in effectus deducunt: discurrunt etiam conceptu particulari ad discursionis vniuersalis exemplar. Sed
G in prima ipsa & vniuersali discursione, ratio intellectualis vocanda est: in discursione particulari, ratio cogitatrix & opinatrix. Mens autem illa quæ est animæ caput: & auriga, suapte natura angelos imitata, non successione sed momento quod cupit assequitur: immo habitu quodam, & (vt vult Plotinus) actu simul continet omnia. Ac meritò post mentem hanc animæ stabilem angelos imitantem, sequitur ratio mobilis animæ propria. Huius pediſsequæ sunt vires il-

læ sentiendi brutæ quę sunt in idolo phantasia scilicet confusa, quæ instinctum sequitur naturalem : imaginatioque quinque sensuum congregatrix . Idoli pediſsequa est natura. Mentem nostram soli cuidam nostro, rationem solis huius lumini, idolum luminis huius radio, naturam radij reflexioni id est splendori, & vt rectius loquar, vmbræ, Platonici comparant atque vt ad vim reuertar rationalem, sæpe eam aiunt ita se ad mentem habere, vt sermonem ad animam se habere videmus : & in motu perpetuo liberoque versari. Denique facultas illa rationalis quæ propriè est animæ veræ natura, non est ad aliquid vnum determinata. Nam libero motu sursum deorsumque vagatur . Primus enim motus est qui in propria animæ natura locatur: cum ipsa sit essentia tertia, cuius virtus est per se mobilis . Primus autem motus, non hic motus est aut ille, non huc solum fertur aut illuc: sed communis motus est: & tanquam fons motionis perfluit liber, paribusque in omnem partē momentis prolabitur. Quamobrem licet per mentem, idolum, naturam, quodammodo communi rerum ordini subnectamur : per mentem prouidentiæ, per idolum fato, per naturam singularem vniuersæ naturæ: tamen per rationem nostri iuris sumus omnino: & tanquam soluti, modo has partes modo illas sectamur. Quandoque ratio menti cohęret, vbi surgit in prouidentiam. Quandoque idolo obsequitur, & naturę, vbi fatum suo quodam subit amore: dum sensibus confisa, huc & illuc rerum sensibilium occursu distrahitur. Quandoque omissis aliis in seipsam se recipit: vbi aut res alias perquirit argumentando, aut indagat semetipsam.

Vsque adeo vis hæc media propriaque animæ, & libera est, & inquieta . Et quando aliquid in nostra incurrit extrema, puta in mentem, idolum, vel naturam : fieri quidem potest vt anima statim illud quoquo modo percipiat: non tamen prius animaduertit se illud percipere, quàm in potentiam transeat mediam.

Cum enim potentia media sit, per quam nos homines sumus, immo & quod ipsi sumus: quod pertinet ad eam, euidentissime ad homines pertinet. Mouent sæpe colores aut voces oculos siue aures: cōfestim visus & auditus suū explēt officium; hic videt, ille audit: nondum tamen animus & vi-

Comparatio mentis ad solem —

Ratio naturæ facultas Humanæ natura —

Ratio est libera —

potentia animæ —

in eden est ratio —

dere se & audire animaduertit, nisi media nostri potentia se se ad hæc intendat. Quod patet in his qui obuios sibi non comprehendunt, dum aliud quippiã attentius cogitant. Sic mentes superiores mouent semper nostram mentẽ illis annexam: impulsum tamen huiusmodi ideo non aduertimus, quoniam vis media per inferiora circunuaga à superioribus se diuertit. Eadem ratione idola animarum superiorum pulsant semper idolum nostrum: hunc tamen nos influxũ haud agnoscimus, quando pars illa media aliud quicquam firmius speculatur. Similiter corporum ampliorum naturæ continuè lacessunt corporis nostri naturam: & hunc instinctum
A sæpissime ratione eadem nequaquã aduertimus. Huius rei
Nota exemplum habemus in corpore. Sæpe enim nulla re lacessiti, nobiscum subirascimur: nullis malis turbati, nunciis aut portentis territi torpescimus, mœremus, & trepidamus: nullis bonis permulcti gestimus ipsi nobiscũ & canimus. Hæc vnde? Causam certe nouam habent tam noui effectus. Hæc vtique est, varia pro variis temporibus affectio corporis: siue in felle vel iecore crocea bilis exestuet, seu bilis ferueat atra in splene, seu claro sanguine cor abundet. Huiusmodi corporis affectiones atque naturæ quia proximæ sunt viuificæ potentiæ quæ idolo continetur, & continet ipsas: eam variis incitant pulsibus, dum occasionem præbent vt illa & aliter & obnixius operetur in complexione corporis viuificanda, quàm soleat. Huiusmodi operatio reddita concitatior, vim sentiendi quę eodem idolo continetur, tactum præsertim titillat sensim, pungitve latenter eiusdem idoli phantasiam: ceu per naturæ indigentiam pungitur stomachus. Punctio illa & titillatio latens, ad mediam animæ partem non transit quando illa in aliud inhiat: transit autem quando vacat. Tunc per rationem cogitatricem repente subirascimur quodammodo, vel mœremus, vel gaudemus. Ratio intellectualis hæc aduertit: vnde assentitur quandoque: quã
B doque etiam consiliis & remediis hæc fugit & fugat. Summatim his sæpe pulsamur affectibus longo ordine à naturis vniuersalibus per propriam in nos descendentibus: & vnde nobis ingerantur, penitus ignoramus. Si ita est, cur non etiam mentes superiores menti nostræ coniunctæ semper eam pulsent? Quem impulsum nos minime aduertimus,

quando pars media noſtri ita eſt ſuis actibus occupata, vt vſque ad eam non tranſeat mentis influxus. Ea verò vacante quid prohibet angelicam aliquã rationalibus viribus cogitationẽ irrepere licet vnde ſurrepat, non videamus? Quod indicant illi, qui abſque præceptore ex ſola vacuæ rationis intentione, aut etiam tranquillitate, ſæpe multa & præclariſſima etiã dũ non inquirerent, pepererunt: quaſi ſua ſponte ſolis lumen in ſerenum aërem ſubito ſe tranſſundat. Ac licet diſpoſitio mundi, quæ tota ſimul eſt in mentibus rationibuſque ſupernarum animarum inſcripta, perenni quadam continuatione tota ſimul noſtræ menti ſe offerat: tẽporalis tamen mundanorum ſeminũ viciſſitudo ſicut paulatim in idolis naturiſque illarum animarum ſibi ipſi ſuccedit, ita ſimili quadam ſucceſſionis continuatione per omnium animarum idola omniumque corporum naturas deſcendit vſque ad idolum animę noſtræ, & corporis noſtri naturam. Vt ecce ratio pluuiæ cras futuræ hodie regnat in animarum cæleſtium idolis, cælorumque naturis. Eadem per elementalium animarum idola, elementorumque naturas demanat, quouſque idolum animæ noſtræ, ſimulque naturam pulſet humorum. Pulſatio idoli noſtri fit ab idolis: naturę noſtrę pulſatio ab illis naturis & idolo noſtro. Quando mentium ille influxus rationem noſtram ſortitur ocioſam, ſiue menti vacantem: ipſi aliquid oſtendit eorum quæ ad vniuerſalem æternarum rerum cognitionem ſeu mundi gubernationem pertinent: vt vel dei legem, & ordines angelorum: vel ſeculorum reſtitutiones, & regnorum mutationes præuideat. Quando idolorum naturarumque inſtinctus rationem omnino & phantaſiam offendit vacuam, aliquid ſibi portendit eorum quæ ad temporum viciſſitudines, elementorumque turbationes attinẽt, vt futurã prędeat pluuiam, terræ motus, atque ſimilia. Qua via Iſtud? Vis illa ſupernorum idolorum pluuias inductura, ad pluuias prędigurat cælorum rotas: hæ aërem humefaciunt: aër vdus pituitam mouet noſtram, humorem ſcilicet aqueum: pituita ſpiritum, ex ea præſertim parte qua & ipſe eſt aqueus. Siquidẽ ſpiritus cum ſit vapor ſanguinis, & in ſanguine quatuor inſint humores: in ſpiritu ſunt quatuor humorum elementorumque virtutes. Igitur virtus illa ſpiritus aquea à pituita ir

Nota

C

Nota

D

Nota

Spiritus quid..

ritata, viuificam animæ noſtrę inſtigat potentiam ex ea parte qua aquaticorum ſemina vis viuifica poſſidet. Vis hæc ſuſcitat eas imagines quę in vacante phãtaſia rationeque ſunt ad pituitam pertinentes, vt ſubito cogitemus flumina, imbres, angues, anguillas, piſces, atque ſimilia. Eodẽ pacto vis ſupernorum calores & æſtus procreatura, congruis mediis choleram id eſt bilem in nobis & cholericum ſpiritum mouet: hic virtutem viuificam: hæc igneas imagines in phantaſia rationeque latentes, vt incendia imaginemur, rubeoſque colores, & flauos.

Septem vacationis genera.

E VErùm quãdo ita vacamus, vt huiuſmodi aduertamus influxus: ſeptẽ ſunt vacandi genera. Somno, ſyncope, humore melancholico, temperata complexione, ſolitudine, admiratione, caſtitate vacamus. Quoniam anima operationes ſuas mouendi & ſentiendi in hoc corpore craſſiore per ſpiritum ſibi proximum explet, ideo quando vel propter defatigationem ſpiritus in membris exterioribus reſoluuntur, vel propter vapores humoreſque meatus illi cerebri opplentur, per quos huiuſmodi ſpiritus ad ſenſũ motumque idonei ſolent ad membra tranſmitti: tunc animus ſeſe quodammodo colligit: neque in ſentiendis corporalibus qualitatibus, neque in regendis mouendiſque membris ſui corporis, neque in tractandis externis negociis occupatur: quod facilè fit in ſomno. Quanto autẽ magis exterior actus remittitur, tanto intenditur magis interior. Interiores actus ſunt phantaſiæ viſa, rationiſque diſcurſiones. Sed plurimum ita intenditur phantaſia (cuius nutu plurimum agimus vitam) vt imagines ſuas acerrimo intuitu in ſeipſa volutet. Reuolutæ acrius imagines illæ vſque ad communem illum ſenſum, quem more Platonico vocamus imaginationem, relucent: inde in ſenſus inferiores, & ſpiritum. Imago verò in ſenſibus iis ſpirituque lucens, ſolet pro revera aſſeuerari.

Nam vigilantes hominem ſe videre aiunt, quando ad homi nis imaginem in iis micantem ſeſe vertunt. Similiter dormientes affirmant hominem ſe videre, quando eius imago

à phantasia ipsius conseruatrice per imaginationem in sensum resplendet & spiritum. Resplēdent autem imagines illæ præ cæteris, ad quas phātasia magis afficitur: siue cogitatio siue perturbatio præterita, siue tumultus præsens dominantium humorū id faciat. Atque hæc insomnia vana sunt, & nihil præferunt vaticinij: nam aut ex vigiliarum reliquiis, aut ex corporis turbatione nascuntur. Talibus insomniis homines illi solent illudi, qui voluptuosæ vitæ dediti, ad ea quæ mouent sensus, vehementer afficiuntur: & phantasiam ad hæc vel tanquam bona adsciscenda, vel tanquam mala reiicienda affigunt acerrime: quo fit vt eorū reliquię phantasiam turbent in somnis. Accedit, quòd nimio grauati cibo vel potu, phantasiam in somno expeditam habent nunquam. Nam propter immoderatam humorum vaporumque redundantiam, imagines illę in phantasia sæpe mouentur, quæ terrę spectacula præferant. In iis quoque propter vini calorem incitata virtute genitalis seminis expultrice, mouentur imagines amatæ personæ quas seruat phantasia: vnde cogitatur amplexus. Ex iis rationibus Plato in nono libro de republi. concludit rationem sæpe in somno vsque adeo occupari, vt non libere influxus superiores persentiat. Percepturam autem veritatem inquit, quotiens non turbabitur. Sunt & multi voluptuosæ vitæ contemptores, rerum tamen ciuilium studiosi vel imperij & gloriæ cupidi. In his dormientibus consopitur interdum etiam phantasia: at ratio tunc priuata & publica tractat negocia: & iis plurimum occupatur. Sunt nonnulli tam voluptatum quàm humanæ gloriæ contemptores, sed indagationi rerum diuinarum & naturalium dediti. Horum in somno cessat aliquando non phantasia solum, sed rationis etiā actiuæ anxia consultatio.

Resurgit autem consueta illa rationis speculatricis inuestigatio, vt vel metiri cælum videamur, vel elementa partiri, vel animalium species numerare. Nullis eorum quos numerauimus, communiter conuenit vaticinium: licet postremi ij philosophantes verè ratiocinentur etiam dormientes: immo & inueniant quandoque quæ diu quęsita non inuenerant vigilantes: quia ratio est tranquillior. Tale quiddā contigit Galleno: qui scribit cum circa diaphragma ægrotaret

se somniauisse liberatum iri, si sanguinem mitteret ex vena quę est inter pollicem & indicem minuisse sanguinem: con ualuisse. Neque desunt aliqui, licet perpauci tales reperiantur, qui domitis voluptatibus, ciuilibusque rebus neglectis, ita suam vitam instituant, vt veritatis quidem assequendæ flagrent cupiditate, eam tamen humanis vestigiis, quibus ambigua mensnaturalium philosophorum plerunque solet confidere, inuestigari posse diffidant: itaque deo se dedunt:
B ipsi moliũtur nihil. Apertis & purgatis oculis quid maxime diuinitus ostẽdatur, expectãt: quod & præcepisse dicitur Socrates, & fecisse. Hi pij homines & religiosi vocantur: horũ animus in vigilia vacat præ cæteris: vacat in somnis omnino: quapropter supernus impulsus ab eo facilè animaduerti tur. Sed horum hominum duo sunt genera. Alij templum hoc dei, mundi scilicet machinam admirantur frequentius: alij templi huius numen impensius venerantur. Illorum animo per somnũ quieto passiones mundi monstrantur, & illæ præ cæteris ad quas magis afficitur: vt pluuiam videat
C futuram, bellũ, pestem, atque similia. Demonstrationis modum & ordinem supra diximus. Cæterũ sępe difficilis somnij interpretatio est: sæpe etiã facilis. Difficilis, quando post quam pluuia futura expressa est in phantasia, vis phantasiæ imaginem pluuiæ non satis attente commendat memorię: sed tanquam velox nimium & versatilis, vt semel impulsa est, currit lubrica per similes & consequentes imagines: vt ex pluuia excitetur ad ventos cogitandos: ex ventis ad altissimos montes: ex montibus ad niues: ita prætergressa expergiscitur: atque experecta niuis postremo visę magis memor est quàm pluuiæ: vnde futurã prædicit niuem, non pluuiam. Quapropter oportet interpretem somniorum esse sagacissimum venatorem: vt sciat ex proximo vestigio recurrere ad remotum: ab illo rursus ad remotius aliud: ac videat quid apprime ex quoque sequatur, quousque ad primũ perueniat. Quod solemus in quotidianis sermonibus obseruare, quando ex vno sermone in aliũ, rursusque in aliũ transgressi, tandem sermonem primo propositum in prõptu nõ satis habemus. Tunc nouissima verba consideramus è quibus potissimum verbis sequi potuerint: & iterum ex quibus illa: donec prima planissime recolamus. Solertia venatoria,

velox

velox & versatile requirit ingenium: præsaga facultas, si modò perspicue debeat præuidere, pacatum atque quietum. Hæc tanquam repugnantia in eodem non facilè concurrunt. Ideo plurimum non iidem præsagi sunt perspicui, & interpretes: & sæpe qui præsagiunt, nesciunt quid præsagiant maximè: & qui interpretantur, velociter errant magis in præuidendo. Quod in Timæo significauit Plato, cum dixit alios esse vates, alios vatum interpretes. Sed vt ad rem redeamus: eorum somnia interprete indigent, qui propter cholericos & igneos spiritus curriculo phantasiæ currũt velocius. In quibus verò propter complexionem spirituum temperatam vel melancholicam phantasia incedit maturius, præuisę res firmiter inhærent memoriæ, neque nouis & variis imaginibus confunduntur: propterea horum præsagia interpretatione non indigent. Atque hæc sunt præsagia somniorum quæ religiosis illis conueniunt, qui diuinã hanc ædẽ admirantur & stupent qualia sibi obtigisse tradit Hippocrates: qui cum Democritum, qui insanire vulgo ferebatur, curaturus adiret, per quietem accepit à deo, non Democritum insanire, sed vulgus. Eadem ratione Socrates futurã Platonis excellentiam prædixit ex somnio. De his satis. Illis verò religiosis qui templi huius potius numen adorant: cũ per somnum quiescũt, id accidit, vt mens eorum diuinę cupida maiestatis pulsetur numine vehementer: & talis quædam menti illorum succurrat de deo cogitatio, qualem maxime solet vigilans affectare: puta sedem operationemque dei nosse desiderabat. Quiescenti rationi lux infinita inuisibilisque occurrit, quæ vbique tota & in seipsa sit, seque ipsam per se sine oculo videat. Hic si phantasia ad motum sit tardior, plana manet & perspicua notio: quam experrectus animus immaculatam, vt acceperat, hominibus aperit. Sin velocior sit: statim ipsa post rationem, vt solet, suum opus aggreditur. Volutat consuetas imagines: atque imitata pro viribus rationem, lucem fingit solis immensam, totam oculis omnium vbique micantẽ, & in seipsam perpetuo se circuitu reuoluentẽ. Hic ergo est opus interprete: qualis Ioseph fuit & Daniel, qui regia somnia interpretabantur. Hac diuinatione polluit Mercurius Trismegistus: quod eius liber de dei potentia & sapientia, è græca lingua in latinam à nobis

translatus ostendit. Hæc vaticinij species religiosis quidem (vt diximus) maxime conuenit. Aliis quoque nonnunquam
G si quando vel prouidentia aliqua, vel casus prosperitate iaceant sobrij, curisque vacui. Vnde Alexandro regi dormienti draco herbam monstrauit qua Ptolemęum curaret graviter vulneratum. Præcipuè verò prope ortum solis, sedata paulum vaporum externarumque curarũ turba, id accidit. Quanquam, quod vulgo fertur, matutina somnia esse verio ra, non ob id solum prouenit, quòd magis sobrij sumus (sępe enim sobrij dormitum accedimus, neque tamen tunc fiunt perspicuæ visiones) verum etiã ex eo, quòd & solis Phœbique vatis accessu vaticiniũ roboratur: & sanguinei igneique spiritus ea hora dominantes, claritate sua ad clarã conferunt visionem: & (quod videmus) quia statim expergiscimur, turbam imaginum consequentium nõ confundimus:
H Quæ de somno dicta sunt, his Orphei versibus confirmantur.

ἄγγελε μελλόντων, θνητοῖς χρησμωδὲ μέγιστε
ἡσυχίᾳ καὶ ὕπνῳ γλυκερῷσι γέλος ἐπέλθων
προσφωνῶν ψυχαῖς θνητῶν, νόον αὐτὸς ἐγείρῃς
κοὐ γνώμας μακάρων αὐτὸς καθ' ὕπνους ὑποπέμπῃς
σιγῶν σιγώσαις ψυχαῖς, μέλλοντα προφωρῶν
ὅσσιν ἐπ' εὐσεβίῃσι θεῶν, νόος ἐς ἄλλος ὁδεύῃ.

id est, Nuntie futurorum mortalibus vaticinator maxime, Accedis ad animas somni quiete demulctas: easque compellans suscitas mentem. Sententias numinum beatorum eis per somnum subinseris. Silens silentibus animis ventura prænuncias: his inquam animis, quorum mens diuino cultu rectissime vtitur.

I SAtis de ea vacatione animi quæ per somnũ fit, diximus. Sequitur vacatio quæ fit per syncopam id est, per casum corporis semiuiui: quando cordis defectu spiritus ad membra non mittuntur: & qui in membris sunt, retrahuntur ad cordis debilitati præsidium: quo in statu perinde vt
K in somno prouenit vaticinium.

Quo excelluisse Hercules dicitur, Arabesque permulti, qui comitiali morbo corripiebantur. Hinc Plutarchus in libro primo de anima, Enarchus, inquit, nuper ęgrotans, tanquam

iam mortuus à medicis fuit relictus: & breui tempore in seipsum postea reductus, dicebat se mortuũ fuisse: & in corpus iterum restitutum: nec eo morbo moriturũ: reprehensosque aiebat vehementer à domino suo eos spiritus: qui animam eius duxerunt. Ad Nichandam enim missos, non ad ipsum fuisse. Nichandas autem coriarius erat, & in palęstris non ignobilis: qui eo tempore quo Enarchus reuixit, in maximas incidit febres, ac repente mortuus est. Hic autem viuit: superstesque est, felicissime nobiscum manens.

TErtius vacationis modus fit ex melancholici humoris contractione, animam ab externis negociis seuocãtis: vt anima tam vacet homine vigilante, quàm solet dormiente quandoque vacare. Certè quemadmodum commodissimum instrumentum carere oportet motu proprio, ne forte quando faber mouere ipsum ad dextram statuit fabricando, ipsum interim feratur motu proprio ad sinistram: sic animum illum quo diuina prouidentia vti ad vaticiniũ statuit quasi aliquo instrumento, quietum esse necessarium est quales sunt melancholici sæpe. A

Sed & hi quando numine rapiuntur, tanto cæteris concitatiores fiunt, quanto corpora densa si accendantur, feruentius vrunt quàm corpora rara. Hac ratione Socrates, quem Aristoteles melancholicum iudicauit, dæmonis familiaris inspiratione multa præsentiebat: cuius rei testes sunt Plato, Xenophon, Antipater maximus, Apuleius. B

Siquidem Timarchus cum ab eo conuiuio discessisset vbi Socrates discumbebat, Socratis dæmone prohibente: inde ea perpetrauit, quorum causa est occisus. Charmides in Nemea certauit vetante Socrate: ac certasse pœnituit.

Critoni contra Socraticum consilium rusticanti ramulus aliquis percussit oculum. C

Idem etiam Socrates dum fugeret vnà cum aliis nonnullis impetum hostium: vt ventum est in triuium: eadem qua cæteri fugere noluit, quia deterrebatur à dæmone. Tum quidem ij qui alia via fugerant, in equitatum hostium inciderunt. Aristides & Thucydides aliique permulti quandiu Socrati propinquabant, etiam Socrate ipso tacente in philosophiæ studiis proficiebant quamplurimum dæmonis illi- D

us instinctu: & quanto longius recedebant à Socrate, tanto reddebantur ad philosophiam ineptiores. Idem cum morti propinquaret: vt scribit Xenophon, prædixit Anyto filium eius, qui tunc modestus videbatur, fore flagitiosissimum: atque ita euenit.

E EST & quartus à tẽperata complexione vacandi modus. Siquidem talis complexio nullum infert tumultum alicuius superantis humoris, qui ad vllam imaginem cõ moueat phantasiam. Sunt enim huiusmodi viri in affectibus suis & actibus moderati: ideo animo adeo tranquillo viuunt: vt etiam vigilantes supernis subiiciantur influxibus: quod Pherecydi syro, Pythagorę: Plotino dicitur contigisse. Plotinum præ cęteris admiror: qui (vt narrat discipulus eius Porphyrius) mores hominum, errata, euentus præsentiebat: & cum ipse Porphyrius seipsum interficere cogitaret, id ille perspexit diuinitus, atque prohibuit. Ob hanc rationem, vt

F scribit iunior Plinius, Curtio Ruffo dum africam obtineret & inclinato die spatiaretur in porticu, oblata est mulieris figura humana grandior, pulchriorque. Hæc prædixit eũ ventum Romam, honoresque gesturũ: atque etiam cũ summo imperio in eandem prouinciam reuersurũ: ibique moriturum. Factaque sunt omnia.

G QVinta vacatio fieri videtur à solitudine, vbi animus nullis humanorum negociorũ curis distractus, paulo vel numinum vel cælorum momento eadem quotidie cogitat, quæ cælestia numina cogitant facere: quod quidem Zoroaster magorum princeps solitudine viginti anno

H rum dicitur assecutus, vbi de omni diuinandi arte multa cõ scripsit & fecit. Similia operatum fuisse Orpheum in Thraciæ desertis, eius scripta Musæo declarant.

I SExta fit ab admiratione vacatio. Sibyllæ & Pithiæ sacerdotes cum secederent in Iouis aut Apollinis antrum, ibi numen ipsum adesse credebant, tanto admirationis venerationisque stupore de maiestate numinis cogitabant, vt sensus, phantasia, ratioque actus suos illico prętermitterent. Tunc mens soli exposita numini, siue deus ille fuerit, siue dę mon, supernos persentiebat nutus: eos præsertim qui ad ea negocia pertinebant, de quibus nuper deliberauerant. Simi-

liter affectum fuisse Cornelium sacerdotem Patauij tradit Aulus gellius. Et tales quosdam inducit Orpheus Corybantes. Hac vaticinij specie præcellebat Albicerius Carthaginē sis. Hic penè quicquid egisset quisque aut cogitauisset, affatu dæmonū respondebat. Huius diuinationibus sæpe se affuisse Aurelius Augustinus affirmat. K

SEptima & omnium præstantissima ea animi alienatio est, quæ fit castitate mentis deo deuotę: quemadmodum Orpheus in hymno deorum omnium Musæum docet. Talis quippe mens non ad tempus, vt aliæ, sed ferme semper pacatum est dei templum: cuius ostium (vt Ioannes inquit theologus) deus pulsat primum: quod statim apertum ingreditur: quod inhabitat sedulo: in quo hominem pascit ambrosia. Per hanc (vt refert Aurelius Augustinus) rusticus quidam suis temporibus secedebat à corpore, & vigilare se sciebat, dum tamen videret mira quædā oculis non corporeis. Per hanc Ioānes theologus omniū diuinissimus in Patmo vniuersum vidit ordinem seculorum. Per hanc Ezechiel campum ossibus mortuorum inspexit refertum, & ossa post modum resurgentia: per hanc Esaias deum sedentem à seraphim circundatum. Sed ij omnes, quemadmodum & somniantes, quicquid mente cernebant, phantasiæ velaminibus statim operiebant: ita vt visa mentis, phantasiæ vmbraculis obscurata, interprete indigerent. Concludamus iam per septem vaticinij species, tantam esse humanæ animæ aduersus materiam excellentiam, vt & domito & sopito & semiuiuo corpore, multo clarius videat, multoque præstantius operetur, quàm corpore operante: quasi ad magnifica quæuis efficienda subsidio corporis non indigeat. Vbi apparet quanta sit animæ cum cælestibus concordia: quanta cum deo cognatio: quæ quotiens in se redit, cælestium arcanorum & diuinæ fit prouidentiæ particeps. L M

Tertium signum, ab artium & gubernationis industria. Cap. 3.

CAEtera animalia vel absque arte viuunt, vel singula vna quadam arte, ad cuius vsum non ipsa se conferunt, sed fatali lege trahuntur. Cuius signum est, quòd ad N

operis fabricandi industriam nihil proficiunt tempore: contrà homines artium innumerabilium inuentores sunt, quas suo exequuntur arbitrio. Quod significatur ex eo, quod singuli multas exercent artes: mutant: & diuturno vsu fiunt solertiores. Et quod mirabile est, humanæ artes fabricant per seipsas quæcunque fabricat ipsa natura: quasi non serui simus naturæ, sed æmuli. Vuas ita pinxit Zeuxis, vt aues ad eas aduolarent. Apelles equam ita pinxit & canem, vt prætereuntes equi hinnirent, latrarent canes. Praxiteles in quodam Indorum templo Venerem marmore adeò venustam expressit, vt vix à libidinosis transeuntium conspectibus tuta & pudica seruaretur. Archytas tarentinus columbam è ligno mathematica disciplina fecit, librauit, inflauit spiritu, à deo vt volaret. AEgyptij, vt tradit Mercurius, deorum statuas constituebant tales, vt loquerentur & irent. Archimedes Syracusanus æneum cælum fecit, in quo omnes septem planetarum motus verissime conficiebantur vt in cælo, & ipsum voluebatur vt cælum. Mitto Aegyptiorum pyramides, Romanorum Græcorumque edificia, metallorum officinas: & vitri. Denique homo omnia diuinæ natura opera imitatur: & naturæ inferioris opera perficit, corrigit & emendat. Similis ergo ferme vis hominis est naturæ diuinę: quandoquidem homo perseipsum id est, per suum consilium atque artem regit seipsum, à corporalis naturæ limitibus minime circunscriptum: & singula naturę altioris opera æmulatur. Et tanto minus quàm bruta naturæ inferioris eget subsidio, quanto pauciora corporis munimenta sortitus est à natura quàm bruta: sed ipsemet illa sua copia constituit alimenta: vestes: stramenta: habitacula: supellectilia: arma. Ideo cum ipse sua facultate se fulciat, fulcit vberius quã bestias ipsa natura. Hinc proficiscitur inenarrabilis varietas voluptatum hos quinque sensus corporis oblectantiũ, quas ipsimet nobis proprio ingenio machinamur: Bruta breuissimis naturæ claustris concluduntur. Non solum ad corporis necessitatem noster animus respicit, sicut bestiæ naturæ imperio mancipatæ: sed ad oblectamenta sensuũ varia quasi quædam pabula phantasiæ. Neque solum per varia blandimenta ipsi phantasiæ animus adulatur, dum quasi per iocum diuersis ludis delenit quotidie phantasiam: verum eti-

tiam agit interdum cogitatrix ratio serius: & suæ prolis pro pagandæ cupida emicat foras: & quanto polleat ingenio, euidenter ostentat per variam lanificiorum sericiq́ue texturam, picturas, sculpturas, & ædificia. In quibus componendis sæpe nullum corporis respicit commodum, nullum sensuum blandimentum, cum aliquando sponte ex iis incommodum & molestiam patiatur: sed facundiæ suæ amplificationem, approbationemq́ue virtutis. In iis artificiis animaduertere licet, quemadmodum homo & omnes & vndiq́ue tractat mundi materias: quasi homini omnes subiiciantur. Tractat inquam elementa, lapides, metalla, & plantas, & animalia, & in multas traducit formas atque figuras: quod nunquam bestiæ faciunt. Neque vno est elemento contentus, aut quibusdam, vt bruta, sed vtitur omnibus: quasi sit omnium dominus. Terram calcat: sulcat aquam: altissimis turribus conscendit in aërẽ, vt pennas Dædali vel Icari prętermittam. Accendit ignem, & foco familiariter vtitur & delectatur pręcipue ipse solus. Merito cælesti elemento solum cæleste animal delectatur. Cælesti virtute ascendit cælum, atque metitur. Supercælesti mente transcendit cęlum. Nec vtitur tantum elementis homo, sed ornat, quod nullũ facit brutorum. Quam mirabilis per omnem orbem terræ cultura? Quam stupenda ædificiorum structura & vrbium? Irrigatio aquarum quam artificiosa? Vicem gerit dei, qui omnia elementa habitat, colitq́ue omnia: & terræ pręsens, non abest ab æthere. Atqui non modo elementis, verum etiam elementorum animalibus vtitur omnibus: terrenis, aquatilibus, volatilibus, ad escam, commoditatem, & voluptatem. Supernis cælestibusq́ue ad doctrinã, magicæq́ue miracula. Nec vtitur brutis solum, sed & imperat. Fieri quidẽ potest, vt armis quibusdã à natura acceptis bruta nonnulla quandoque vel impetum in hominem faciant, vel hominis effugiant impetum: homo autem acceptis à seipso armis, & vitat ferarum impetus, & fugat & domat. Quis vidit vnquam homines vllos sub bestiarum imperio detineri, quem admodum vbique videmus tam immanissimarum ferarum quàm mitium armenta per omnem vitam parere hominibus? Non imperat bestiis homo crudeliter tantum: sed gubernat etiam illas, fouet & docet. Vniuersalis proui-

dentia, dei, qui est vniuersalis causa, propria est. Homo igitur qui vniuersaliter cunctis & viuentibus & non viuentibus prouidet: est quidam deus. Deus est proculdubio animalium: qui vtitur omnibus, imperat cunctis, instruit plurima. Deum quoque esse constitit elementorum, qui habitat colitque omnia. Deum denique omnium materiarum: qui tractat omnes, vertit, & format. Qui tot tantisque in rebus corpori dominatur, & immortalis dei gerit vicem: est proculdubio immortalis. Sed artes huiusmodi licet materiam mundi figurent, & animalibus imperant, atque ita deum naturæ artificem imitentur: sunt tamen artibus illis inferiores, quæ regnum imitatæ diuinum, humanæ gubernationis suscipiunt curam. Singula bruta vix ad sui ipsius vel breuem natorum curam sufficiunt: homo autē vnus tanta abundat perfectione, vt sibiipsi imperet primum, quod bestiæ nullæ faciunt: gubernet deinde familiam: administret rempub. regat gentes: & toti imperat orbi. Et quasi qui ad regnandum sit natus, est omnino seruitutis impatiens. Adde quod boni publici gratia subit mortem, quod bruta non agunt: vtpote qui singula hæc mortalia despicit bona, communis æternique boni firmitati confisus. Cæterum ad præsentem vitam artes huiusmodi pertinere alicui forsitan videbuntur: quanuis non sit tanta cura ad vitam præsentē necessaria, sed spectet potius ad diuinitatis prouidentiam imitandam. Consideremus igitur artes illas quæ non modo corporali victui necessariæ non sunt, sed plurimum noxiæ, quales sunt omnes scientiæ liberales: quarum studia corpus eneruant, & vitæ impediunt commoda: Subtilis computatio numerorū, figurarum curiosa descriptio, linearū obscurissimi motus, superstitiosa musicæ consonantia, astrorum obseruatio diuturna, naturalium inquisitio causarum, diuturnorum inuestigatio, oratorum facundia, poetarūque furores. In iis omnibus animus hominis corporis despicit ministerium: vtpote qui quandoque possit, & iam nunc incipiat sine corporis auxilio viuere. Vnum illud est in primis animaduertendum quòd artificis solertis opus artificiose constructum non potest quilibet qua ratione quove modo sit constructū discernere, sed solum qui eodem pollet artis ingenio. Nemo enim discerneret qua via Archimedes sphæras constituit æneas,

eisque motus motibus cælestibus similes tradidit, nisi simili esset ingenio præditus. Et qui propter ingenij similitudinem discernit, is certe posset easdem constituere, postquam agnouit: modo non deesset materia. Cum igitur homo cælorum ordinẽ vnde moueantur, quò progrediantur, & quibus mensuris, quidve pariant, viderit: quis neget eum esse in genio (vt ita loquar) penè eodem quo & auctor ille cęlorũ? ac posse quodammodo cælos facere, si instrumenta nactus fuerit, materiamque cælestem, postquã facit eos nunc, licet ex alia materia, tamen persimiles ordine. H

Quatuor hominis dotes in artibus.

IN humanis artibus quatuor animi nostri emicant dotes excellentissimæ: facilitas ad percipiendũ velocissima: memoria amplissima, ac penitus indelebilis: sagacissima prædictio futurorum: verborum vsus innumerabilium. Quam diuinum putas in Homero viguisse acumen, qui & cęcus & inops tot & tanta percepit, tam egregie cecinit: vt cunctas in eum tum humanas tum diuinas artes Plato asserat concurrisse. Quam diuinũ in Didymo alexandrino, quem scribit Hieronymus à pueritia excæcatum, postea tamen dialecticen, phisicen, theologiã præ cæteris ebibisse: &, quod mirum est, geometram euasisse mirabilem: & geometricas figuras describere solitum & docere, egregia quoque theologiæ opera condidisse. Diuinum certè iis lumen ea nascentibus infudit, & quærentibus reuelauit quæ impossibile fuisset humanis studiis inuenire. Etsi Plato Aristotelesque in libris ciuilium institutionũ scribunt regiones alias aliis esse exercendo ingenio aptiores, compertum tamen habemus, non in oriente solum atque meridie, sed etiam in occidente septentrioneque & complurimos homines, & frequenter in qualibet arte mirifice claruisse. Si regionum seculorumque diuersitas diuersitatem maximam necessario efficit in corporum habitu, in ingeniis verò minimã, & hanc ipsam consilio studioque corrigimus: quis non videat ingeniũ hominis natura sua locis & temporibus non esse subiectũ? Sequitur indelebilis illa memoria: qua excelluerunt quãplurimi. Mithridates duarum ac viginti gentium rex singulis absque I K L M

interprete ius dicebat. Cyrus & Lucius Scipio omnium suorum ciuium sciebat nomina. Fabius maximus & Lucullus omnes omnium gentium historias memoria tenebãt. Seneca inquit se duo millia nominum recitata eodẽ ordine reddidisse: ducentos quoque versus à discipulis pronunciatos se ordine retrogrado recitasse. Scribit Augustinus fuisse quendam suis temporibus qui multa legerat, neque aliquid vnquam eorum quę legerat, oblitus fuerat. Fuisse Romæ alium qui comœdiam totam, dum recitaretur, mandauit memoriæ tot tantarumque rerum capacitas, tanta in iis quæ sunt accepta: stabilitas, angusto cerebri angulo comprehendi, & fluxa eius labilique materia seruari non potest, sed amplissimo eget stabilissimoque diuini animi receptaculo.

Est & futurorum prædictio illa, qua pollebant Chaldęi &
A Aegyptij mathematici. Certè illa substantia in futuro non deficit, cuius pręsaga virtus ita totum futurum anticipat, sicut memor potentia totum præteritum recolit. Est autem substantia hęc æterna quæ in æternum momentum colligit labilia temporũ interualla. Postremo loquendi vsus atque scribendi homini proprius, diuinam quandam indicat nobis inesse mentẽ, qua careãt bestię. Absque sermone ita nos possemus viuere sicut & bestiæ & homines muti. Ideo ad excellentius aliquod opus est nobis sermo tributus: videlicet tanquam mentis interpres, infinitorum inuentorum
B præco, & nuncius infinitus. Neque somniet Epicurus, bestias sicut & nos ratione pollere, verum deesse illis sermonis & manuum vsum, per quem intus latentem extrà significent rationem: quoniam natura in rebus necessariis non deficit, superfluis non abundat. Arboribus non dedit pedes, non brachia. Terrenum enim illarum corpus solo fixum, vbique terrea alitur alimonia. Brutorum corporibus tanquã minus terrenis, non omnis terreus cibus est vbique sufficiens: ideo ad quærendum commodius alimentum pedibus sunt instructa. Phantasia illorum paucos aliquos & confusos conceptus habet, & ad vsum duntaxat corporis necessarios, qui mugitu, latratu, hinnitu, garritu, gannitu, fremitu seu nutibus sufficienter exprimi possunt. Verum mens hominis infinitarũ distinctarumque inuentrix rerum, vsu sermonis innumerabilis suffulta est, quasi quodam digno eius

interprete : manibus quoque munita tanquam aptissimis instrumentis ad inuenta mentis innumerabilia fabricanda: quæ quidem instrumenta natura eadem dedisset & bestiis, si illis inesset artifex idem interior talibus instrumentis vsurus . Ergo tot concipit mens in seipsa intelligendo quot deus intelligendo facit in mundo . Totidem loquendo exprimit &in aëre.Totidem calamo scribit in chartis. Totidem fabricando in materia mundi figurat.Quapropter dementem esse illum constat, qui negauerit animam quæ in artibus & gubernationibus est emula dei,esse diuinam.

Quartum signum ab effectu miraculorum. Cap. 4.

NOn solum verò in formanda & figuranda per rationem artis materia , sicut diximus , mens humana ius sibi diuinum vendicat: verum etiam in speciebus rerum per imperium transmutandis:quod quidem opus miraculum appellatur:non quia præter naturam sit nostræ animæ,quando dei fit instrumentum : sed quia cum magnum quiddam sit,& fiat raro,parit admirationem.Hinc admiramur:quòd animæ hominum deo deditæ imperent elementis:citent ventos: nubes cogant in pluuias:nebulas pellant: humanorum corporum curent morbos,& reliqua quæ palàm facta fuisse quibusdã seculis apud varias nationes poëtę canunt, narrant historici: nõ negant excellentissimi quique philosophi nostri,præsertim Platonici:testantur theologi veteres,Mercuri⁹ in primis & Orpheus:posteriores quoque theologi verbo & opere comprobarunt.Miraberis forsitan si miraculorum rationes exquiram.Sed audi.In primo libro disputatum est,essentiam tertiam esse sub angelo , & super totam mundi materiam:à numine formari, formare materiam:accipere quidem formas spiritales à numine,dare verò materiæ corporales.In tertio quoque libro constitit essentiam tertiam nihil esse aliud quàm rationales animas tam nostras quàm nostris superiores . Hinc efficitur apud Platonicos sectatoresq; Auicennæ,vt omnis rationalis anima per essentiã suam atque potentiã super totã sit mundi materiam : totam mouere possit atque formare , videlicet quando ad hæc dei fit instrumentum.

E Veruntamen talis est ordo rerū. Habent omnes animæ rationales (vt diximus) intellectuale caput rationale mediū: infimum verò viuificum. Media hæc vis est animæ proprietas. Vis autem intellectualis est radius quidam superioris intellectus demissus in animam, & in superiorem intellectum iterum se reflectens. Vis quoque viuifica actus est animæ redundans in corpus, & inde resultans in animā: sicut lumen solis in nube secundum proprietatem suam splendor est: vt solem respicit, radius: vt nubē implet, est pallor. Intellectus intelligibile suspicit: & circa ipsum intelligibile permanet in seipso. Ratio currit: sed in seipsā. Viuifica vis infra se currit vsque ad aliud, dū implet corpus. Quoniā vero per hanc infimā sui partē siue vmbrā, animæ longissimè à sua dignitate discedunt, corporibus propinquantes: factū est vt vires huiusmodi rectrices corporum remissa quodammodo vel intermissa amplitudine illa dominationis quam anima super vniuersitatem corporum possidet, singulæ sint singulis distributæ corporibus: quibus astrictæ dum sunt, propriam suorum corporum agunt curā, ac ferme negligunt aliena.

F Quid eas corporibus alligat? Vt Plato vult, amor, id est, vitę exuberantis affectus ad proxima sibi viuificāda procliuior. Diuersis autem animarum rationalium speciebus proximę sunt diuersæ corporum species. Hinc fieri vult, vt aliæ rationales animæ cum aliis corporibus conspirauerint, aliæ cum sphæris, aliæ cum syderibus, cum aliis aliæ. Denique aliæ cū corporibus hominum. Atque ex certis quibusdam seminū intimorum dispositionibus à prouidentia constitutis, aliæ humanæ animæ aliis humanis corporibus regendis magis conueniunt. Et vt summatim dicam: cuiusque animæ rationalis vis illa viuifica quoniam ad tertiam essentiam pertinet, æquam vim habet ad corpora quælibet: sed per amatorium quendam instinctū corporibus aliis aliæ sese mouendis accommodant: conferente ad hoc videlicet tēperatione diuina: & vno quodā instinctu cessante, vis illa viuifica euadit libera, vt nouo affecta instinctu, corpus aliud quodāmodo regat & moueat. Si pars hæc infima naturas omnes corporū superat: multo magis media atque summa. Suprema, id est mēs, vsq; adeo supereminet, vt nihil vnquā sapiat corporale, diuinorū duntaxat auida, stabilis à natura, intelligen

tia subita. Media, id est ratiocinandi facultas, eminet quidē & ipsa magis quàm infima: & nunc quidem (vt diximus aliàs) ascendit in mentem, quando susceptis à mente principiis demonstrandi, vniuersales rerum naturalium rationes inquirit argumentando. Nunc autem ad viuificam declinat potentiā, quando credit phantasiæ, auscultat sensibus, blanditur & corpori. Ascendit autem in mentem supernorū capiendorum amore. descendit in potentiam infimam amore inferiorum gubernandorum. Merito cum sit vtrorumque media, diligit vtraque: & tanquam eminentior quam infima, dum infima corpus vnum regit solū, ipsa plura mouet atque gubernat. Nam dum rectrix facultas corporis tuū solum alit corpus, perque sensum & concupiscentiā seruit tui corporis alimonię: ratio tua & tui corporis agit curam, & aliorū: atque in externa materia fabricat artificia. Hæc quoque cum æque valeat quaslibet tractare materias, aliis tamen tēporibus alias, quocunque rapit amor, tractandas aggreditur. Cessante amore per quem sculpit lapidem, statuā dimittit subito. Trahente amore ad vasa fictilia, aggreditur figulinā. Quando de tractandis corporibus loquimur, mentem illam corporum penitus contemptricem parūper intermittimus, de ratione magis & rectrice potentia loquimur. Hæ vtique ambæ licet ad quælibet mundi corpora propter communem naturam essentiæ tertiæ parem vim habeant, in illud tamen agunt potissimum, in quod magis afficiuntur: diuina illa seminum temperatione non prohibente. Affectus animorum illorum qui supra nos sunt, stabiliores sunt nostris: atque eundem semper retexunt ordinem, consueto semper tenore progredientes: quoniam in illis tam suprema vis quàm media sursum vergit, contemplationi incumbens æternæ. Sola vis infima opera variat: sed vicissitudines agit, & illas quidem ordinatissimas: ita vt in ipsa etiā mutatione videatur esse stabilitas, dum idē obseruatur tenor, eademque similiter retexuntur. Sed vtcunque fit: formę rerum tribus animorum illorum viribus insitæ causæ sunt formarum, quæ in mundanis corporibus exprimuntur. Atque, vt ita dicam, fatales imaginationes quę gradatim idolis animorum illorum suboriuntur: quasi prægnantium mulierum affectus vehementissimi, quicquid sibi fingunt in sphę

ris suis sequentibusque tanquam fœtibus exprimunt. Nostra quoque anima erga corpus hoc affecta, secundum suorum seminum ordinem corpus hoc ex ipsa vi corporis rectrice figurat. Quid huic corpori præstat certa quatuor humorum complexionem, quid faciei colores & lineamenta, nisi anima? Anima quoque contra naturam corporis ponderosi ipsum agit sursum: & quatuor inuicem vincit contraria: neque miraculum hoc miratur quisquam. Quantum verò vis eadem per phantasiam valeat in formando vehementioribus affectibus corpore, in superioribus diximus. Siquidem pro affectuum diuersitate diuersas qualitates producit in membris: ira, calorem, rubedinem, amarumque saporẽ, & alui fluxum: timore, frigus atque pallorem? mœrore, sudoris humorem, albedinemque ceruleam: anxietate, siccitatem atque nigredinem. Harum profecto qualitatum ipsi animi affectus auctores sunt: quia sæpe ad tales aliquas qualitates mouent priori nostræ complexioni contrarias. Atque, vt Hippocrates docet & Galenus, inueteratus affectus priorem mutat corporis complexionem, & in suam trahit naturam. Hoc agit phantasia. Quid autem ratio in artibus & gubernationibus operetur, alias declarauimus. Proinde quid à rectrice corporis potẽtia in proprio corpore fiat per virtutem viuificam, & affectus illi seruientes: hic explanauimus. Fit insuper ab ea nonnihil in corporibus alienis quæ sibi propinquant: quandoque per naturalem calorem concoquit cibos, calefacitque rangentes. Anima quoque matèna in corpus alienũ agit, quando nutrit fœtus in aluo: quod quidem explet ex continuatis vinculis quibus fœtus materno corpori alligatur. Neque propinquum duntaxat corpus format, sed quandoque & remotum. Iacto siquidem à viro semine in matricem, & diu postea viro absente, virtus formatrix relicta in semine viget ibi, & vicem paternæ animæ gerit in semine, corpusque effingit humanum: ceu cũ quis lapidem iacit procul: virtus expultrix lapidi immissa à iacente, quandiu regnat in lapidem, tam diu lapidem pellit, ea sicet aëris plaga, & ad illud signum, qua & ad quod iactor ille direxerat. Si pars animæ regendo corpori accommodata, per viuificam vim aliquid operatur in corpus alienum atque remotum: cur non etiam per vim sensitiuã hac emi-

B

nentiorem, per affectus scilicet phantasię? Ergo phantasia in
star virtutis viuificæ format & ipsa proprium corpus, vt di-
ximus, quotiens actioribus affectibus agitatur. Format e- C
tiam fascinationibus & maleficiis alienũ. Neque mirũ est
animam facere talia affectibus suis, si herbæ quædam faci-
unt aut lapides suis vaporibus, cælestibus tamen animis as-
pirantibus. Neque deest animæ continuatio mediorum per
quæ in alienum corpus transigat actionem. Quippe vene-
fici hominis phantasia infensa infantis teneriori corpuscu-
lo, febrem affectat puero. Imaginatio febris spiritus febri-
les vibrat, id est, cholericos, sicut imaginatio coitus semina-
les spiritus, ad genitalia membra. Cholericus & febrifer spi-
ritus ille percussus vapores fœtidos atque febriferos siqui
in venefici hominis corpore sunt, excitat. Hi cum primũ
incitati sunt, vna cum spiritu proruunt illuc tanquam sagit-
tæ, quò malefica phantasia quasi ad signum intenderat. Ma-
ximè verò ex oculis emicant senioris, perque oculos pueri
transeunt tanquam ex vitreis materiis perque materias vi-
treas radij: spirituque inficiunt pueri & humores. Ad hæc D
autem maleficia illi sunt omnium potentissimi, quibus na-
scentibus Saturni malignus aspectus, semenque parentum
terrestre, ac victus persimilis complexionem conflarunt fœ
tidis vaporibus abundantẽ, & melancholicam. Pręterea sæ- E
ua Martis potentia bilis igniculos subdit. Hi quando in se-
nio sunt, ætate terrestri & melancholica, morosi sunt valde:
& cuicunque contigerit, acerrime irascuntur, animoque in-
fensissimo execrantur. Phantasiam certè propter humorem
terreum stabilius efficaciusque suis votis affigunt. Hic hu-
mor accensus & vrit vehementissime, & extinguitur sero:
tanquam ignis in crassioribus lignis & duriori materia.
Vapores quoque non desunt maligni, per quos quasi sagit-
tas venenum in aduersarium iaculentur. Miraris corpus v-
nius ab animo alterius inquinari? At non miraris ani-
mum lædi ab animo, dum per consuetudinem vicia alie-
na combibimus. Non miraris corpus tuum à vapore al-
terius corporis morbosi facilè infici: quod phthisis, epi-
dimia, lepra, pruritus, dysenteria, pleuresis, oculorum- F
que rubor indicant. Apud AEsperios AEthiopias fuisse tra-
ditur bestias: nomine catopblepas, quæ solo aspectu homi-

nes interimerent: quod & apud Cyrenem faciunt basiliſci. Tanta eſt vis in vaporibus oculorū. Cur minus ſubiiciatur corpus tuū alterius animo, quàm alterius corpori? Cur non magis potius: cum ſit potentior animus, neque deſint media per quæ agat? Quod facere conſueuiſſe homines quoſdam in Illyriis & Triballis legimus: qui cum eſſent irati, ſi diutius attentiuſque intuebantur hominē, perimebant: qui & geminas habebant pupillas in oculis. Idem quoque feciſſe fœminas nonnullas in Scythia. Tanta eſt imaginationis potentia: præſertim quando affectibus animi vapores oculorum ſubſeruiunt. Auget enim vim attentio illa mirabilis phantaſiæ non minus quàm ſtruthij oculus defixus ad onum. Vno ſiquidē affectu ferueſcente tepeſcit alter. Ideo in maleficæ phantaſiæ intentione remittitur pauliſper affectus animæ naturalis, per quem ſuo corpori deuincitur: vnde à ſuo corpore facta liberior, materiam nouam in quam nuper afficitur, quaſi recenſaliquod ſuū corpus incipit trāſmutare. Si tantam habet vim malefica phantaſia, quantam putas habituram beneficam rationem? ſaltem duplo maiorem. Et quia ratio ſuperat phantaſiam, & bonitas malum: igitur ratio quando ad beneficium aliquod tota animi erga deum intentione defigitur, nonnunquam corpus illud erga quod eſt affecta, afficit beneficio tam proprium quam alienum. Hoc munere excellunt illi (vt eſt apud Platonicos) qui diuino quodam beneficio præ cæteris complexione tēperata cæleſtique ſunt præditi, necnon puris & modicis nutriti cibis, honeſtis prēterea diuiniſque moribus educati. Hi medici ſēpe ſunt generis humani: & corpori cui cupiunt bona, ſi directi prorſus in deum piis votis ardenter exoptant: illico præſtant, præſertim ſi hominis beneficium accepturi animus ſit paratus. Hinc Zoroaſter inquit.

ἐκτείνας πυρινὸν νοῦν ἔργον,
ἐπευσεβίκης, ἔχεις ἐν ἡμῖν σῶμα σαώσεις.

id eſt, Si mentem ardentem ad opus pietatis intenderis, labile corpus ſeruabis. Talia quædā miracula facta ab Apolliono Tyaneo philoſopho narrat Philoſtratus. Rurſus à Pythagora, Empedocle & Philolao ſimilia quędam geſta Pythagorei multi affirmant. Scribit inſuper Iāblichus, Pythagoricos,

goricos: quotiens narrarentur miracula, facile solitos credere illa à deo per diuinas animas fieri. Atque in rebus huiusmodi hæc Lini carmina semper habuisse in ore. K

ἐλπιστὰ χρὴ πάντ', ἐπὶ ὃν ἐς, ἀδὲν ἄπιστον.
ῥᾴδια πάντα θεῷ τελέσαι, καὶ ἀδύνατον ἀδέν.

id est, Credenda sunt omnia, nihil enim est incredibile. Facilia deo omnia sunt: nihil est impossibile. Sed redeamus ad illos iam animos, per quos deus quasi per instrumenta miracula perficit. Quid confert illis ad hanc excellentiam habitudo corporis temperata? Vt ratio illorum sit expeditior, nullo excedentium humorum turbata tumultu. Quid modicus purusque victus? Vt non sit anima corporis sui sarcina prægrauata. Quid educatio illa honesta atque pia? Vt & optet hominibus bona: & tanquam deo quodammodo similisadiuuetur à deo, immo tanquam instrumentum à deo ducatur. Denique cum ratio sit eminentior phantasia, quando ipsa dedita deo tota ad vnum hoc opus beneficij conferendi dirigatur, remittitur admodum naturalis ille prior affectus animi quo proprio corpori copulatur, & ab eo soluta agit in alienum. Potest enim facilè ad hæc tanquam instrumentum à deo duci, cum natura sit super corpora omnia: quanuis affectus olim aliquis ad vnius gubernationem rapuerit: non aliter ac si sapientissimus rex potentissimusque cuius prouidentiæ & ditioni subsint omnes pariter amplissimi regni partes: reliquas negligat ad tempus, partis alicuius amœnitate pellectus: sed amore aliquando partis illius deferuescente, se ad alias conferat gubernandas. Mysteria hæc Plato noster omnia tetigisse videtur, tyrãnidem quidem illam phantasiæ, & hoc rursum piæ rationis imperium in Timæo, vbi de vi animæ in corpus disseruit: in Phædro autem mirabilius quiddam innuit, cũ inquit omnem animam vniuersi corporis curam habere: atque animam nostram quando libera est, totum pererrare cælum, mundumque vna cũ cælestibus animis gubernare, aliàs in aliis figuris circuneuntem. Quando verò sit talis, aperuit in Epinomide, vbi affirmauit necessitatem mentis atque animæ menti coniunctæ necessitatem omnẽ exuperare, ac tale omne decretum esse fatale. Quinetiam in decimo de iusto,

intellectualem animam appellauit necessitatem: inter cuius genua sit fusus aliquis circa quem sphæræ mũdi voluantur. Quorsum hæc? Vt intelligamus fieri posse quandoque, vt hominis anima, tota rationis intentione in mentem caputque suum vertatur: sicut quãdoque vertitur in phantasiam, vt diximus iam, & rationem. Quis nam animus hæc agit? Qui phantasiam iubet silere: ac etiam superni numinis desiderio flagrans, consuetis rationis naturalis discursibus nõ confidit: sola viuit mente: euadit angelus: & toto capit pectore deum. Hæc significat Zoroaster, vbi sic inquit:

B ψυχὴ ἀνθρώπων, θεὸν ἄγχι πως ἐς ἑαυτὴν
οὐσίην θνητὸν ἔχοσα, ὅλη θεὸν ἔνδον μεμέθυσται
ἁρμονίας αὐχεῖ χαίρ', ὑφ' ἣ πίλει σῶμα βρότειον.

id est, Anima hominum deum quodammodo contrahit in seipsam, quando nihil retinens mortale, tota diuinis haustibus ebriatur. Tunc quoque exultat in corporis harmoniã. Huiusmodi animum diui Ioannis theologia nasci iterum dicit ex deo. Siquidem dei summi influxus per mentes angelicas vsque ad animam hominis defluens, instigat quotidie animam corpori immersam, vt exuta carneam testam, ponat potentias operationesque animales, & pro anima fiat angelus: quemadmodum radius solis vapores tenuat, trahitque sursum, & in igneam conuertit naturam. Qui huic inspirationi totum se committit, cessat esse anima, fitque deo regenerante dei filius, angelus. Idcirco Plato theologos appellauit dei filios in Timæo. Si anima natura sua excedit mundi machinam, perque vires inferiores mira operatur in corporibus etiam alienis: quid illam putamus acturã quando in caput surrexerit suũ, euaseritq; angelica? Quod oportet fieri posse quandoque, postquam blandimentis sensuum fit sæpe brutalis: & inspiratio dei esse non debet vanior, quã sensuum blandimenta. Tunc igitur non vnum quendã amplius aut tenerum fascinabit, aut sanabit hominem ægrotantem, sed sphæris imperabit elementorum. Quandiu corpori huic addicta est, parui huiusmundi elementa id est, humores quatuor agitat, eisque calorem, frigus, humorem, siccitatem, colores omnes saporesque inducit: vt supra patuit tum in actu vitali, tum in affectibus phantasiæ. Ideo quan-

do soluta ab hoc, emergit in amplũ, deo iam plena, animalis huius grandioris humores, id est, quatuor elementa maioris mundi mouet vt sua. Siquidem iam quasi euasit anima mundi, eius videlicet mundi partis; erga quam afficitur maximé. Ac sicut eadem hominis anima quæ cubitale infantis corpusculum rexerat, regit bicubitum æquè & tricubitum, ac deinde quatuor cubitorum, & decem rursus, vt dicitur de gigantibus: ita si vsque ad centum creuerit & ducentos, æquè reget. Quod enim naturæ ordine & dignitate omnem molem corporis antecedit, non minus totam ipsam molem quàm molis partem implere potest, atque mouere. Si vim ab ipso deo videlicet habet viuifica vis rationalis animæ in mundi sphæras, vim quoque habet in eas rationis ac mentis affectus. Solo igitur affectu citabit ventos deo duce, ac cęlo nubes inducet sereno, easque coget in pluuias. Rursus sedabit ventos, & aërem serenabit. Quod quidem posse fieri, factumve fuisse, Hippocrates Cous, theologi Mauri & Arabes confitentur, Maurorum princeps Auicebron, Arabum Auicenna. Mitto quot elementorum turbationes procellasque tum ex dæmonum conflictationibus, tum ex casibus animarum in corpora sæpe contingere AEgyptij Platonicique arbitrentur. qua quidem de re Plutarchus & Porphyrius & Proculus diligentissime disputant. Platonis certe, Platonicorumque sententia est, à cælo ad terram vsque in sphęris omnibus alias plagas numinibus aliis ab initio distributas ita fuisse, vt quando in regione terræ certis dicata numinibus, dispositio ad ipsa numina vel per supernos influxus, vel per animorum affectiones præcipuè augetur, miracula sæpe talibus numinibus congrua, vel per se, vel per animas ibidem ab eisdem numinibus occupatas efficiantur. Sed de iisalias. Magicam quandam in præsentia sententiam referamus. Putant Chaldæi posse insuper aliud quiddam ab anima mirabile fieri, vt scilicet radiis effusis in corpus suum, ipsum lumine circundat, & radiorum leuitate tollat in altum.

Quod in seipso feciisse patrem eorum Zoroastrem nonnulli referunt. Ego verò siqua huius miraculi ratio assignari potest, talẽ forsitã esse opinor. Prima lux in deo est: atq; ibi est talis, vt supemineat intellectũ: ideoq; nõ potest lux in-

telligibilis appellari Sed lux illa dei cũ infũditur angelo, fit eueſtigio lux intellectualis,atq; intelligi poteſt. Quãdo infunditur animæ,fit rationalis:ac poteſt nõ intelligi ſolũ,ſed etiã cogitari. Inde migrat in animæ idolũ: vbi fit ſenſitiua: nõdum tamen corporea. Inde in æthereum vehiculũ idoli: vbi fit corporalis:nondum tamen manifeſte ſenſibilis. Denique in corpus elementale,ſiue ſimplex aëreũque,ſiue cõpoſitum,quod eſt ætherei vaſculum: in quo euadit manifeſte viſibilis. Atque ego hanc eſſe puto catenam illam aureaam quam vidit Homerus à cęlo pendentem,& in terras vſque demiſſam: qua apprehenſa homines ſeſe poſſint in cælos attollere. Profectò tanta luce diuinitus abundant cælestes animæ,vt ingens inde in corpus earum redundet copia luminis,quod videmus in ſtellis, ſiquando anima hominis ita figat aciem ſuam in deũ, diuinoque lumine impleatur, rapiaturque:vt ille tunc æque corruſcat:& in vehiculum ſuum radios effundit vberrimos:perque vehiculum & corpus aëreum,in corpus hoc oculis manifeſtum. Quod tunc pleniſſima illa copia radiorum effulget, rareſcit, attollitur, æthereo ad hoc conferente vehiculo,corporeque aëreo,quaſi ſtuppa eleuata per flammam. Tali quodã igneo curru Magi atque Platonici Eliam Paulumque raptos in cęlum fuiſſe dicerent:ac demum poſt mundi iudicium, corpus quod noſtri glorificatum nominant,ſimiliter raptum iri. Ideo ſic

G H præcipit Zoroaſter.

ὅπι ψυχὴ πῦρ μυγάμει πατρὸς ἔσα φαεινόν
ἤγεισθω ψυχῆς βαθὸς ἄμβροτον, ὄμματα λάβρδην
πάντ' ἐκπίτασον ἄνω
μὴ δὲ τὸ τῆς ὕλης σκύβαλον κρημνῶ καταλήφης.

id eſt. Quoniam anima per potentiam patris fit ignis ſplendidus, dominetur in te immortalis profunditas animæ: & oculos omnes vna tolle in altum, Tunc neque etiam materiale ipſum corpus præcipitio derelinquens. Ignem appellat lucem ſuam qua & exuberat deus per ſe, & anima per vim patris conuerſa in patrem abundat. Et quia deus eſt ipſa vnitas ſuper mentem,& centrum eſſentiarum ſuper eſſentiam, ideóque non vnitur illi per mentem propriè, ſed per vnitatem animæ,quæ eſt mentis caput, centrumque totius ani-

mæ:idcirco dicit Zoroaſter:Ducat te animę pfunditas immortalis id eſt, vnitas ipſa quam impreſſit quondam Deus animæ tanquam vnitatis diuinæ characterem: à qua & ad quam omnes aliæ vires animæ,quaſi à centro& ad centrum omnes circuli lineæ pendent.Sequantur oculi tui omnes,id eſt,omnes vires animæ quæ in cognoſcendo verſantur.Huc tendit illud,attollite portas principes veſtras: & eleuamini portę ęternales,&c.vnà id eſt,in vnam collectæ mentem,ſiue in vnitatem mentis caput. Tunc eas ſequetur corpus tũ cæleſte,tum terrenum.Propterea dixit corpus materiale,id eſt terrenum,tunc non derelinqui præcipitio, quia tunc ipſum quoque tolletur in altum,neque relinquetur in infimo loco mundi: quem locum Magi ſæpe nominant præcipitium.Miraculi huius vim effectumque deſcribit etiam Mercurius Triſmegiſtus, vbi de regeneratione cũ filio ſuo Tatio diſputat.De hoc quidem miraculo quod in proprio corpore mens oſtendit,ex Platonicorum opinione,ſatis ſit dictum.De illis vero quæ in ſphæris mundi demonſtrat,tales quædam apud Platonicos mouentur quæſtiones,quales dicam:& ſoluuntur vt dicam. A B

Quæſtiones ſex de miraculis: & ſolutiones. Cap. 5.

MEns hominis quando corporeas exuit curas, cur paſſiones elementorum affectat? Quia publicum bonum non deſpicit diuinus animus ſummi communiſque boni filius: ergo tanquam deus aliquis ad animaliũ hominumque commoditatem prouidenter elementa mouebit. An poteſt adeò ſupra ſuum corpus attolli, vt mundi ſphæras attingat?Poteſt vtique,ſi vbique eſt:vt quidam putant.Sed nónne etiam lumen craſſa laterna incluſum,paulo momento laterna recluſa emicat eminus,& remotiſſima quæque illuminat,neque tamen à laterna diſcedit: clauſa iterum laterna,in angulum abſque ſui offenſione colligitur, quod dum locum prius impleret ampliſſimum, abſque ſui diſſipatione profundebatur?Mira luminis virtus. In anguſtiſſimo quieſcit loco,implet ampliſſimum.Id quippe facit, quoniam lumen quodammodo eſt incorporeum. Idem facit animus:quia diuinum eſt lumen. Nunquid diuinus hic C D

animus in iis conficiendis miraculis per omnes sui partes
secedit à corpore? Nihil opus est vt officiū omnino dimit-
tat contrariorum conciliandorum. Anima vtique in corpo-
re per idolum suum, quasi crinitæ comam in vapore, pri-
mum contraria in vnum elementa conciliat: deinde si dis-
soluitur quicquam, instaurat nutriendo: auget etiam, regit
corpus, & transfert: & reliqua. Videmus apertissimè opus
transferendi regendique corporis remitti & intermitti quā
doque. Cum anima vehementiori corripitur phantasia, of-
ficium augendi nutriendique minuitur propter intentissi-
mam rationis indaginem. Ideo non concoquunt cibos phi-
E losophantes: & anima adulto corpore acutius speculatur
quàm adolescente, minus in augendo corpora occupata: &
sobrium corpus speculationem impedit minus, dum anima
ad speculandum est duntaxat intenta. Quamobrem cū per
mentem tanta animi contingit abstractio, vt & phantasia &
ratio naturalis intermittantur, quæ solent ipsę nutritionem
regimenque membrorum debilitare: quid obstat quo mi-
nus cadat corpus, & nutriatur in corpore nihil? Restabit for
sitan solum conciliationis officium, quo anima nondum si-
nat dissolui humores atque diffugere. Sed non fiet tunc ta-
lis conciliatio, vt fieri solet per idolum: quod omnino desti-
tuit terrenum corpus, quando anima nihil sapit terrenum.
Tunc enim idolum ita relinquit terræ naturam, sicut ratio
F terrenorum corporum relinquit imagines. Opinor igitur
viri omnino abstracti corpus eo ipso in tempore breuissi-
mo quo est angelicus animus, per virtutem idoli antea con-
suetam neque moueri: neque sustineri, neque etiā contineri.
Quòd si moueatur, vel sustineatur, vel contineatur: id fieri
arbitror per illud animæ centrum quam paulò antè vnita-
tem vocauimus animæ à deo tributam, per quam deo om-
nium centro & puræ vnitati concilietur: per quā non mo-
do elementa corporis huius, sed etiam mundi conciliet: per
quam solam posse deum attingi sic aperuit Zoroaster.

G ἔστι δὲ δὴ τι νοητὸν, ὃ χρὴ σε νοεῖν νόῳ ἄνδρα.

id est, Est intelligibile aliquid, quod intelligere te oportet
mentis flore. Florem mentis appellat Zoroaster ipsum ani-
mæ centrum: quod Plato nominat mentis caput. Sententi-
am hanc nostram illud Pauli diuini theologi confirmare vi

detur, quod inquit, animum deo raptum nec esse euidenter in corpore, nec extra corpus: videlicet quia non insit corpori per idolum, sed adsit per centrum.

Quandiu mirabilia hæc animus operatur? Quandiu ita manet abstractus. Manet verò parumper, naturali quodam potentię inferioris affectu ad curam corporis retrahente: sicut & paulisper manere in aëre lapis dicitur sursum iactus, inter ascensum atque descensum. Sed nũquid ordinẽ mũdi animus confundit humanus miracula operando? Nequaquam. Nam vt Platonice loquar, in vniuersali rerum lege & perpetua quadam serie causarum ad idem conferentiũ sunt huiusmodi præscripta miracula. Ad hoc ipsum conducit, p-uidentia mentium sub deo vsque ad mentem nostram continuè conspirantium. Ad idem diuinum fatum animalium idolorum à prima anima ad nostræ animæ idolum confluentium. Ad idem diuina quædam naturarum omnium dispositio à primæ naturæ affectione concurrentium vsque ad naturæ nostræ complexionem. Idem sæpe nobis cælestia signa prænuntiant: per quæ quasi per oculos nutusque numinum cogitationes significantur. Cæli enarrant gloriam dei: & opera manuum eius annunciat firmamentum. Non igitur quando animus ille angelicus optat mirabile aliquod opus conficere, puta citare ventos, statim superiores causæ huic fauent voto, & noua cupiunt, quoniam noua animus affectauit: sed contrà quoniam cælestes id ipsum decreuerunt, iste cupit. Quonam pacto? Futurorum ventorum stat in supernis numinibus præuidentia. Dispositio huiusmodi (vt aliàs diximus) per tres illas series statim ad animas nostras vsque decurrit: præcipue per prouidentiam in mentẽ: quodammodo etiam per fatum in idolum: per naturam quoque in corporis nostri complexionem. Sed perturbati hominum animi hos impulsus non capiunt: pacatus autem animus vndique supernos capit impulsus: vnde latenter incipit cogitare eadem quæ cogitant superi, eademque velle ac nolle, cum naturali id est, diuino & intimo inclinetur instinctu. Huic cogitationes omnes affectusque succedunt ad votum: & quicquid à superis postulat, accipit. Nempe quæ illi iam daturi fuerant, postulat: & quia daturi erant, ad postulandum prouocauerunt: sicut mater

quæ pomum manu præfert oculis filij, vt hinc inuitatus filius petat pomum. Filius videt: petit: accipit: accipit inquã: non solũ quia petit: sed petit etiam, quia sit accepturus. Neque vult dare mater postquam filius velit accipere: sed econuerso. Nos quidem plurimum non naturalibus diuinisve incedimus desideriis, sed illis quæ accendit quotidie casus. Prout enim alia atque alia sensibus nostris occurrunt, aliter aliterve afficimur. Atque ita rebus contingentibus occupati, raro vt cupimus: assequimur: quia raro & forte quadam cum supernorum voluntate concurrimus. Angelicus autem animus & consentit cum illis, quia tranquillus viuit: & imperat mundo, quia sua sponte ab hoc corpusculo quod est mundi particula, soluitur, in sui naturam regressus amplissimam. Talem verò foræ animum præuidit deus: talem inquam non superno auxilio tantum, sed etiam propria voluntate: quæ quidem tunc præcipue agit libere, quando dimissis actionibus, in seipsam, originemque suam contemplandam amandamque se flectit. Talem quoque elegit deus ad mirabilia perpetranda. Cuius orationes etiã circa publicas mundi mutationes non esse vanas. Auicenna in metaphysicis, & Proculus Iamblichusque disputant in Timæo. Probant enim vota viri sanctissimi, præsertim si cum illo populi quoque vota concurrant, animos mirabiliter ita cõiungere deo, vt vna quodammodo dei animique operatio fiat: sed dei quidem velut artificis, animi autem tanquã instrumẽti diuini. De illis verò miraculis quæ deus per se absque instrumento facit, quæ longè maiora sunt: in præsentia non tractamus. I

Miracula huiusmodi nũquid naturalia sunt animo? Sunt naturalia quodammodo, vt opinantur Platonici: atque iterum non naturalia. Naturalia quidem quantum recurrit in mentem, fitque summi dei pedissequus atque instrumentũ. Non naturalia, quantum vnius tantum seruit corporis vsui: cuius amore captus ad tempus, neque virtutis suæ explicat amplitudinem, neque diuinæ fit particeps. Qui quotiens & explicat, & fit particeps: ostendit se nullo ictu corporũ dissolutum iri: quandoquidem quodammodo præstat omnibus: & torquet omnia pro arbitrio. Singula verò quæ de miraculis ex Platonicorum mente differuimus, ita à nobis

affirmata sint, vt à Christianis theologis approbantur.

THEOLOGIÆ PLATONICÆ De immortalitate animorum eodem Ficino authore,

LIBER DECIMVS QVARTVS.

Quòd anima nitatur deus fieri, ostendimus signis duodecim, secundum duodecim dei dotes. *Cap.* 1.

IN principio disputationis duo iecimus fundamenta signorum ad immortalitatem animæ pertinentium. In vno tractatur quantũ anima corporibus dominatur: quod per quatuor signa transegimus. In alteroagitur quòd anima deus fieri nititur. De quo per duodecim signa tractabimus secundũ duodecim dei dotes. In quo apparebit mira animi magnitudo: cui non satis fuerit æmulari deum iis miris quos diximus modis, nisi etiam fiat deus. Hinc ita exclamauit Zoroaster: A

ὦ τολμηροτάτης φύσεως ἄνθρωπε τέχνασμα.

id est, O homo naturæ audentissimæ artificium. Constat apud omnes theologos, deum esse primum ipsum verum ac bonum. Esse cuncta. Esse auctorem vniuersorum. Super omnia. In omnibus. Semper. Prouidere cunctis. Iuste administrare. Fortiter, dum administrat, in habitu suo perseuerare. Temperatè suauiterque tractare. Opulentissime viuere, atque iucundissime. Seipsum adeo beatum intueri, mirari, & colere. B

Has duodecim deo dotes omnis apud omnes gentes tribuit theologia. Quicquid vbique homines agunt, ad harum possessionem referunt: neque aliud quicquam expetunt & conantur quàm dotes huiusmodi sibi plenissime cõparare. Plenissimus harum possessor solus est deus. Totus igitur animæ nostræ conatus est, vt deus efficiatur. Conatus talis naturalis est hominibus non minus quàm conatus auibus ad

volandum. Ineſt enim hominibus omnibus ſemper vbique, ideo non contingentem alicuius hominis qualitatē, ſed naturam ipſam ſequitur ſpeciei. Naturalis autem motus ad finem aliquem directus, non aliam ob cauſam ad hunc finem potius quàm ad alium determinatur, niſi propter quandam naturæ ſuæ affectionem: per quam cū tali fine congruit potius quàm cum tali: & propter congruitatem amat: ac propter eandem aſſequi poteſt quod amat: quemadmodum aër qui leuitate cum ignis concauo congruit, per eandem annitur mouetúrque ad illud. Per eandem rurſus attingere poteſt ipſum: & in eo, poſtquam attigerit, conquieſcere. Poteſt igitur quandoque nixus humanus in deum intentus expleri. Nam quis hunc inſeruit animis noſtris, niſi idem ipſe deus, quem petimus? Qui cum ſolus ſit auctor ſpecierum: proprium ſpeciebus inſerit appetitum. A primo nanque rerum principio tanquam à primo bono appetibiliáque omnis naturalis ducitur appetitus. Idem primus eſt motor. Idem & finis eſt vltimus. Siquidem ad agentium ordinem ordo ſequitur & in finibus: quia ſicut ſupremum agens ſequentia mouet agentia, ita ad finem ſupremi agentis referri oportet fi-
C nes agentium reliquorum. Quicquid enim agit primū ipſum agens, propter finem ſuū agit. Ducit autē agitq; primū omnes omniū cauſarū ſequentiū actiones, mouendo ad ſuā actionē omnes: ideoq; ad ſuos fines. Vnde ſequitur agentiū omniū inferiorū fines ab ipſo primo ad finē propriū ordinari. Primum agens deus eſt. Diuinæ voluntatis finis eſt ſua bonitas. Quapropter ſequentia omnia in deū tanquā finem neceſſariò ordinantur: preſertim quia nihil tendit in aliquid
D tanquam finem, niſi quatenus ipſum eſt bonum. Quo fit vt bonum ſit finis, qua ratione bonū. Quod ergo ſummū eſt bonum: eſt maxime omnium finis. Adde quòd primū bonum eſt cauſa omnibus vt ſint bona. ergo eſt cauſa vt appetantur. Si autē ipſum eſt propter quod omnia ſunt appetenda: ſequitur vt ipſum ſit & maxime omniū & ab omnibus appetendū. Eſt igitur finis omniū: eo tamen pacto, vt mentiū finis ſit ſecundū formā: reliquorū verò ſecundū vmbrā. Ergo & hominum ſecundum formam finis exiſtit: quando nihil aliud ſatis ipſis facit. Ita igitur homines dei formā appetunt, vt à deo tributus ſit huiuſmodi appetitus. Neq; mi-

nus à Deo accẽditur appetitus quo deũ desideramus, q̃ à re quauis obiecta sensibus appetitio corporalis alliciatur. Immo & tanto magis, quãto bonũ summũ potẽtius ad trahẽdũ est q̃ minima bona. Profecto quẽadmodũ in libro de amore dixerui, ipsius summi boni splẽdor fulget in singulis: & vbi fulget accõmodatius, ibi prẽcipue allicit intuentẽ: cõcitat considerantẽ: rapit & occupat ꝓpinquantẽ: cogitq; eũ venerari splendorẽ huiusmodi prẽ cęteris tanq̃ numẽ: nihilque aliud anniti q̃ vt deposita priore natura, ipse splẽdor efficiatur. Quod hinc patet, quoniã aspectu tactúve amati hominis nõ est cõtẽtus: & clamat sæpe: Homo hic nescio quid habet quod me vrit: atque ego quid cupiam, non intelligo. Vbi constat animũ diuino vri fulgore, qui in formoso homine micat quasi speculo: atq; ab eo clã raptũ quasi hamo trahi sursum vt deus euadat. Esset autẽ deus (vt ita loquar) tyrannus iniquus, si ea nobis mandaret aggredienda, quę nũ quam possemus implere. Mandat autẽ vt se quæramus: dũ suis igniculis desiderium in se inflammat humanum. Esset quoque sagittarius imperitus, ac nimium temerarius, si desideria nostra velut sagittas ad se ceu signum dirigeret: neque addidisset spiculis pennulas, quibus quãdoque signũ at- E
tingerent. Esset deniq; infortunatus, si conatus suus quo nos ad se rapit, nunquã finẽ suũ consequeretur. Quã ob rẽ potest animus noster aliquando fieri deus, postquam ad id naturaliter contendit solicitante deo. Non fit autẽ deus, nisi quod dei induitur formam: sicut neque fit ignis quicquã, nisi formam ignis accipiat. Ergo sicut materia aëris quæ prius erat sub aëris humiditate atque calore, per ignis vim humorem exuit, seruat calorem: & accepta siccitate forma ignis induitur: sic animi humani essentia, quę nunc mentem habet, vires q̃ inferiores; deo expoliante inferiores quodammodo exuit vires: ac mente, immo verò capite mentis vnitate seruata, substantiã diuinã induitur, quasi recentẽ formã, ꝑ quã penè fit deus: ꝑ quã omnes deinde operationes agit vt deus aliquis potius q̃ vt anima. Hoc impleri posse quãdoq; necessariũ est: ne frustra ab humana specie q̃rẽte, immo ne temere à deo trahẽte tẽtetur. Anima tenebroso huius coporis ha F
bitaculo circũsepta, vires omnes inferiores aut nunquã aut vix & momento remittit. Quocirca mirabile opus illud in

hoc corpore non impletur: & vix vnquam gustatur ab vno. Naturalia verò desideria & in multis oportet expleri: & non per momentaneam qualitatem, sed per habitum stabilem qualem appetunt. Quod si mens quanto altius ad contemplanda spiritalia eleuatur, tanto longius discedit à corporalibus: supremus autem terminus, quem attingere potest intelligentia, est ipsa dei substantia: sequitur vt tunc demum mens diuinam subire substantiam valeat, quando fuerit à mortalibus sensibus penitus aliena. Igitur anima ab huius corporis vinclis exempta puraque decedens, certa quadã ratione fit deus. Deus autem ac dei æternitas, idem. Igitur ratione simili fit æternitas: multoque magis fit æterna. Quem quidem statum Ioannes theologus appellat deo similẽ fieri, Paulus autem in dei imaginem transformari.

Quintum immortalitatis signum ab eo quod anima appetit primum verum, & primum bonum. Cap. 2.

A ITa demum ratio superior nos de immortalitate certiores efficiet, si duodecim illas dei dotes sigillatim percurrentes, ostenderimus animam in his quærendis naturaliter deo se quodammodo æquare cõnari.

Animus itaque noster communẽ veritatis bonitatisque concipit rationem: per quam commune verum quærit: & commune appetit bonum. In communi veritate omnia vera, in communi bono bona omnia continentur. Hinc fit vt cuncta vera naturaliter quærat: cuncta naturaliter appetat bona. Quod ex eo patet, quòd cognita vna quadam alicuius rei veritate, non quiescimus, sed aliam inquirimus, rursusque aliam: quandiu putamus veritatem aliquam superesse
B noscendam. Idem in bonis comparandis inspicitur. Omne autem verum, & omne bonum, deus ipse est: qui primũ verum est, primumque bonũ. Ergo deum ipsum appetimus. Sed quid in eo potissimum affectamus? Illi similes fieri. Omnia enim pro capacitate naturæ in ipsum tendunt tanquam finem: & ipsi suo modo cupiunt similia fieri: corpora vita carentia, secundum esse tantum: viuentia secundum vitam: sensitiua, secundum sensum: secundum intellectum

rationalia. Non possumus autem deo per intellectum similes effici, nisi deum intelligendo: quippe cum quibuslibet aliis rebus intellectus tunc fiat similis, quando eas intelligendo se in earum imagines transfigurat. Finis ergo noster est, per intellectum deum videre: per voluntatem viso deo frui: quia summum bonum nostrum est: summæ potentiæ nostræ obiectum summum, siue actus perfectissimus circa ipsum. Summæ autem potentiæ nostrę sunt mens, mentisque caput, atque voluntas. Summum harum obiectum est commune verum: bonumque commune & integrum: id est autem deus. Neque obiiciat nobis Arabum aliquis sufficere nobis angelo aliquo frui. Naturale quippe desiderium nobis inest ad causam semper cuiusque effectus inueniendã, neque cessat inquisitio quousque ad causam primam perueniatur. Quoniam igitur cuiusque effectus cogniti optamus causam videre, intellectusque noster esse ipsum vniuersale cognoscit: efficitur vt naturaliter affectemus esse ipsius causam noscere: quæ quidem ipse est deus. Neque dicimur finem vltimum assecuti, nisi quiescat totum desiderium naturale. Quare in sola dei siue cognitione siue possessione vltimus finis consistit humanus: quæ naturalem sola terminat appetitum. Quod liquidò hinc apparet, quia proprij finis adeptio delectat quemque summopere. Animus autem rei nullius possessione tam vehementer, tam purè, tam firmiter gaudet, quantum vel exigua qualibet speculationis diuinæ gustatione: pro qua, siquando vere persentiatur, & possessio omnis & mundus totus & vita contẽnitur. Quisquis enim pie nonnunquam cum deo viuit, is clamat: se tunc solum in vita & à malis vixisse semotum, & boni aliquid gustauisse: quasi tunc duntaxat in suum se portũ receperit. Huc tendit illud Platonis in libro de scientia, Mala omnino deuitari non possunt. Necesse est enim semper aliquid bono contrarium esse. Apud superos autem mala esse impossibile est: sed circa mortalem naturam locumque inferiorem necessario reuoluuntur: quamobrem hinc illuc quamprimum est fugiendum. Fugere verò hinc illuc, nihil est aliud quàm deo, quatenus fieri potest, se similem reddere. Similem verò faciunt iustitia & sanctitas cum prudentia. Hæc ille. Merito ita præcipit. Vbi enim bonorum om-

hominis finis?

C

D

nium viget bonũ, ibi ſolũ inuenitur omniũ medicina malo rum. Neque credendum eſt Panętio dicenti, optare quidem nos diuina, ſed nunquam ad ſummũ conſecuturos, quia plena diuinorum poſſeſſio & vita quieta non ad animos homi num pertineat, ſed ad angelos. Natura ipſa rerũ contrà nos docet. Nempe elementa quæ naturali cupiditate ſua petunt loca: tanto feruntur rapacius, quanto magis locis ſuis finibuſque propinquant. Ideo Ariſtoteles in libro de cælo oſtẽdit motum naturalem rectum non poſſe ad infinitũ vagari: alioquin in ſuo progreſſu non eſſet modo tardior, modo verò velocior. Quapropter quod tale eſt vt vehemẽtius poſtea quàm prius tendat in aliquid, nõ oberrat in infinitum, ſed ad certum aliquid ſeſe confert. Hoc autem in ipſo ſcien di deſiderio experimur. Quo enim quis magis intelligit, eo ardentius flagrat ad reliquum. Igitur naturale deſiderium cognoſcendi, ad finem aliquem determinatum dirigitur. Quis hic finis? Cauſa cauſarum omnium: quæ comperta na turalem omnem inquiſitionem terminat cauſarum. Dedit natura corporibus craſſis appetitionem inclinationemque qua loca cuperent inferiora: adhibuit illis præterea grauitatem friguſque, quaſi medium per quod ad locum optatum deſcenderent. Dedit ſubtilioribus appetitũ altioris loci: adiunxit & leuitatem, caliditatemque, perque media optatum finem conſequerentur. Dedit brutis cibi & coitus appetitũ: addidit membra ad eſum & coitum præparata. Dedit natu ræ dux animo vniuerſalis & totius veri bonique votũ: quod quidem eo naturalius eſt quàm cibi & coitus appetitus, quo illud eſt magis continuum. Comedere quidem raro corpus exigit, rarius verò coire: verum autem bonumque ſingulis optamus momentis. Semper enim nouarum rerum imaginationumque & rationũ cupidi ſumus. Semper oculos pa-
tefacimus ad quælibet occurrentia: & longiſſimo ampliſſi-
F moque proſpectu nimium delectamur: immo ſolo contenti ſumus immenſo. Semper arrigimus aures ad quęlibet au diẽda: quod infantes faciunt & adulti, gnari pariter & ignari, atque omnes in arte qualibet artifices, duce natura. Adde quòd domari poteſt coitus libido, edendi voracitas minui: veri autem bonique cupiditas minime: immo verò decreſcunt illa ætate, hęc augetur. Adde inſuper, quòd illa corpo-

talia propter aliud appetuntur: hæc autem gratia sui. Quanto igitur naturalior est veri boniq; quàm cibi coitusque cupiditas, tanto magis à naturæ duce prouisum est vt finẽ suũ prorsus adipiscatur. Immo verò ob eã maxime causam naturalior est, quia ad finẽ acquirendum paratior. Profectò si speciei cuiusque proprietas necessaria est, prudenterque ab auctore disposita: sequitur vt rationalis speciei conatus qui ad totius boni possessionẽ dirigitur quasi finẽ: assequi valeat quod contendit. Nempe si impossibilis sit finis vltimi cõsecutio: vniuersa tum species tum actio speciei contingens est, fortuita, & inanis. Quiescit quandoq; oculus speciei gratiosæ conspectu: quiescit auris melodia: & quisque sensus quandoque suis satiatur & impletur obiectis. Tanta felicitate sensus natura donauit. Ratio verò istorum regina, quæ licet angelis inferior sit, brutis tamen est superior, tam infe G lix erit, tam ab artifice naturę neglecta, vt oberret semper, quiescat nunquam. Certe in hac vita nunqum. Neque audiendus hic est Arabum aliquis, fingens intellectum humanum, quod hac in vita nequit in singulis, saltem in cunctis hominibus assequi. Primò quidem non est intellectus vnus in omnibus inter se penitus repugnantibus (quod aliàs ostendemus) deinde neque in cunctis quidem simul hominibus vnquam animus habitum exoptatũ consequitur. Ac dũ in singulis hominibus ad diuina cæcus est: ad eadẽ ferme similiter in cũctis est cęcus. Deniq; nõ licet fingere nos ipsas diuinarum formarũ substantias ex substantiis naturalibus ad votum comprehendere posse. Hæ nanque substantiæ ad materiam declinant, illæ verò nequaquam. Intellectus autem humanus quatenus hoc habitat corpus, catenus cognoscendo quodammodo ad corporalia vergit. Præterea naturales effectus, diuinarum causarum vires substantiasque æquare & demonstrare non possunt. Adde, quòd diuinæ formæ à naturalibus multo magis distant, quàm à naturalibus naturales. Ergo si per voces non cognoscuntur colores, quod apparet in cæcis: multo minus per naturalia vnquam diuina comprehenduntur: vt Plato ad Dionysium scribit Syracusanum. Mitto quòd substantia virtusque diuina tanquam infinita non potest à nobis prius ad votum percipi, quàm per ipsammet absolute formemur. Quod

quidem in anima huic coniuncta corpori sic affecto perfici nequit. Verùm vt ad propositam huius capituli argumen-
A tationē regrediamur: rationis capacitas appetitioque, non quædam vera, aut bona quædam, sed omnia integraque requirit. Quæ hic ideo nunquam assequi videtur, vt Plato inquit in Epinomide, quia semper est ambiguus intellectus: semper voluntas est anxia. Hæc igitur animus exutus corpore consequetur. Si bonum vniuersum adipiscetur, immortalitate nullo modo carebit: quæ tantum bonum est, quantū mors est malū, quæ cunctis priuat bonis. At mens quæ vera videbit omnia, nullis gaudebit bonis si se suspicabitur morituram. Vt ergo secura sit finis adeptio & tranquilla, necesse est mentem de æterna finis possessione certā esse. Quòd quidem ita confirmat Aurelius Augustinus in libro de trinitate tertiodecimo. Omnes beati esse volunt: atque ideo nolunt perire & consumi, quod beati sunt. Nec nisi viuentes beati esse possunt. Nolunt igitur perire quòd viuunt. Immortales itaque esse volunt, quicunque vere beati vel sunt, vel esse cupiunt. Non autem viuit beatè, cui non adest quod vult. Nullo modo igitur esse poterit vita vere beata, nisi fuerit sempiterna. Hæc ille. Sed ne Panætiani diffidant vlteriùs
B vitam vere beatam homini conuenire, ita concludemus. Cū naturæ intellectualis proprium sit, cognitione gustare omne bonum: certe eiusdem proprium est, affectu etiam vesci omni bono id est, integro. Beatitudo igitur naturæ intellectualis est propria. Qualem verò quisque intellectū habet, talem potest beatitudinem consequi. Si verum formalemque intellectum: veram quoque formalemque felicitatem. Sin vmbratilē intellectum, vmbratilem quoque felicitatē. Hominis anima licet imago quædā sit intellectus diuinioris: veram tamen in se mentis formam habet, quod tribus probatur signis. Primum est, quòd multa vera secundum veram eorum rationem intelligit. Secundum, quòd veram veritatis ipsius intelligit rationem. Tertiū, quòd si anima nostra: solam intellectus vmbrā haberet, non intelligeret definiretve vnquam formam & substantiam intellectus, sed accidentia tantum confuse prospiceret. Quoniam igitur anima vim intelligendi possidet non vmbratilem tantum, sicut bestiæ quædam sagaciores: sed verè etiam expressam atque

que formalem : idcirco potest quandoque vitam consequi verè beatam. Neque mirum alicui videri debet, me intellectum alium vmbratilem, alium formalem ponere. Siquidē C
Platonici, vt Proculus disputat, omnia rerum genera ita distinguunt: atque in primis vnitatem & mentem : animam & naturā. Sed missa hæc in præsentia faciamus : videamusque qua ratione Origenes in libris de principiis superiora confirmat. Cum consideraret Origenes deum rerum artificem in singulis non necessitati solum vtilitatique tum propriæ tum communi consulere, sed etiam (neque id quidem minus) pulchritudini rerum, admirationique spectantium vbique studere, concluſit, quemadmodum humanus artifex artificia constructuit quàm pulcherrima, vt intuentes allicianter ad ingenium quo ille construxit, considerandum atque admirandum: ita deum artificiosissimum mundi opificium construxisse. Vnde effici vult, vt rationū quibus omnia constant, inquisitio, ab ipsamet ratione dei artificis omniū mentibus sit inferta, & inde quotidie moueatur: ita vt non minus eas nostra mens desideret per naturā, quàm oculus colores, & gustus escas. Addit ea nos conditione à deo eiusmodi desiderium accepisse, qua aliquando posset expleri : ne frustra à deo sit insitum. Præterea quisquis amori huic studio voluntatis indulserit: etiam si parum veritatis consequatur in vita, tamen ex hoc affectu præparari ad veritatis plenitudinem in futuro comprehendendam. Et quoniam præparatio talis fit per deum: per deum fore quandoque formationem. Siquidem agentes causæ non ob aliam rationem disponunt materiam, nisi vt eam forment quandoque dispositam. Hanc Origenis sententiam ita breuiter confirmamus, quòd videlicet quatenus consideramus quales effectu vniuersi formæ sint, atque vtrum prosint nobis aut obsint: eatenus à natura creata duci videmur, & vitæ corporis obsequi: ac velle formas externas in formam nostrā, prout vsus postulat, transformare. At quando perscrutamur quibus rationibus singula ita creata ordinataque sint, quod sanè inquirimus naturaliter: tunc ab ipsa rerum artifice ratione ad ipsammet allicimur: vitæque studemus æternæ: & in formā artificis omniformem, animum reformare conamur. Hinc Paulus apostolus inquit interiorem hominem quotidie re- D

nouari inuisibilia nobis æternaque contemplantibus. Item, nos autem, inquit, reuelata facie gloriam domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à domini spiritu.

Sextum signum, quia animus conatur omnia fieri.
Cap. 3.

E Ostensum est animum nostrum in omnibus suis actibus primam illam dei dotem pro viribus comparare id est, totius veri totiusque boni possessionem. Secundam verò illam quærit ne? An non conatur omnia fieri sicut deus est omnia? Conatur mirum in modum. Vitã siquidem agit plantę, quatenus saginando indulget corpori. Vitam bruti, quatenus sensibus adulatur. Vitã hominis, provt de humanis negociis ratione consultat. Vitam heroũ, quantum naturalia inuestigat. Vitam dæmonum, provt mathematica speculatur. Vitam angelorum, provt diuina inquirit mysteria. Vitam dei, quantum dei gratia omnia operatur. Omnis hominis anima hæc in se cuncta quodammodo experitur, licet aliter aliæ: atque ita genus humanum con-
F tendit omnia fieri, cum omnium agat vitas. Quod admiratus Mercurius trismegistus inquit. Magnum miraculum esse hominem, animal venerandum & adorandum: qui genus dæmonum nouerit, quasi natura cognatum: quíve in deum transeat, quasi ipse sit deus. Præterea quęcunque sunt: quantum sunt, sunt veri. Quantum verò vim aliquam ordinemque & vsum sortita sunt, sunt & bona. Animum suprà monstrauimus omnia vera & bona omnia quærere. Res igitur omnes quærit. Quid autem quærit aliud, nisi vt per intellectum sciat omnes, per voluntatem omnibus perfruatur? Vtroque autem modo fieri cuncta conatur. Sicut sensus, puta visus, colores non cernit, nisi colorum induat formas, fiatque vnum ex videndi potentia & formæ visibilis actu, ceu ex aëre lumineque fit vnum: ita neque intellectus res ipsas cognoscit, nisi vestiatur formis rerum cognoscendarum, fiatque ex intelligendi potentia & formæ intelligibilis actu vnum: quorum vnionem vna actio comitatur. Vna enim intelligendi operatio est vtriusque. Quis item

neget ex materia corporali & forma illi tributa rem vnam fieri, cum ex illo compoſito vnus proueniat actus, vnuſque motus? Multo autem magis (vt placet Platonicis & Auerroi) vnum quiddã fieri oportet ex potentia intellectus, formaque rei intelligendæ: tum quia ſæpe ſtabilior ex iis prouenit cõpoſitio (ſæpe enim diutius manent vnà quàm materia corporalis, eiuſque forma) tum etiam quia intellectus ipſe forma quædam eſt. Forma inquam inhians materiæ in ſtar ad formam vlteriorem. Ideo magis conuenit cũ forma ſuſcipienda, quàm conueniat cum forma propria materia corporalis. Omnes enim formæ in mundi materias à ſuperna mente deſcendunt: quocirca cũ mente noſtra multo magis conueniunt, quàm cũ materia. Denique mẽs quanto eſt præſtantior quã materia: tanto efficacius formã quã exoptat ſibi adſciſcit & vnit. Neque credendũ eſt animũ ſibi minus vnire quæ capit, q̃ corpus. Corpus enim cibos vel diuerſiſſimos in ſuã vertit ſubſtantiã, anima concoquente. Ita & animus quę accipit, immo cõcipit: in ſe vertit, & multo magis. Siquidẽ dimenſiones corporũ mutuã in corporibus impediunt vnionem: ſpiritalia verò ſunt vnioni admodũ aptiora. Itaque rationes rerum intellectarũ magis in ſubſtantiã trauſeunt intellectus, vt vult Plotinus: quàm in ſubſtantiam corporis alimenta. Per hæc patet, ex mente noſtra & forma rei intelligendæ vnum aliquid fieri. Quod autem ita ſubit alicuius formam, vt ex ea & ſeipſo reddat vnum: illud ipſum ferme euadit, cuius ſubiuit formã. Quis neſciat materiam aëris quando ignis formam ſuſcipit, effici ignẽ, aut igneam? Ideo intellectus penè res illa fit, quam intelligit. Fit inquam actu res illa. Nam & potentia & quodammodo habitu res eadem erat etiam prius quàm intelligeret: vt Plotinus exiſtimat. Tunc ſanè intellectus intelligit circulum, quãdo ipſe actu quaſi fit ratio circuli. Immo hoc ipſum actu fieri, ipſum intelligere eſt. Erat autem intellectus eadem ipſa circuli ratio etiam prius tum ſecundũ potentiam, quod ad ſubſtantialem pertinet circuli ipſius ideã: tũ ſecundũ habitũ quo ad ideæ formulã nobis familiarem. Veritas autẽ ſingularum rerũ in ipſa firma illarũ ratione conſiſtit. Atque ita mens res quęlibet vera fit, quãdo res ipſas intelligit ſe in earum rationes perpetuas conuertendo. Sed de hoc aliàs.

Sufficit autem nobis in præsentia, quòd cũ intellectus quę-
rat res omnes intelligere, & intelligendo formis earum pe-
nitus vestiatur: consequens est vt quærat res omnes effici:
vnde nititur deus fieri, in quo sunt omnia: dum nititur om-
nia fieri. De intellectu satis. Cupit idem & nostra voluntas:
C quia semper affectat bonis omnibus perfrui. Fruendo autẽ
rebus, seipsam rebus quibus fruitur vnit. Sed interest intel-
lectum inter & voluntatem. Vtraque enim fiunt quidẽ om-
nia, intellectus omnia vera, voluntas omnia bona: sed intel-
lectus res in seipsum transferendo illis vnitur, voluntas con-
trà in res transferẽdo seipsam. Quonam pacto? Sanè noster
intellectus modo suo potius res intelligit, quàm pro natura
rerum. Formas vtique corporum, quę sunt particulares, ma-
teriæ immersæ, diuisæ, confusæ, infectæ, ac mobiles, intelli-
git modo quodã vniuersali absoluto, simplici, distincto pu-
ro, & stabili: Deum verò & angelos, qui stabiles sunt & sim
plices, mobili vt plurimum & multiplici comprehendit dis-
cursione. Ita intellectus noster tam illa quæ infra se, quàm
D quæ supra exiſtunt, modo quodam percipit suo. Quam ob
causam dicitur omnia in suam transferre naturam. Ex quo
etiam Platonis illud confirmari videtur, quòd mens per in-
natas formas intelligat, postquam per naturæ suæ modum
intelligit. Voluntas autem primò quidem non sicut intel-
lectus in se permanet, sed animam & corpus mouet ad ope-
randum, vt ad res desideratas accedant: deinde non eo pro-
prio modo quo res in anima insunt affectat, sed quo potius
in seipsis. Intellectui aurum cognituro, species auri illa vni-
uersalis & incorporea sufficit: voluntati verò non sufficit.
Nam quantum ad humanam vitam spectat, aurum vult par
ticulare istud & corporale, quale est in seipso. Cõcludamus,
animam nostram per intellectũ & voluntatem tanquã ge-
minas illas Platonicas alas idcirco volare ad deum, quoniã
per eas volat ad omnia. Per primam omnia sibi applicat, per
secundam se applicat omnibus. Itaque anima cupit, cona-
tur, incipit deus fieri, proficitque quotidie. Motus autem o-
mnis qui ad terminum aliquem directus incipit quidẽ pri-
mo, pergit deinde, intenditur paulatim & proficit: profecto
quandoque perficitur. Eadem nanque facultate intenditur,
qua cœpit. Eadem postea proficit, qua & intendebatur. Ea-

dem tandem perficitur, qua proficit. Quamobrem animus noster quandoque fieri poterit quodāmodo omnia, ac deus quidam euadere.

Septimum signum, & octauum, quoniam animus conatur facere omnia: atque item omnia superare.
Cap. 4.

SEquuntur aliæ dei dotes: tertia, quòd auctor vniuersorū E
est: quarta, quòd super omnia. Has quoque animus noster aucupatur. Diximus aliàs quemadmodum per varias artes omnia dei opera æmulatur: atque ita instar dei efficit omnia. Diximus etiam hominem semper contendere vt & sibiipsi & cæteris cunctis tum hominibus tum bestiis dominetur. Esse seruitutis omnis impatientem. Qui etiam si seruire cogatur, odit dominum: vtpote qui seruiat contra naturam. Superare autem obnixè qualibet in re contendit: pudetque vel in rebus minimis ludisque leuissimis superari tanquam id sit contra naturalem hominis dignitatē: & omnino pudoris verecundiæque affectus humano generi proprius, nescio quid angustū latè in nobis significat: quod nefas sit temerari: quodve sit veneratione dignissimū. De hoc F
alibi. Sed quantum pertinet ad victoriæ cupiditatē, immensam animi nostri magnificentiā ex hoc manifeste licet perspicere, quòd non satis illi futurum sit mundi huiusimperiū si hoc subacto alium resciuerit superesse mundū quē non- G
dum subegerit. Hinc Alexander cū audiret Anaxarchum Democritium mundos esse innumerabiles disputantē: heu me miserum, exclamauit, qui ne vno quidē adhuc potitus sum. Ita nec superiorem vult homo, neque parē: neque patitur supersse aliquid ab imperio eius excluſum. Solius dei hic status est. Statum igitur quærit diuinū. Quod inde plane possumus coniectari, quod multi tum philosophi tum principes diuinos sibi quęsiuerunt honores. Neque satis illis fuit quòd boni homines haberentur, nisi haberentur etiam diuini. Immo tanquam dij voluerunt coli: quod cum innumerabiles viri tentauerunt, tum inter philosophos Em H
pedocles præcipuē, inter principes Alexander Macedo dicitur concupisse. Denique omnes idem affectant: & si succes-

ſurum ſperarent, aggrederentur: quaſi iure ſuo vendicent ſibi diuinitatem.

Nonum ſignum & decimum, quod homo affectat vbique eſſe, atque item eſſe ſemper. Cap. 5.

I

DEus præterea vbique eſt, & ſemper: Cupit autem homo vbique eſſe. Quatuor enim elementis vtitur, ſicut diximus. Terram metitur & cœlum: ac profundas Tartari latebras perſcrutatur. Non illi cælum videtur altiſſimũ, vt Mercurij verbis vtar: nõ centrum terræ profundũ. Non temporum locorũve interualla impediunt quin per omnia pereurrat quæcunque ſunt in quibuſcunque tẽporibus aut locis. Nullus paries eius aut obtundit aut retundit intuitũ. Nulli fines ſibi ſunt ſatis. Vbique ſtudet imperare, vbiq; laudari. Atque ita conatur eſſe vt deus, vbique. Conatur quoque eſſe & ſemper, vt deus. Duobus autem id quærit modis. Primo quòd per omne futurum tempus in ore hominum reſtare contendit: doleréque neque potuiſſe etiã in omnibus præteritis ſeculis celebrari: neque poſſe in futuris ab omnibus tum hominum nationibus tum brutorum generibus honorari. Id omnes tam adoleſcentes quàm adulti, tam rudes quàm eruditi, omni ope ſtudioque nituntur: & tanto affectant ardentius, quanto magis excellunt ingenio. Quod autem omnes appetunt homines, maxime verò præſtantiores, hoc ab illis naturali lege tanquam bonum deſideratur. Non igitur fruſtra quæritur: ſiquidem in lege naturæ non eſt temeritas. Temere autem quæreretur & fruſtra tanquã bonum, ſi nihil eſſet quærentibus profuturum. Non prodeſt laus quæ non ſentitur. Quapropter ſpecies humana vaticinatur ſe in ſeculis futuris ſenſu non carituram, cum ſæpe etiam præſentem contemnat vitam vt à poſteris celebretur. Poſterorum quoque ſuorum cum in omni vita, tum in vitæ calce ſummam habet curam: exiſtimans ad ſe futura ſecula pertinere. Hæc fieri à beſtiis non videmus quaſi earum natura vaticinetur nihil in ſe eſſe quod aut veneratione ſit
K dignum, aut ſenſu præditum ſempiterno. Vaticinium verò naturale excellentiſſimorum præſertim ingeniorum, aberrare non poteſt: quemadmodum Plato in epiſtola ſcribit ad

Dionysium. Ex quo effici vult, vt animis hominum sensus humanarum rerum superfit: quod etiam in legibus ex ordine diuinæ prouidentiæ confirmauit.

Alter modus quo noster animus optat esse semper, immo & viuere: (siquidem animæ idem est esse quod viuere) talis apparet. Humanus animus, & is quidem omnis, vitam aliquam cogitat sempiternam: quam statim cogitatã affectat: semperque cupit esse. Omnino appetitus essendi, naturalis est: quoniam rebus statim natis inest cunctis, atque continuus. Neque consilio aduenit: quia inest euestigio natis. Neque casu contingit, quia cunctis, & quia continuus. Profectò elementa per virtutem naturalium qualitatũ resistunt rebus corruptionem tentantibus: ne esse illis auferatur. Rursus loca sibi conuenientia petunt auidissime, repelluntque obstantia motui, vt esse conseruent. Hic appetitus essendi ideo dicitur naturalis, quia naturales rerum sequitur qualitates. Plantæ quoque vitalis complexionis instinctu humorem fugunt salubriorem, radices ad hunc longissimè dilatantes: quo esse conseruent. Item vmbras retractis declinãt ramusculis: atque viminibus quibusdam aduncis implicant sustentacula: ne esse amittant. Quem appetitum dicimus naturalem: quia naturalem sequitur vitæ complexionem. Bruta per concupiscentiam naturalem ea adsciscunt, quæ esse conseruant: repellunt per naturalem iracundiam interimenta. A

Itaque in iis similiter essendi appetitus est naturalis: quia nõ consilium aut casum: sed vires sequitur naturales & insitas. Quoniam verò horum naturæ vim non habent vllam per quam esse sempiternũ subiecto suo proprie corporique exhibeant, ideo horũ nulla semper esse in sua propriè substantia cupiunt: frustra nanque contenderent: cupiunt tamen secundũ naturã esse sempiternũ in sua specie: ad quod sufficienter naturales eorũ vires subseruiunt. Hinc similia sibi in specie generant: p quã ꝓpagationẽ species talis rerũ ppetua manet in mũdo. Quę quidẽ appetitio nõ solũ in elementis & plãtis, sed brutis etiã, caret cognitione. Nẽpe vis generãdi ꝙ ad id seruit, nullã ꝓrsus habet cognitionẽ. Siqua verò sunt corpora quorũ principia sufficiãt ad esse in ꝓpria substãtia, sempiternum illa secundũ naturã esse appetunt: sempiternũ B

non in ſpecie ſolum, verũ etiam in ſubſtantia propria: qualia forte ſunt ſyderum corpora. Redeamus ad noſtra. Appetit noſter animus eſſe. Sed nunquid naturalis eſt huiuſmodi appetitus? Eſt abſque dubio non minus naturalis animo noſtro, quam cæteris rebus appetitus eſſendi. At enim appetit eſſe ſemper. Num hæc ſemper eſſendi cupiditas ita naturalis eſt, ſicut eſſendi? Eſt plané. Neque nobis Epicureus quiſquã obiiciat, quòd licet animus eſſe quidẽ ipſũ appetat naturaliter: quia etiam ſi non noſſet, appeteret: tamen eſſe ſempiternum præter naturam exoptat, ob id fortaſſe, quòd æternitatem illam cognouit quidem prius, poſtea verò con cupiuit. Non enim obſtat cognitio illa quo minus ęternitatis auiditas ſit naturalis. Nam & noſtri ſenſus cibos cognoſcunt, quos tamen ſecundum naturam appetunt. Lupus agnum, canis leporem poſtquã viderunt, cupiunt: tamen cupiunt naturaliter: quoniam ex naturali complexione ſtatim ita compelluntur ad appetendum, vt non cupere nequeant. Atque vt oculis naturale eſt talia ſibi obiecta perſpicere: ita naturale eſt concupiſcendi potentiæ talia inſpecta protinus affectare. Eadem ratione intellectui naturale eſt perſpicua obiecta cognoſcere, voluntati quæ bona iudicata ſunt velle. Quicquid perſpicue offertur, naturaliter intellectus agnoſcit. Quicquid ſub boni ratione offertur, voluntas appetit naturaliter. Quare naturale eſt intellectui eſſe ſempiternũ cognoſcere: cognitum verò tanquam bonum voluntati naturale expetere. Et ſicut appetitus irrationalis ſequitur ſenſum, ſic voluntas quæ eſt rationalis auiditas, ſequitur intellectum. Ergo ſi appetitio cibi eſt naturalis, quia ſubita eſt, non nata conſilio: ſic voluntas immortalitatis eſt naturalis, quia eſt actus ſubitus ſequens meram intellectus voluntatiſque naturam. Nam cum primum menti eſſe ſempiternũ offertur, iudicatur appetendum abſque diſcurſione: & appetitur nullo conſilio præcedente. Quòd ſi vel caſu vel conſilio affectaretur: neque omnes, neque ſemper iidem, neque æque ſemper expeterent: ſed variaretur iſtud ſecundum caſuum conſultantiumque varietatem. Nunc autẽ omnes & neceſſario & ſubito id ſibi adſciſcunt impellente natura: quemadmodum & bonum ipſum neceſſario volumus: hoc autẽ illud nõ neceſſario, neque natura. Ita eſſe tale aut tale,

hic vel ibi, non naturaliter affectamus: esse autē ipsum absolutum, cui nulla priuatio miscetur essendi, trahente natura desideramus. Atque sicut sempiternam vitæ priuationē impellente natura semper horremus: ita sempiternam vitā natura trahente diligimus. Temperauit autem naturæ artifex cum essentia cognitionem: cum cognitione appetitum: cum appetitu finis adeptionem. Ergo sicut brutū esse tantū temporale cognoscit pro naturæ suæ capacitate, ac secundū naturam esse appetit temporale: ita noster animus naturæ suæ magnificentia sempiternum esse cognoscit, & naturaliter appetit. Nam & esse ipsum est secundum naturā appeti- G
bile: & eo quidem modo secundum naturā appetibile, quo & cognoscibile naturaliter. Itaque sicut à natura bruti esse cognoscitur tantum vt temporale ac præsens: ita ab illa desideratur similiter secundū naturā. Ab humana verò natura sicut cognoscitur esse ipsum tanquam perpetuum, ita tanquam perpetuū ab ea naturaliter affectatur: vt quod secundum propriam intellectualem naturam duntaxat notū est, secundū eandē naturaliter appetatur. Quinimmo secundū eandē quod cupimus consequemur. Rationabile enim est, vt per eandem facultatem attingamus in consequendo, per quā in cognoscendo attingimus & volendo: vt eidē naturalis sit terminus motionis, cui naturalis est motio. Ergo qui per cognitionem & voluntatem sempiternam vitā attingit, non video cur per vitam non attingat: cuius quidē vitæ virtute temporalia superante, tā intelligentia quàm voluntas
quæ inde dependent, vltra temporanea sese conferunt ad ę- H
terna. Præterea cum non sit frustra desiderium naturale, consequens est vt hominis animus esse perpetuū consequatur naturaliter exoptatum. Esse inquam perpetuum non in specie tantum, sed in substantia propria. Id enim cupit. Merito corporalia quia propagatione nascuntur, esse perpetuū secū dum propagationem affectant: mens autem esse perpetuū substantiæ propriæ: quia mens quęque in seipsa subsistit, fitque à deo: non iacet in aliquo generationis subiecto, neque successione producitur. Quis autem secundū naturā cupit
impossibilia? Nam quis aut volare, aut siccis pedibus flumi- I
na pertransire? Potest quidem quandoque puer aliquis vanus casu quodam per sensum commotus talium sibi mira-

culorum optare facultatem: sed neque pueri ipsi sæpe talia, neque viri vnquam cogitant aut cupiunt. Vitam verò sempiternam omnes cupimus, atque semper, etiã dum non aduertimus cupere. Itaque non est huius assecutio impossibilis. Hoc autem arbitror summopere aduertendum, quòd
K vita est naturalior quàm scientia: quoniam vita est prior interiorque, & magis continua substantialisque, quàm scientia. Veræ igitur vitę appetitus magis naturalis est quàm scientiæ veræ. Vera scientia est, quæ est oppositi sui id est ignorantiæ, vsque adeo expers, vt neque iam habeat illã actu admixtam per fallaciam, neque in illam per obliuionem vnquam cadere possit. Vera quoque vita est, quę neque secundum actum mixta est mortiferæ qualitati: neque secundum vllam procliuitatem obnoxia morti. Cum igitur veræ id est sempiternæ vitæ cupiditas multo naturalior fit q̃ scientiæ veræ: sequitur vt longe magis naturalis possibilisque sit sempiternę vitæ quàm veræ scientiæ consecutio. Immo verò cum vita multo magis quam intelligentia & voluntas cũ sempiterna vita conueniat: si intelligendo atque volendo, certè longè magis viuendo vitam consequimur sempiternam. Quæ quidem si posterioribus actibus animæ, intelligentiæ scilicet voluntatique se communicat: nimirum vitæ iam ipsi, quæ prior actus est, seipsam prius communicauit. Alioquin naturæ auctor non tam vehementer nos ad huius rei auiditatem quotidie raperet, sicut neque ad alia quæuis rapit impossibilia. Diuinè enim Zoroaster,

A οὐ γὰρ ἀπὸ πατρικῆς ἀρχῆς ἀτελὲς τι τροχάζει,
id est, Nihil à paterno principio progreditur aut voluitur imperfectum.

Signum. II. 12. 13. 14. quòd cupimus quatuor dei virtutes assequi. Cap. 6.

B SVnt quatuor quædã aliæ dei dotes ad virtutes quatuor pertinentes. Vocauimus nanque illum prouidum, iustum, fortem, & temperatum. Quis negauerit deum singula circunspicere. Debitis naturalibusque ordinibus gubernare. In suo statu permanere immobilem dum hęc agit,

neque defatigari? Tranquillum esse, suauiterque singula & moderate tractare? Hominis animam inspice diuinæ prudentiæ æmulam. Quàm curiosè recolit præterita, non priuata solum vel sua, sed publica omnia & mundana. Quàm impensè præsentia scisciatur, aliena etiã & externa? Quàm annixè futuris inhiat. Quàm diligenter futura anticipat secula? Quod grauius audire potest homo conuitium, quàm si insçius & improuidus appelletur? Vnde fit vt nemo velit vltro rei aut artis vllius ignorantiam confiteri: vtpote qui monstrante natura iudicet nullius rei ignorantiam ad hominem pertinere, sed esse illi rerum omnium ferme perinde ac deo peritiam naturalem.

IVstitiam quoque diuinam mens nostra venatur. Quot legibus suum subiicit corpus, Familiam gubernat, Temperat ciuitatem. Moderatur & regna. Quot pœnis sæuit in peccatores? Quot bonos afficit præmiis. Quàm grauiter sceleratissimis indignatur? Quam ardenter vel à malis viri probatissimi diliguntur. Quanto denique ordine ac penè cælesti societas humana disponitur, & in omni gubernatione ad vnum seniorem prudentioremque tanquã totus mundus ad deum vnum dirigitur? Quin etiam latrones iuste inter se prædam dispertiunt. Et iniqui homines si quam inferunt iniuriam, iuste illam inferre putant, vel acceptas iniurias vindicantes, vel tollentes è medio homines nocituros, vel furantes ea quibus indigent ipsi, abundant alij: ac videri volunt iustissime singula perpetrare. In quibus omnibus apparet humanum genus non minorem sibi velle iustitiam vendicare, quàm deus ipse possideat. C

DAmus quoque operam vt dei fortitudinem adipiscamur. Dei profecto fortitudo est status immobilis. Prudentissimi viri hunc sibi statum ex eo pro viribus comparant, quòd statuunt animi bonis contenti viuere: neque vllius facere corporis & fortunæ commoda vel incõmoda: quasi ad se, qui animi ipsi sunt, nihil pertineant. Qui hæc mobilia negligunt immobiles animo perseuerant. Imprudentiores autem eundem optant vitæ statum, sed alia aggrediuntur via: putantes ea sibi rem facilius suc- D

ceſſuram. Quid ergo? Expugnant & ſubiugant pro viribus omnes qui eos poſſe quandoque ex ſua ſede & dignitate de pellere videantur.

E Diuinam præterea temperantiam quis non cupiat? Prudentes ita moderari motus animi ſtudent, vt nulla ex parte diſſideant: imprudentes & corpus & res ſuas ita componere, vt animum non perturbent. Vtrique integram expetunt animi ſui concordiam: & prudenti quidē res ſuccedit quandoque, imprudenti nequaquā. Denique ſicut cęterarum rerum omnium, ita quatuor harum virtutū ſummæ in deo ſunt rationes: adeo vt ſumma prudentia deus ſit, ſumma iuſtitia, & reliqua ſumma. Viri autem harum virtutum ſtudioſi ſummam earum expetunt rationem, dū nihil quod ad ipſarum conſummationem pertineat, ſibi volunt deeſſe. Id omnes optant homines: licet alij alia proficiſcantur via. Omnes igitur deum quærunt. Quærunt autem illi deū rectiſſimo calle, qui primò per ciuiles virtutes affectus animi F ſecundos amputant: deinde per virtutes purgatorias eos extirpant: tertio loco per virtutes animi iam purgati affectus primos inſuper moderantur: quibus tēperatis, denique virtutibus exemplaribus quę ſunt in deo formentur. Formari verò quandoque virtutibus exēplaribus proculdubio poſſumus. Nam præparatio ſiue affectio formam habitumque reſpicit, atque certa quædam affectio certum habitū. Quapropter cauſa quæ ſubiectum aliquod gradatim magis magiſque præparat, ob id præparat, vt formā inducat ſubſtantialem atque præcipuam: & ſubiectum illud ſecundū communem naturę ordinem quemadmodum præparationis illius fit particeps, ita & principalis formę capax effici poteſt. Deus qui virtus ipſa exemplaris eſt, animæ humanæ ſpeciem afficit ab initio ſeminibus quibuſdam incitamentiſque virtutum, per quæ humanis virtutibus id eſt ciuilibus purG gatoriis, purgati animi ad exemplares diuinaſque virtutes cōmode præparantur. Quod tres eiuſmodi virtutes humanæ præparationes ſint ad diuinas, ex eo coniicimur, quòd ex diuinis inſeruntur nobis & excitantur: quòd illarū imagines ſunt ita perſpicuę, vt per ipſas agnoſcantur illę: quòd ad illas gradatim magis magiſque accedunt: quòd ita nos affi-

ciunt, vt in his non quiescamus, sed afficiamur ad illas. Ergo & deus immortali diuinæ virtutis habitu animæ speciem formare quandoq; debet: & animæ species formari potest.

Decimum quintum signum quòd animus summam expetit opulentiam & voluptatem. Cap. 7.

ACcedit quòd vitam dei opulentissimam & iocundissimam posuimus. Nam solus ille summa est opulentia summaque voluptas qui fons est bonorum omniũ nullius egenus. Si ergo summam opulentiam & voluptatẽ summã omnes expetũt homines, dij expetunt fieri. Nõ certa quędam rerũ aliquarum possessio, aut species aliqua voluptatis sufficit homini, quemadmodum cæteris animantibus: sed paulum quid in iis adeptum se putat, donec restat aliquid vel minimum acquirendum. Quamobrem prudentes viri existimantes opulentiam dei gaudiumque in solis intelligentiæ honestatisque thesauris reuera consistere, sola hęc cupiunt: sed ad summum. Imprudentes autẽ homines opinantes maiestatem diuinam bonis insuper corporalibus perflui, appetunt insuper corporalia: & ad summũ. Constat autem eos neque necessitatis neque commoditatis corporalis gratia duntaxat talia quęrere. Nępe etiam si arbitrentur habere se quantum sufficiat ad viuendum, & quantum ad viuendum iucunde: & copiose: nondũ tamen cessant accumulare thesauros, & oblectamenta exquisitissima diligenter inquirere: quod Midas Sardanapalus, Xerxes demonstrauerunt. Ille thesauros in immensum accumulabat: hi summa premia proponebant illis qui noua quotidie inuenirent oblectamenta. Non corpori seruiunt isti, sed obsunt: neque damni corporalis ignari. Non corpori obsequuntur: sed diuinæ felicitatis inuidi, immensam sibi illius copiam tam rerum quàm voluptatum vsurpare contendunt: atque vt hanc assequantur, corpus suum perdunt, afflictant animum, vitãque perturbant. Tandem neque prudentes, licet accedant propius: neque imprudentes hac in vita ingentes illos quos cupiunt, thesauros consequũtur: ideo hic quiescunt nunquã. Res autẽ quęlibet in loco suo ac naturali habitu conquie-

K

scit. Quam obnixè loca sua repetunt elementa? Quam firmiter illis inhærent: Plantæ conueniens sibi solum situmque congruum quàm auide adsciscunt? Quam stabiliter in eo pro viribus permanent Bruta similiter. Talpæ enim sinus terræ,armenta gregesque terræ faciem,pisces aquam,& auidissime petunt, & in his locis trahunt moras quã libentissime. Tandem hæc omnia(vt breui complectar)quando locum habitũque naturalem nacta sunt,quiescũt. Quod indicat & còrpus nostrum quando bene valet.Pastum est belle,molliterque recumbit ad votum.Tunc neque complexio eius,neq; sensus eius comes,qui in nobis ipsa est bestia, poscit aliquid vltrá. At interim vel ratio intellectualis rerũ inquirit causas studiose, & anxie de rebus consultat agendis: vel ratio cogitatrix nouas fingit & postulat voluptates.Stimulatur pœnitentia:suspicione solicitatur. Anxietas huiusmodi,hominis ipsius est propria.Siquidem à viribus animî homini propriis oritur,non elementorum corporalium,nõ bestiæ viribus,quæ in nobis sat habent,vt diximus.Quamobrem homo solus in præsenti hoc viuendi habitu quiescit

A

nunquã:solus hoc loco non est contentus.Solus igitur homo in regionibus his peregrinatur: &in ipso itinere non potest quiescere,dum ad patriam aspirat cælestem: quã petimus omnes: quanuis propter varietatem opinionis atque consilij diuerso calle proficiscamur.Si ergo quæ nobis inferiora sunt, quandoque naturalem habitum patriamque sedem adepta quiescunt: nos quoque necesse est(vt diximus aliàs)hęc assequi posse quandoque,atque quiescere. In vita præsenti non datur ? Merito appetimus enim tanquam naturalem habitum,finemque nostrum,bonũ illud quod tres præcipuè conditiones habeat:videlicet purum sit, integrũ, stabile.In hac autem vita boni possessio neque pura est:quoniam naturalis quidam affectus animæ erga corpus,primique ipsi sensuum motus, mentes virorum vel excellentissimorum distrahunt & perturbant. Neque integra: oportet siquidem omne illud cui naturaliter inest ad actus aliquos potentia nixusque,ad eos ipsos peruenire omnino, siquãdo sit quieturũ.Cũ ergo insit intellectui humano capacitas naturalis atque conatus ad formas rerum omnium percipiendas & possidendas:tunc demum finem suum naturalẽ con-

secutus erit, cum adeptus fuerit omnes. At quia in hac vita talem nunquam habitum adipiscitur, bonum hic integrum nunquam possidet. Neque stabilis quippe bonum nostrum in actione quadam consistit expedita, secuta, continua. B

Omnis autem hominum in terra viuentium actio, impedimentum aliquod & periculum interpellationemque patitur. Quid, quòd quæcunque longiore ad incrementum indigent tempore, solent diutiuscum sunt adulta perseuerare? Homo verò vsque ad extremam senectutem contendit obnixe ad felicitatis habitum acquirendum: quem tandem ex parte quadam percipit, eumque in hac vita ad tempus quã breuissimum possidet.

Quapropter vt habitus qui ex parte est acquisitus, impleatur quandoque: & qui diutissime creuit, permaneat diutissime, necesse est animam corpori superesse. Quæ quoniam hic Italiam sequitur fugientem, neque patrium portum attingit: solicitatur mœretque assidue. Porro, quod mirabile C est, quotiens ocioſi sumus, totiens tanquam exules incidimus in mœrorem, quamuis mœroris nostri causam aut nesciamus, aut certe non cogitemus. Ex quo factum est, vt homo nequeat solus viuere. Nam cæterorum hominum societate, ac insuper multiplici oblectamentorum varietate, latentem perpetuamque mœstitiam expellere posse putamus. Sed fallimur heu nimium.

Sanè in mediis voluptatum ludis suspiramus nonnunquam ac ludis peractis discedimus tristiores. Idem accidit nobis quod illis qui esuriente stomacho dormientes insomnis comedunt, nec implentur: quia non imaginem cibi, sed ipsum cibum stomachus appetebat.

Nos quoque menti nectar id est visionis paternæ gaudium sitienti, offerimus lethales lethæi fluminis aquas, dum vmbratiles adhibemus ludos corporalium voluptatum: quæ falsæ voluptates sunt: non solum quia breuissimæ, ac plenæ solicitudinis, sed quia mixtæ dolori. Siquidem appetitio indiga, dolor quidam est. Voluptates autem corporis tamdiu percipiuntur, quamdiu egestas & appetitio permanet. Merito igitur oblectamenta terrena nõ implent animũ, sed titillant. Ille siquidẽ res veras affectat, & gaudia vera: res autẽ corporales vmbræ sunt rerũ: earumque illecebræ, vmbræ

sunt gaudij. Quamobrem si neque alicuius rei temporalis, neque cunctarum temporalium rerum potus sitim mentis extinguit, non temporalem sitit liquorem: sed æternum. Ac si sitim superno sole accensam, impleri oportet quandoque, atque nunquam lethæo flumine satiatur: aliquando æterno nectaris haustu satiabitur.

Sed iuuat rursus, quæ dicta sunt, his quæ referam priscorum theologorum mysteriis confirmare. Affirmant enim D animas in corporibus dormitare: & quæcunque hic agere putative videmur, nihil aliud esse quàm somnia: cogitationesque animarum separatarum à cogitationibus coniunctarũ multo magis differre, quam vigilantium ab insomniis dor E mientiũ: similiterque à voluptatibus voluptates. Quod qui dem ita probatur. Experimur in nobis non solum quotidie, verum etiam ferme qualibet hora, quotiens pauculus quidam vapor aliquanto crassior & humidior ab inferioribus corporis partibus exhalans, caput ipsum petit, cerebrique meatus opplet, statim nos somno grauari: mox etiã insomniis imaginibusque deludi. Experimur quoque nonnunquã si vapor aliquis bilis atræ, quam melancholiã græci vocant, arcem corporis obsederit expugnaueritque, statim reginam inde nostram, ipsam videlicet rationem, vt ita dicã, præcipitari, ac manifesta homines insania corripi. Si fumus quidam exiguus tantam in nobis vim habet, si tam leuis motus nos tantum mutat, quanto magis censendum est cælestem immortalemque animum, quãdo ab ea puritate qua ab initio creatur, delabitur, id est quando obscuro terreni, moribundique corporis carcere clauditur, tunc (vt est apud Platonicos) è suo illo statu mutari? quippe qui tunc non vno & consueto tantum humoris alicuius fumo, sed omnibus pariter nouisque humorum omnium vaporibus, atque ipsa insuper humorum membrorumque insueta mole grauatur: præterea informi illa materia, quę à formosissima mentis forma diuersissima est, tanquam flumine Lethæo submergitur.

Quamobrẽ toto illo tempore quo sublimis animus in F simo agit corpore, mentem nostram velut ęgram perpetua quadam inquietudine hac & illuc, sursum deorsum iactari, necnon dormitare semper & delirare Pythagorici & Platonici arbitrantur: singulasque mortaliũ motiones, actiones, passiones

passiones nihil esse aliud quàm vertigines ægrotantiũ, dormientium somnia, insanorum deliramenta: vt non iniuria Euripides hanc vitam vmbræ somnium appellauerit. Proinde cum fallantur omnes, ij tamen minus falli solent, qui interea quandoque ita vt interdum fit in somno, suspicantur, secumque ipsi dicunt. Forsitan non sunt vera quę nunc nobis apparent: forsitan in præsentia somniamus. Quicunque inter somniantes sic est affectus, talis certe est ad alios qualis apud inferos ab Homero dicitur esse Tiresias. Solus, inquit, iste sapit: cæteri verò omnes velut vmbræ volitant: immo vmbræ volitant. G

Decimum sextum signum, quòd colimus nos ipsos ac deum.
Cap. 8.

SVperest vt de duodecima illa dei dote loquamur, per quam seipsum amat & colit: quam homines duobus sibi modis vendicant. Primo, quòd omnes non modo vt cætera faciunt cuncta, se diligunt & tuentur, verum etiam colunt seipsos magnopere, & quasi quædam numina venerantur. Id agunt prudentes quatenus externa & corporalia animo tanquam principi subigunt. Toti ex mente pendent tanquam ex deo. Augustam quoque suæ mentis maiestatẽ velut diuinam statuam vilibus cogitationibus terreniśque sordibus temerare nefas existimant. Quæ quidẽ notio naturalis humano generi pudorem verecundiamque ingenuit vt non modò aliorum hominum conspectum quasi diuinorum, verumetiam proprię mentis conscientiam (quod præcepit Pythagoras) tanquam dei faciem vereamur: quę nos assidue malefactorum pœnitentia stimulat, etiam si pœnã non metuamus. Bene autem factorum oblectat memoria. Quasi cælestis animus à terrenis vitiorum maculis semper abhorreat. Idem imprudentes quodammodo faciunt: sed à prudentioribus in consummando hoc opere superantur. Idẽ rursus sed aliter agunt homines dementissimi, prout nimiũ placent ipsi sibi: pertinacissime in sua persistunt opinione: sententiam suam tanquam diuinum decretũ mordicus tenent. Cuncti denique homines, excellentissimos animos, atque optime de humano genere meritos in hac vita, vt diui- H A

nos honorant: solutos à corporibus adorant, vt deos quosdam deo summo charissimos: quos prisci Heroas nominauerunt. Tanta verò ad se & ad suos reuerentia non apparet in bestiis, nedum vilioribus, sed neque etiam in maioribus. Atque hic primus est modus quo homines diuinum imitantur cultum: videlicet quia seipsos vt deos colunt. Est & alter B quia scilicet soli nos animantium omnium colimus deum: soli nos deū affectu, gestibus, vetbis, delubris, sacrificiis honoramus. Quod Plato in Protagora maximū esse vult nostræ diuinitatis iudicium, quòd soli nos tanquam sortis diui næ participes, ob cognationem quandam deū agnoscimus & cupimus tanquam auctorem: inuocamus & amamus vt patrem: vt regem veneramur: timemus vt dominum. Sicut enim sol sine sole non cernitur: sicut aër sine aëre non auditur: ac plenus lumine oculus videt lumen: plena aëre auris audit aërem resonantem: ita neque deus sine deo cognoscitur. Sed animus deo plenus tantum in deum dirigitur, quantum & diuino lumine illustratus agnoscit deum: & diuino C calore accensus sitit eundem.

Hinc animus dei templum efficitur: vt Xystus pythagoricus arbitratur. Dei verò æterni templum nunquam existimat ruiturum. Deum agitat mens humana quotidie. Deo ardet cor. Deum suspirat pectus. Eundem cãtat lingua. Eundem caput manusque adorant & genua. Eundem referunt hominum artificia. Si non audit hæc deus: forte videtur ignorans. Si non exaudit: forsitan apparebit ingratus. Crudelis quodãmodo, si vociferari nos cogit quotidie, quos non exaudiat. Neque audeat quisquam dicere deum humana despicere tanquam minima. Sane commoda habitatio tanquam finis fabrum mouet quasi agentem causam, vt certam quandam domus formam excogitet: ob quam formã rursus certam quærat materiam. Vbi finis mouet agentem: agens formam: forma materiam. Idem accidit in ciuilibus belliciſque consiliis. Quo fit, vt finis sit causa causarū: ideoque omnes causas antecedat. Sunt autem naturalia quæque certi alicuius finis gratia instituta, cum singula ad singulos potissimū vsus conducere videantur. Puta vimen palmitis (quem capreolum vocant) ad hoc natum est, vt vitem proximæ arbusculæ vinciat. Hic vinciendi actus, causa est vt or-

tum sit vimen. Quia verò quod nullo modo est, id neque esse potest essendi causa effectui cuiquam, neque causas omnes mouere: necessarium est actũ huiusmodi & ante vimen & ante reliquas omnes vitis causas extitisse. Non autem extitit in corporibus, nisi nouissime. Ergo in natura quadã incorporea rectrice corporũ extitit longè prius quàm in palmite. Quæ quidẽ natura vitis artifex gratia talis actus per formam suam, viminis formam in tali quadã materia figurauit. Sed vtrũ actus huiusmodi in natura illa præfuit secundum naturæ modũ, an secundũ propositũ voluntatis? Certe secundũ vtrunque. At ex illo idem erat quod agentis forma quędã, & effectus ipsius exẽplar. Ex hoc erat finis. Vbi autẽ artificiosę voluntatis propositum est: ibi mens. Quapropter præest omnibus corporibus diuina mens, quæ corporalium omnium formas intellectuali modo complectitur, & tanquam sagittarius singula ad suos dirigit fines: ad vnum denique cuncta. Diuinus hic agricola colit pãpinos, capreolos, & radices. Vnde enim aut pãpini vertuntur ad solem vmbra vitata? Aut capreoli tanquam manus ad eam partẽ præcipue protenduntur, vbi est propinquius sustentaculum? Aut radices fugientes aridꝰitatem, ad humorem maxime propagantur? Electio quæ non errat, artificiosi consilij, immo verissimi intellectus est opus. Non tamen ineſt vera mens vitibus. Ergo adest. Adest insuper abiectissimis quibusque bestiolis, quę in suis artificiis semper eligunt potiora. Colit deus arbores: ducitque & pascit belluas: quod & prisci theologi voluerũt. Nunquid solos despicit homines? qui E soli in terris diuinam non despiciunt maiꝰtatem?

Absit: immo verò si deus nullas omnino vel minimas mundi negligit partes, profecto non despicit genus humanum: quod est mundi pars adeo pretiosa, vt media sit temporalium rerum & æternarum, quantum æterna capit, ordinat temporalia.

Adeò deo proxima, vt sese diuinæ mentis arcanis insinuans, opus hoc dei, ordinem scilicet mundi cognoscat. Mundani ordinis intelligentia eo ipso ordine est excellentior. Siquidem ordo huiusmodi per intelligentiam est factus, & regitur. Si per cognitionem animus noster est mundo præstantior: per vitam quoque præstantior erit.

Cuius virtute à corpore ſeparabili idipſum habet, vt per operationem poſſit à corpore ſeparari : ipſumque mundum
F vitæ (vt ita dixerim) ſupermundanæ virtute tranſcendere.
Quantum verò mundi ordinem intelligentia ſuperet, hinc apparet, quòd ordo talis diſpergitur tempore : intelligentia totum ſimul ac ſtabilem poſſidet. Ordo rurſus cauſam ſuã ſequitur, non aſſequitur: intelligentia cauſam aſſequitur ordinis, quando deum eius artificem inuenit, vbi tam ampla capit de deo, vt mundum deinde velut vmbrã poſthabeat. Rem verò tantam non ſpernit, niſi qui concipit ampliora. Si tam amplius eſt animus hominis, cur negligatur à deo rerum vel minimarum procuratore ? Si deũ ſentit animus, cur & deus ſentiat animum, præſertim cũ deus hanc ipſam vim actionemque ſentiendi animo dederit, & ſeruet, & ducat? Hinc dauid interrogat: An qui plantauit aurẽ, non audit? Et qui finxit oculos, non conſiderat? Præterea ſi animus ad deum aſcendit : cur non deſcendat quodãmodo deus ad animum? Si quæ iuſta ſunt, à Deo mens poſtulat, dum paternam poſcit hæreditatem, cur non exaudiat deus? Quid poſtulat à parente indulgẽtiſſimo hic natus officioſiſſimꝰ? Æternitatem. Impetrabit certe. Poteſt enim deus æternus eam tribuere: poteſt capere vita mentis æternitatem, quam capit eius cognitio & voluntas. Non enim vult niſi cognoſcat: neque cognoſcit etiam: niſi viuat. Quinetiam dari debet æternitas menti, quæ & tranſcendit tempus, ac pro deo æterno deſpicit temporalia. Quod non modo religioſiores, verum etiam impij quodammodo faciunt. Nam quos non allicit amor dei, ſaltem terret timor. Quos non terret metus, ſuſpicio ſaltem ſolicitat. Itaque homines multi omnia omnes certe quam plurima vitæ commoda temporalis abiiciunt dei amore, vel ſuſpicione vel metu. Deus igitur debet pro temporalibus æterna tribuere. Nullum verò animalium reliquorum præſentibus abſtinet bonis propter futu-
G rorum deſiderium. Quo fit vt homo ſtultiſſimus ſit animalium omnium, atque miſerrimus, ſi neque præſenti fruitur vita, neque futura. Atque hæc eius ſtultitia miſera, ac ſtulta miſeria ex eo proueniet, quia ſe deo ſapientiſſimo feliciſſimoque crediderit. At enim ſicut non poteſt quicquã ignis propinquatione fieri frigidiſſimum, ita non poteſt homo,

quia solus hæret deo sapientissimo beatissimoque, stultissimus ex hoc miserrimusque euadere: immo verò ob hoc ipsum fit beatissimus, quòd beatissimo se coniungit. Iungit se illi, temporalia contemnendo, æterna desiderando. Si contemnendis temporalibus fit beatus: non aliter talis efficitur nisi æternarum rerum adeptione. Præterea si deus prima & summa est vita: animal quod ipsi proprius hæret, viuit diutius. Non autem viuimus diutius corpore. Si deus summa sapientia est, homo tanto est sapientior cæteris animalibus, quanto deo hæret propinquius. In hac autem appropinquatione se iudicat immortalem. Quia verò iudiciũ huiusmodi verum est, quod fit ab animo tunc quãdo est aliis animalibus & hominibus sapientior: verum est esse animũ sempiternum. Si prima veritas non potest fallere, non falletur spes immortalitatis à prima immortalitate vsque adeò nobis inserta, vt inuitis reclamantibusque omnibus inter quæ versamur, spem eiusmodi semper retineamus. Si prima bonitas non est malefica, auiditas primi boni nobis ab illa infusa non priuat nos temporalibus bonis nisi vt tribuat sempiterna. Si opinio quæque eo verior est, quo melior: atque eo melior, quo meliores efficit opinantes: opinio immortalitatis omniũ verissima est: quia præ cæteris optimos excellentissimos homines, ideoque felicissimos efficit. Quis ignorat id in natura hominis verissimũ esse, quod maxime ad perfectionem conducit humanam? Si intellectus natura amat deum tanquam ipsum verum bonumque: ac deus & amat intellectum, præsertim pium, tanquam ipsi cognatissimum: & redamat tanquam amantem: fit vt naturalis quædam inter eos sit amicitia. Amicitiæ finis est vitæ cõmunio. Potest ergo dei vita intellectui communicari: ea videlicet ratione qua amatur ab illo. Siquidem talis est amicitię finis qualis est amicitia: atque contra. Amatur verò desideraturque perpetua. Quod inde confirmari videtur, quia cum boni proprium sit allicere ad se cuncta, seque cunctis communicare: necesse est infinitũ bonũ, qui deus est, trahere communicareque infinite. Ideo communicat cuique se ad votũ: quia idem ipse deus communicat, qui & traxit. Intellectus autem non minus secundum naturam exoptat perpetuam dei vitam, quàm certam illius intelligentiã. Denique si deus

A

beneficus, immo ipsa beneficentia est, officio gratitudinis carere non potest. Non potest autem gratus esse erga eum qui diuini cultus amore vitam amittit præsentem, nisi post hanc vitam.

Religionem esse humano generi maxime omnium propriam & veridicam. Cap. 9.

B HOminem esse brutis præstantiorem, opera eius euidentissimo testimonio sunt: quod ostendit. 12. libro animalium Aristoteles. Quæramus igitur qua præcipuè dote sit præstantissimus. Videtur sane præstare artium & gubernationis ingenio: præsertim quia (vt aliàs declarauimus) homines variant artificia: vtpote qui ipsi artifices sint, non alterius artificis instrumenta. Bestiæ verò non variant, quia artificiosæ naturæ instrumenta sint potius quàm artem ipsæ possideant. Verum licet artis & gubernationis ingenio cęteris animalibus præcellamus: communis tamen hæc nobis est cum brutis industria. Oportet autem humanam speciem, postquam à brutis distincta est, distinctam aliquam propriamque habere perfectionem, cuius non sint bestiæ vllæ vllo modo participes. Num sermo hic erit? At nutu, clamore & cantu sermonem bestiæ imitantur. Num ratio? Ratio certe: non omnis tamen operatio rationis. Nã ratio quidem actiua habet & in bestiis vestigia quędam per artium & gubernationis indicia. Ratio quoque rerum naturalium speculatrix habere videtur nonnihil in bestiis imaginarium. Nam & ipsæ morbis suis ciborũ remediorumque quorundam electione medentur: & quasi futurarum tempestatum prouidæ, argumenta præferunt futurorum: mutantque loca: vt ventura temporum vitent discrimina: quan C uisad hoc ducantur potius natura quàm ducant. Quid ergo reliquum est: quod omnino solius sit hominis? Contemplatio diuinorum. Nullũ enim bruta præ se ferunt religionis indicium: vt propria nobis sit mentis in deum cæli regem erectio, sicut corporis in cælum erectio propria. Cultusque diuinus ita ferme hominibus est naturalis, sicut equis hinnitus, canibusve latratus. At si quis curiosus affirmet bestias D insuper nonnullas cælestia venerari: (quod ego minime cre

do) respondebunt Platonici, huiusmodi bestias vel aliud quoduis tunc facere cum cælestia honorare videntur. Vel si forte honorant, tamen nescire quid agant. Vel si sciunt: eas quoque intelligentiæ immortalitatisque participes esse. Sed reuera, vt ad propositum reuertamur, perfectissimum animal ea proprietate maxime tum perfectione pollet, tum ab inferioribus discrepat, qua perfectissimis id est diuinis coniungitur. Rursus si homo animalium mortalium perfectissimus est qua ratione est homo: ex ea præcipuè dote est omnium perfectissimus, quam inter hæc habet ipse propriam, animalibus non communem. Ea religio est. Per religionem igitur est perfectissimus. Si religio esset inanis: per eam rursus omnium foret imperfectissimus: quoniam per eam, vt paulò ante exponebamus, dementissimus foret atque miserrimus. Non potest autem per eandem sui partem ita contraria perpeti, vt per eã tum summe perfectus sit, tum summopere imperfectus. Est igitur religio vera. An ignoramus vaticinium illud quod à tota aliqua animalium specie fit, E verum esse? Reptilia multa oriẽte sole è terræ sinu erepunt: aëris caligo protenditur. Cornicum plurima turba vespere à certa aëris plaga peruolat: venti prænunciãtur. Communi quoque hominum vaticinio religio vera est.

Omnes nanque semper vbique colunt deum vitæ futuræ gratia. Verum est igitur vitam aliam fore, si modo perfectissima species animalium verissimum habet iudicium illud, quod sibi est maximè omnium naturale. Talem autem esse religionis assertionem apparet non solum ex eo quòd solius hominis est, verum etiam ex eo quòd omnes hominum opiniones, affectus, mores, excepta religione, mutãtur. Cum religionem dico, instinctum ipsum omnibus gentibus communẽ naturalemque intelligo, quo vbique & semper prouidentia quædam regina mũdi cogitatur & colitur. Ad quam certe pietatem causis præcipuè tribus inducimur. Primò quidem naturali quadam (vt ita loquar) sagacitate, ab ipsamet prouidentia nobis infusa: deinde philosophicis rationibus ex ipso ædificij ordine architecti prouidentiam comprobantibus; postremò propheticis verbis, atque miraculis. Quod verò modo de propheta dixi, operæpretium est deinceps argumentis quæ & Plato in Protagora & A-

cur Homo animal sociabile

uicenna adducit in metaphysicis, confirmare. Homo (vt aiũt) est animal naturaliter sociabile. Eget enim necessariò
G multis: quæ singuli comparare non possunt: cuncti verò in vnũ congregati, mutuas sibi vicissim operas submiſtrant. Præterea quòd sociabile sit, indicat sermo quasi quidam alterius ad alterum humanæ mentis interpres: quem natura homini non dediſſet, niſi fuiſſet in cœtu victurus. Quamobrem naturalis est homini congregatio. Verum si absque lege concurrant, paulò pòst mutuis disgregabuntur iniuriis: disgregati verò tum multorum defectu peribunt, tũ velut inermes laniabuntur à feris. Vt ergo viuant, & bene viuant: congregari eos necesse est. Sed rursus vt in cœtu permaneant, omnino opus est lege. Ea inquam lege, cuius tanta sit auctoritas, vt nemo vel violentia vel dolo præuaricari se posse aut debere confidat. Talis autem esse non potest,
H niſi legiſlator sit exiſtimeturque diuinus. Denique vt talis sit habeaturque, oportet eum manifestis quibusdam miraculis ad homines diuina prouidentia mitti. Quem sanè prophetam, humani generis diuinum ducẽ Plato & Auicenna
I cognominant. Huc tendit Platonicum illud in libro de regno: Quemadmodum beſtiæ nequeunt à beſtia feliciter sine homine duci, ita neque homines ab homine sine deo.

cur lege opus est

prouisor Legis latior

Nota

Rursus in Protagora inquit non potuisse homines simul viuere absque lege, neque legem ad hoc sufficientem accipere à Promętheo, id est creata quadam prouidentia potuisse: sed Iouem ipsum omniũ creatorem ad homines vnà cum lege misisse Mercurium, id est prophetam aliquẽ, & diuinæ voluntatis interpretem, & legis tam diuinæ quam humanę latorem. Quod autem deus prophetas certis seculis ad offi-
K cium eiusmodi mittat, sicvnà cum Auicenna ostendere possumus. Si deus humano corpori non solum in rebus omnino neceſſariis, sed etiam commodis, accuratissime prouidet velut in superciliis palpebrisque, & plantarum concauitate: multo magis animo, totique hominũ generi in rebus præcipuis, maximeque ad bonum nostrũ neceſſariis prouidet: præsertim cum bona minora maiorum gratia sint. Ideoque si minora bona ab initio statim nobis adsunt, absque dubio adsunt etiã maiora: quæ adesse possunt, & causæ sunt vt minora non desint. Quamobrem deus circa legem diuinam,

prophetamque conditorē eius, ita prospicit, vt de cuius bonitate singula mēbra corporis iure conqueri nequeunt, multo minus animus ipse horū dominus, vniuersumve genus humanum vlla vnquam ratione conqueri possit. Probat insuper Auicenna animam quidē prophetica lege virtuteque imbutam, à diuina solum prouidentia mitti: corpus autem ad animam prophetę suscipiendam idoneum, disponi à deo non tamen proxime, sed per animas cælorum motrices, tanquam per ministros, ac etiā per cęlos ipsos quasi per instrumenta dei: ita vt diuina lex, vtpote incorporea, quanuis per cælestia corpora effici nequeant, quodammodo possit indiciis quibusdam à cælo acceptis significari: quod etiam ex multis Plotini disputationibus comprobatur, in quibus ille demonstrat, quæ ad mentem nostram pertinent, à cæli corpore fieri nunquam posse, sed tamen significari. Siquidem mentes cælorum motrices nostra hęc pręuident: cogitationesque suas sæpe cęlestibus quasi oculis nutibusque suis indicare videntur.

A

B

Tres obiectiones Lucretianorum: & solutiones. Prima. Cap. 10.

NOn est credendum Lucretianis dicentibus religionē non à iudicio naturali, sed à complexionis corruptione, consilij legibus, cæli impetu prouenire. Profecto à complexionis corruptione idcirco eam proficisci non arbitror, quia non est in hominibus complexio deterior quam in bestiis: præsertim ad veritatis iudicium, bonique delectū. Homines autē soli ac sedulò religionibus occupantur. Sed neque etiam inter homines qui deprauatam habent complexionem, hi sunt propriè qui colant deum. Omnes enim corruptam non habent. Omnes tamen quodammodo deum colunt, & coluere semper: neque tamen semper fuit hominum deprauata natura. Neque rudes tantum homines adorant, sed etiam ingeniosi & sapientes: quod ostenderunt Persarum magi, AEgyptij sacerdotes, prophetę Hebręi, Orphici, Pytagorici, Platonicique philosophi, ac prisci theologi Christianorum. Hi omnes sine controuersia mirabili sapientia pollebāt, & incorporabili sanctitate. Porphyrius de

C

D

voto disputans inquit præstantissimos quosque apud omnes gentes sapientiæ studio votis incubuisse: quales apud
E Indos Brachmanæ, apud Persas magi, similesque apud Græcos Chaldæosque fuerint. Hæc ille. Neque eos simulasse putandum, qui tum perpetuus operibus, tum vitæ periculo linguæ sanctimonia confirmarunt. Fuerunt & alij complurimi doctissimi philosophi, barbari Græci atque Latini, qui & si non tanta excellerent castimonia vitæ, quanta illi quos antè commemoraui, honestis tamen moribus duxerunt vitam: religionibusque fauere non dubitauerunt. Fieri quidem potest, vt aliqua ex parte horum aliqui simulauerint: non tamen omnes credo simulauisse: neque eos qui simu-
F lauerunt, omnis fuisse religionis expertes. Difficile enim est naturam prorsus exuere. Impios quidem præ cæteris fuisse traditur Diagoram, Dicæarchum, Epicurum, Lucretium: qui etiam natura cogebantur interdum nonnihil religionibus assentiri: quod eorum libri testantur. At sicut isti nonnulla impune contra religiones in mediũ protulerunt, ita & alij multi philosophi palam impietatis virus euomuissent, si plurimi fuissent impij. Aliud autem est hunc aut illum religionis cultum non admittere, quod faciunt multi: aliud omnem religionem funditus tollere: quod tentauerunt quàm paucissimi: & illi quidẽ suspicantes potius quàm prorsus asseuerantes. Porro si qui ingenioſi viri ac docti in religione reperiantur ambigui, non est mirandum. Duas e-
G nim ætates Plato scribit esse valde religiosas, pueritiam, & senectutem. Nam pueri cum lacte religionem sugunt, & in iis permanent quæ imbiberunt quousque in adolescentia ratio excitetur: quę sua natura singularum rerum causas rationesque requirit. Si in hac ætate aut ea studia capessant, aut in eos sermones incidant, quibus diligenter rerum causæ perquirantur: incipiunt quasi nihil velle asseuerare, nisi cuiusipsi rationem perspexerint. Tunc primum religionem magna ex parte post tergum abiiciunt: nisi forte legibus, seniorumque consilio se committant: quia diuinorum occultissimæ rationes longo vix tandem tempore, exquisitissima diligentia, purgata mente perspiciuntur. Adolescentes illi rationes huiusmodi nondum attingunt: & quia nihil ferme asserunt cuius non videant rationem, si proprio consi-

dant iudicio, religionem quodammodo negligunt. Nonnulli in hac opinione cõstituti, Aristippicis voluptatibus se- H
se dedunt, tandem nihil amplius de religione nisi tanquam
de anilibus fabulis cogitantes. Alij verò Pythagoreo ritu
purgant mentem à sensibus per morales, physicas, mathe-
maticas, metaphysicas disciplinas: ne tanquam superiores il-
li lippos adhuc oculos in diuinum solem subitò dirigentes,
caligare cogantur: sed gradatim progredientes, lumen di-
uinum in moralibus primò tanquam in terra: secundò in
physicis tanquam aqua, tertiò in mathematicis tanquam in
luna, quarto metaphysicis tanquam in sole perspicue salu-
briterque perspiciant.

Hos appellat Orpheus Musarum legitimos sacerdotes: qui I
tandem in ętate maturiori de religione sentiunt multo me-
lius: quemadmodum legimus apud Platonem in epistola
ad regem Dionysium: in Phædro in primo de repu. in deci-
mo legum. Monet autem iuuenes Plato ne temere de di-
uinis sententiam ferant, sed credant legibus, donec ætas ipsa
doceat vel per eos disciplinarum gradus quos narrauimus:
vel per experientiam: vel per quandam animę à corpore se- K
parationem: quam moderata senectus adducit: vt anima in
ea ætate res à corporibus separatas quasi è proximo videns
clarius discernat quàm consueuerit.

Quapropter cum Plato Dionysio adhuc iuueni diuina quę L
dam mysteria sub quodam velamine tradidisset, adiunxit
primum, vt ea diligenter examinaret: nullum enim hoc stu-
dium beatius esse posse.

Deinde caueret ne in hominum imperitorum aures hæc ex
ciderent: quia nulla sint apud vulgus quidem magis ridicu-
la: apud autem viros bono ingenio præditos magis mira-
bilia & diuina. Addit insuper, diuina mysteria postquam
frequentius, immo semper examinata sunt, vix tandem
multo labore tanquam aurum purgari atque lucere: vt e-
tiam multi, & illi quidem acutissimi eruditissimique, cum
talia in iuuentute atque etiam in trigesimo ætatis anno
audientes tanquam incredibilia reprobauerint, postea ta-
men siue maturioris ætatis siue diligentioris examinis be-
neficio, siue potius diuina (vt alibi dicit) reuelatione, talis
tanquam omnium probabilissima manifestissimaque cõ-

cesserint, contraria verò tanquam falsa damnauerint.
Hæc Plato. Accedit ad hæc, quòd multi in quauis arte excellentes viri, vel melancholici sunt, quales Heraclitus, M
Aristoteles, Chrysippus fuerunt: vel fiunt, quales Democritus, Zeno Cittieus, Auempaces Arabs, Auerrois euaserunt. Hic humor frigidus est, siccus & ater: quæ quidem tres qualitates tribus illis contrariæ sunt in quibus vitę consistit vigor, calori videlicet, & humori, spirituique perlucido. Talis itaque humor: tanquam vitæ contrarius aufert spem vitalem, & animo suspicionem iniicit contra vitam: quo fit vt de immortalitate animi nonnunquam ambigant & diffidant. Quod sibi contigisse scribit Auempaces. Non ideo diffidunt, quia sunt excellẽtes ingenio vel doctrina: sed quia ob humorem terreum suspicioſi & timidi. Nam rudes hebetesque homunculi nonnunquam ipsi quoque diffidunt, si eodem illo premantur humore. Et viri egregij sæpenumero sperant quàm optime, si humore eiusmodi non vexẽtur: quanquam qui vexantur ab ineunte ætate, si tamen non peruerse omnino fuerint educati, inanes suspiciones abiiciunt facilè, & naturalem sequuntur religionis instinctum.
Tanta est ipsius naturæ vis, tanta stabilitas. Quod Pythago- A
ras, Socrates & Plato & Varro Apolloniusq; Tyaneus sunt præ cæteris assecuti. Quapropter suspiciones illæ nihil habent momenti ad animorum mortem significandam: cum neque ab ingenio, neque à sapientia, sed à morbo proficiscantur. Quin etiam illi sæpe sunt acutiores, in quorum or- B
tu Saturnus & Mercurius possunt quàm plurimum. Nam hæ stellæ inuitant ad contemplandum: quoniam ad interiora spiritus contrahunt. Hi planetę si directi sunt, optimeque dispositi, ingenium augent: religionem non minuunt. Sin retrogradi, neque optime dispositi: vndique hominem reddunt formidolosum admodum atque suspicioſum ob terream ipsorum qualitatem non sufficienter aspectu aliorum syderum temperatam. Quo fit vt non in religione solũ, sed in rebus etiã aliis ambigat & diffidat. Cæterum meminisse oportet, eã opinionẽ siue affectionẽ non satis habere fidei, quæ sequitur aut ingenium melancholicum, ægrum, & quodammodo vitæ contrarium, aut indecentem & noxiam positionem syderum: quæ etiam complexionem peruertit

humanam: ac defectū affert ſecum non modo quantū ſpectat ad vitæ fiduciam, ſed etiam quantum ad humanarum rerum gubernationem. Vnde impij homines plurimū vel ignauiſſimi ſunt, qualis fuiſſe dicitur Epicurus: vel flagitioſi, qualis Ariſtippus: vel inſani, qualis ſectator eorum Lucretius: qui dum inſania propter atram bilem concitaretur, animam ſuam primo conatus eſt verbis perdere in libro de natura rerum tertio: deinde corpus ſuum gladio perdidit. Ergo ſicut de vini ſapore non eſt ægrotanti credendum, ſed bene valenti: ita de fine humanæ vitæ credendum eſt humano ſanoque ingenio potius quàm inſano. Sanam verò & naturalem hominis complexionem appello ſanguineam, ac D maxime temperatam. Sanguinea aërea eſt, in calore & humore vitali conſiſtens. Temperata cælo eſt ſimilis: neque veritatis iudicium interturbat. Tales ſunt plurimum humanæ complexiones ad ſanum ingenium prudentiamque accommodatæ: quæ religionem nobis non afferunt quidem (eſt enim hæc menti infuſa diuinitus: cum diuinorum gratia negligi cætera iubeat) ſed eam nequaquam impediunt, neque vanas animo ſuſpiciones iniiciunt. Quod autem in pluribus perfectioribuſque eſt, naturale cenſetur. Quod in pauciſſimis & ægrotantibus, monſtroſum. At verò naturale quidē E veridicum: monſtroſum verò fallax eſſe ſolet. Iudiciū autē religioni fauens reperitur in pluribus grauioribuſque hominibus: in pauciſſimis verò leuiſſimiſque contrariū: quorum exemplo alij quoque nonnunquā inficiuntur. Atque in illis pauciſſimis non eſt hoc iudicium rationis, ſed morbus animi, formidoloſaque ſuſpicio à deprauata complexione corporis proficiſcens. Quod ex eo patet, quòd ſæpe homines huiuſmodi rationes quidem habent animi æternitati fauentes, ſuſpicantur tamen: tanquam ij quorū ratio aut iudicat vinum non eſſe bibendum, pulmones nihilominus ſitiunt: aut iudicat nihil eſſe in via quod noceat: horret tamen ſenſus in tenebris. Neque ſolum contracta vel à parentibus vel à ſyderibus iniqua complexio, ſed vſu inducta qualitas, vt ſignificauimus ab initio, à religione humanum genus abducit. Solent enim homines in quauis diſciplina nimium curioſi, propter nimiam cerebri agitationem ſiccato F cerebro quodammodo inſanire: quod in Theæteto ſcribit

Plato contra illos qui nihil in rebus stare vnquã dicebant: quos inquit vertigine affectos ob frequentem reuolutionem, putasse omnia verti: cum verterentur ipsi. Itaque non mirum est si curiosi artium viri nonnunquam & in religione & in rebus aliis manifeste delirant: quorum insaniam declarant tum mores leuissimi, tum ridiculæ nimium in rebus multis opiniones, opinionumque ipsarum contrarietates. Non igitur à corruptione complexionis religio, sed
G impietas nascitur. Neque solum à deprauata complexione, sed & à deprauatis moribus impietatem nasci Plato in epistolis ad Syracusanos asserit, dicens credendum semper esse priscis sacrisque oraculis asserentibus animam hominis esse immortalem, iudicesque habere, ac pœnas pati maximas cũ à corpore fuerit separata. Quapropter minus malum existimandum esse perpeti grauissimas iniurias, quàm inferre.
Quæ quidem auarus homo mentisque inops aut non audiat, aut deridere soleat: voluptatibusque deditus, quasi cæcus non cernat quàm maximum semper malum viuentem se impie necessariò sequatur: & post mortem quàm misera demigratio ipsum maneat. Hæc ibi omnia. Similia quoque in Gorgia & in decimo de repub. & in legibus: vbi addit
H hanc de anima sententiam necessariis adamantinisque rationibus esse probatam. Quod vsque adeo Cleombroto persuasum fuit, vt se hac vita alterius amore priuauerit. Demosthenes quoque ait male honestè mori, quam turpiter
I viuere, postquam Platonem Zenocratemque de animorum immortalitate differente audisset. Neque silentio prætereundum puto maximam impietatis causam à Platonicis in genus infimorum dæmonum referri solere, qui tacita quadam persuasione vel propter ambitionem infalsam, vel propter inuidiam in nullam religionem pro viribus nos impellunt.

Secunda obiectio & solutio.

K COnfutauimus obiectionem primam Lucretianorum, qua dicebatur dei cultum humanæ naturæ deprauatione cõtingere. Vbi apparuit Lucretianos esse potius deprauatos: qui naturam hominum ex eo pessimã iudicant,

quòd deo optimo iungitur. Sed nunquid quod secundo afferunt loco, diuinorum veneratio à consiliis hominum nascitur, & ciuilibus institutis? Nequaquã. Dici enim non potest quàm citò hominum inuenta mutentur, etiam vera: nedum falsa & simulata. Omnia hominum instituta breui tẽpore in contraria instituta mutantur. Contrarię quoque eodem in tempore leges diuersi sunt gentibus: & quę aliis turpia, aliis honesta censentur. Quid autem religione antiquius, quídve amplius? Neque hanc inuenerũt conditores legũ ad populos coërcendos. Nã ante ciuitates & domos viguit in orbe religio: & homines sparsi atque siluestres deũ colũt & iidem ipsi latoresłegum numina timuerunt. Quod quidẽ L in protagora Plato confirmat: dicens homines etiam antequã congregarentur, vel loquerentur, vel artes aliquas exercerent, statim ab initio ob naturalem cognationem deũ adorauisse: araśque & sacra fecisse. Proinde tam durum religionis iugum, tot bonis vitæ contrarium, quandoque homines alicubi reiecissent, si ficta esset, neque veritatis stabilitate constaret. At inquiet forte Protagoras non esse naturalẽ religionem, sed videri, quoniam à teneris vnguiculis eam combibimus. Nos ita Protagoræ respondebimus, eum ab infantia loqui & bibere didicisse: nihilominus tamen naturalem esse sermonem atque potum. Vbique & semper loquuntur homines, atque bibunt: quoniam est naturale. Sed aliis temporibus atque locis alio ordine loquuntur & bibunt: quoniam operationis ordo opinione constat potius quàm natura. Similiter apud omnes gentes omnibus seculis adoratur deus, quia naturale est: quanuis non iisdem sacris ac modis. Sermo quia naturalis est, suum attingit finem id est voluntatem alterius alteri declarare. Potus quoque suum, id est corporis humorem instaurare. Religio cur suum non nanciscatur: non video. Suus finis est frui deo: suũ votum perpetuò frui. M

Tertia obiectio: & solutio.

AN feruntur homines ad religionẽ syderibus: quod tertio obiiciunt impij. Minime. Nẽpe humoribus corporũ sydera suffragãtur. Religio est inimica corporibus. A

Neque altius desiderium infundere cęlũ potest, quàm sphęrarum cęlestium: quas etiam spernit homo religiosus. Adde quòd religio fatum damnat, & asserit libertatem. Quonam igitur pacto id ipsum vt fato repugnet, habebit à fatis? Prętera conjunctio quædam planetarum fertiliratem præstat, oppositа verò penuriam. Hęc pestem, illa salubritatem: bellum similiter, atque pacem. Videmus dona cælorum quàm cito in contraria permutentur. Itaque si deum colere cogit certa quędam positio syderum breui positio contraria è memoria hominum diuinos delebit honores. Nusquã tamen & nunquam religionis facta est intermissio licet alias & alibi aliter deus sit honoratus. Quæ etiam varietas humanarum mentium est secuta consilia: quæ astris nequaquã subiiciuntur. Humana quippe mens natura sua tanquam diuina ad deum sentiendum colendumque ducitur & timendum: sicut natura sua ad amandum bonum, malumque vitandum. Veruntamen per liberam suæ consultationis electionem, dei colendi variat ritus: sicut etiam ad bonum variis graditur callibus pro arbitrio. Superiori disputatione colligitur, communem ipsam omnium gentium ad deum vnum religionem, esse humanæ speciei admodum naturalem, virtutemque hominis propriam: ideoque excellentissimam. Duo quidem excellentissimi sunt actus hominũ: illi scilicet qui in excellentissima parte animæ sunt, & circa obiectum versantur excellentissimũ. Tales sunt in mente nostra dei cognitio, atque amor. In hac vita humanus amor in deum humanæ prestat cognitioni: quia deũ nemo vere cognoscit. Vere autem amant illi deum quoquo modo cognitum, qui spernunt omnia propter ipsum. Rursus sicut deterius est odisse deũ quàm ignorare: sic melius amare quàm nosse. Adde quòd perscrutando deum, longissimo tempore minimum quid proficimus: amando breuissimo plurimũ. Ob id enim citius propinquiusque & firmius amor quàm cognitio mentem cum diuinitate coniungit, quia vis cognitionis in discretione consistit magis, amoris autem magis in vnione. Quinetiam gratius ipsi deo est amari quàm prospici. Nihil enim deo tribuimus intuendo: amando verò tribuimus quicquid & sumus & possidemus. Amantibus ergo deus seipsum retribuit potius quàm scrutantibus. Deinde

cognitione

cognitione dei malè possumus vti scilicet ad superbiam: amore dei malè vti non possumus. Et amando deum longe maiorem quàm perscrutando percipimus voluptatem: & meliores amando efficimus quàm inquirendo. Immo sicut non qui videt bonum, sed qui vult, fit bonus: ita animus nõ ex eo quòd deum considerat, sed ex eo quòd amat, fit diuinus: quemadmodum materia non quia lucem ab igne capiat, sed quia calorem, ignis euadit. Hinc illud Porphyrij: Animus deum inquirendo purus efficitur: deum imitando fit D deus. Quod quidem ab ipso Platone acceptum est, dicente, diuinum lumen non inquisitione paulatim à nobis acquiri, sed perfecta vitæ coniunctione subito tandem diuinitus in nobis accendi. Præterea cognoscendo deum, eius amplitudinem contrahimus ad mentis nostræ conceptum: amando verò, mentem amplificamus ad latitudinem diuinę bonitatis immensam. Illic in nos deum deiicimus: hic attollimus nos in deum. Noscimus enim quantum ipsi capimus: amamus autem & quantum intuemur, & quantum vltra nostrum intuitum vaticinamur bonitatis diuinæ reliquum superesse. Neque est amor humana cognitione contentus. Ea siquidem creata est, atque finita. Voluntas in solo primo & immenso quiescit bono. Quoniam verò in hoc ipso amore E tota consistit religio, nihil habent homines (vt Plato in Epinomide testatur) religione diuinius. Quæ tanto est à falso alienior quàm cætera hominũ studia, quanto proprinquius deo summæ veritati nos copulat. Quare præsagium eius verius est quàm facultatum aliarum sententiæ. Eius verò præsagium bonis digna præmia pollicetur, malis minatur supplicia. Hominis sanctissimi probitati præmium dignum debetur. Probitas per summum habitum confirmata, indelebile bonum est: ac si mille annorũ millia vixerit, semper similiter aget. Pręmium igitur ea dignum nullum est nisi indelebile & æternum: Præsertim cum illud sit conuenientissimum præmium sanctitatis: cuius gratia sanctitas agit singula, quodve eius appetitum potest implere. Tale est illud in quo est tota ratio boni. Est igitur eius præmium, immensi boni sempiterna possessio. Viuet igitur semper religiosus animus, vt dignum suscipiat præmium. Viuet semper & impius, vt luat supplicia impietatis, qui infinitę peccat, quotiẽs

pro finitis commodis, dei obliuiscitur infiniti: & malignum habitum contrahit indelebilem, per quem mille annorum millia sit peccaturus si vixerit, postquam statuit semel tamdiu peccare, quamdiu viuet. Qui tandiu iam deliquit diuinę iustitiæ, cui futura secula præsentia sunt, quandiu est, si vixerit, peccaturus: infinitum huic debetur supplicium iam infinitè peccanti. Adde quòd si veræ virtutis præmium est æternum (deum enim à quo tanquam principio pendet, respicit tanquam finem) sequitur vt vitij quod deficit ab æterno tã virtutis præmio quàm vitæ principio, supplicium sit sempiternum. Nullum tale est in hoc tempore vitæ breuissimo. erit igitur in futuro. Hoc pacto aduersa quæ in hac vita bonis, & prospera quæ malis contingunt, compensanda videntur: ne & pietas bonis damno sit, & vt in Phedone legitur, impietas malis sit lucro. Bonum quidem prodesse oportet: obesse malum. Obest in hac vita pietas, quæ non solum præsentia bona contemnere, verùm etiam dei honestique gratia labores & mortem subire compellit. Contrà prodest impietas quàmplurimũ. Igitur ne desit iustitiæ locus, alibi est ferenda sententia. Neque putandum est hanc iustitię partẽ quæ humana respicit, ad deum non pertinere, ad quem pertinet mundi totius administratio: in quo si singula intelligendo amandoque facit, vt Plato vult: sequitur vt faciendo intelligat ametque singulas, atque in toto curando, partes (quibus non curatis non curatur totum) non negligat. Hęc in legibus Plato. Mundi verò pars non mediocris est hominum species, administratrix & ipsa iustitiæ. Si ergo diuina iustitia, vt Orphici canunt hymni, elementa suis quæque distribuit locis, si rebus quibusque vel minimis pro sua cuiusque natura dispertit munuscula: cur non hominibus etiam pro meritis loca, præmia, suppliciaque dispertiat? Deus frequenter vel bonos immunes, vel malos relinquit impunes, vt his indiciis nobis ostendat vitam alterã superesse, in qua iustitia quæ falli non potest, pro meritis impleatur. Nonnunquam verò scelera, præcipue grauissima, in hac etiam vita punit: vt ob hoc eius prouidentiam cognoscamus. Mitto in præsentia multa prouidentiæ diuinæ exempla. Philon iudęus, Platonicus, in libro de prouidentia scribit legem apud veteres extitisse, sacrilegos vel cremari, vel precipitari, vel

suffocari. Cumque philomelus & Onomarchus & Phaylus templum spoliauissent, paucis post diebus absque iudicum opera diuina quadam sorte eos in tria hęc supplicia incidisse. Præcipit autem in legibus Plato, ne ob id vnquam de diuina prouidentia dubitemus, quòd iniusti sæpe homines hinc impunes videantur abire: quippe cum nesciamus qua ratione, & vbi, prout ordini vniuersi conducit, singula singulis rependantur. Rursus in vltimo de repub. probat animum per virtutem deo similem, ideoque amicum euadere: Atque idcirco ita à deo curari, vt quęcunque contingunt, in bonum denique perducantur: & siue in paupertate, siue in morbis, siue in alia quadam calamitate sit constitutus, singula vel in hac vita vel in futura aliquando conducant ad bonum. Neque ob hoc dicenda est bonitas diuina malefica, quòd committi peccata permittit, punitque commissa. I Profectò in regno dei gradum suum obtinet natura rationalis. Huic motus conuenit liber. Motui tali datum est vt progredi possit in melius: & naturæ bono, bonum insuper voluntatis actionis adeptioniſque adiungere: ita vt natura huiusmodi non modò ab alio facta sit bona tanquam patiens, verùm etiam in seipsa efficiat bonam tanquã agens. Datum insuper est tali motui, vt possit transgredi in deterius: non quòd naturam propriam exuat, sed quòd induat alienam, & illam quidem inferiorem. hanc infectionem supplicium sequitur vel noxium, vel purgatorium.

Sequitur inquam necessaria quadam diuinaque lege, peccantem intrinsecus ad similia perducente. Et vt in decimo legum inquit Plato, motionis principium in anima est, quo A se pro arbitrio talem efficit aut talem.

Postquam verò talis euaserit: mox non tam arbitrio quàm fatali quadam dei lege in talem conditionem locumque transfertur. Addit quasi diuino dauidis ore: Siue ad mundi centrum penetraueris, siue ad superficiem peruolaueris: diuinam legem euitare non poteris. Huc illud in decimo de republica tendit: Cum neque latere neque effugere diuinos oculos manusque possis, caue omnino ne pecces, id est ne deo dissimilior vnquam euadas. Odit enim animas ab ipsius similitudine longe degenerantes. Quinimmo si & Gygis anulum, & galeam nactus fueris infernalem,

iniustitiam procul effugito. Sed redeamus ad leges. Inquit ibidem, mundum partim bonorum, partim malorũ esse plenum: deumque nobis deos dæmonesque quosdã quasi pastores custodiendis ouibus præfeciſſe, quorum prouidentia & deuitemus mala, consequamur & bona. Addit, eos qui cũ multa iniuste rapuerint, muneribus se deos placare confidunt: perinde errare, ac si qui dilaniantes oues, putent se mẽbris quibusdam ouis pastori redditis, postorem sibi concilia re. Tandem vbique Plato repetit, & arbitrio nos peccare: & post peccatum necessariò pati. Sed iam ad institutum ordinem redeamus. Quid ergo? Si deus & permittit & punit: in permittendo mirabilis humani generis excellentia lucet: in puniendo dei potestas, bonitasque immensa. Si peccare permittitur animus, quis non videat hominem sui iuris esse, ac dominum, suoque arbitrio alias aliter agere? Si delicta punit deus: in ipso delictorum malo iustitiæ peragit bonum, quæ hunc non haberet locum, nisi delinqueretur: Ac deesse videretur quodammodo pars aliqua virtutis, vt ita dixerim, & iustitiæ & regno dei: cuius hic perfulget potestas & bonitas infinita, dum contra mali naturam facit ex malis bona: vt tota natura sit mirabiliter ordinata: in qua tanta est amplitudo boni, vt in bonis splendeat atque malis: & quantum valeat, in ambobus experiatur. Tanta quoque ordinis obseruantia, vt animus qui peccando digredi videtur ab ordine: & in ipso liberi motus ordine gradiatur etiam dum digreditur: & in ipsum iustitię ordinem statim patiendo regredia tur, dum propter delinquendi habitum talia patitur qualia habitui congruunt. Hæc habui quę de immortalitate quantum ad signorum testimonia pertinet dicerem: oportet autem dubitationes deinceps quæ cogunt immortalitati diffidere, diligentissime soluere.

THEOLOGIÆ PLATONICÆ
De immortalitate animorum eodem Ficino authore,

LIBER DECIMVS QVINTVS.

Sequuntur quæstiones quinque de anima. Prima, vtrum sit vnus cunctorum hominum intellectus. Quod non. Cap. 1.



Vlta iam quæ afferri solent aduersus animam, superioribus disputationibus confutauimus. Quinque restant (vt arbitror) dubia declaranda. Primum est, de quo Peripateticus Auerrois dubitauit: Ne forte vna sit mens hominum omnium, & æterna, multę autem animę atque mortales: ita vt nihil prosit mentis ipsius æternitas humanis animis perituris. Secundum, de quo dubitant nonnulli, cur animi, si diuini sunt, terrenis corporibus tam infimis sint coniuncti. Tertium, quam ob causam in his adeò perturbentur. Quartũ, cur inuiti discedant. Quintum, qualis animæ status sit antequam ad corpus accedat, qualis etiam post discessum. Auerrois Hispanus patria, lingua Arabs, Aristotelis doctrinæ deditus, græcæ linguæ ignarus, Aristotelicos libros in linguam barbaram è græca peruersos potius quàm conuersos legisse traditur: vt non mirum sit si in quibusdam rebus reconditis breuissimi scriptoris mens eũ latuerit: quod illi contigisse Platonicus Plęthon testatur, & peritissimi quique græcorum. Et quod maximum est, aduersus Auerroem græca Aristotelis verba reclamant. Ait ipse Plæthon Aristotelẽ sine controuersia censuisse hominũ animos esse multos, & sempiternos. Subiungit, nolle se Aristotelis verba peruertere, & si Aristoteles Platonis cæterorumque philosophorum verba peruertit. Hæc ille. Videtur tamen Alexander Aphrodiseus Aristotelis sensum de anima peruertisse, vbi ait Aristotelem mortalem animum censuisse. Themistius æquius Aristotelem declarauit, dicens ab eo mentem quidem agentem vnicam, capacem verò multiplicem existimari, & vtranque perpetuam. Quid verò ipse sentiat Alexander, in quæstionibus naturalibus declarat, vbi inquit: Medicina etsi scientia est, tamen in opere suo ars apparet: quemadmodum anima etsi est immortalis, tamen in corpus mortale demersa videtur esse mortalis. Atque iterum ait, Noluisse mundi opificem diui-

nos cæleſteſque hominum animos corporibus terrenis abſque congruo quodam medio colligare. Medium verò eiuſmodi, ſpiritum vehiculumque Platonicorum more cognominat. Proculus verò non modo Platonicos, ſed etiam Ariſtotelem affirmat immortalem animam poſuiſſe. Et eadem
H ratione poſuiſſe Themiſtius aſſerit, qua & Plato poſuerat. Atque poſtquam in libro de anima. 3. probauit vtrunque intellectum, ſcilicet agentem atque capacem, eſſe perpetuum: addidiſſe ſolum hunc ſcilicet ex vtroque mixtum, eſſe talem: paſſiuam verò rationem id eſt phantaſiã, minime: quã ob cauſam concluſiſſe, nos poſt obitum humanarum rerum non reminiſci: quoniam harum recordatio per conuerſionem ad phantaſmata, ac propter affectum ad corpora fieri ſolet. Quòd ergo, inquit, non reminiſcimur, ideo Themiſtius vult eſſe additum, vt indicaret animos poſt obitum viuere, pluresque animos: ſed nihil eſſe mirum ſi corporalium non reminiſcantur quòd ſi perire animos putauiſſet, nulla fuiſſet ratio aſſignanda ob quam minime recordentur. Sed ad Auerroem redeamus.

Narratio opinionis Auerrois.

AVerrois cum apud Ariſtotelem ſæpe legeret intellectũ proculdubio nihil habere naturæ corporalis mortaliſque admixtum, ſic accepit, vt inde tria concluderet. Primum, intellectum non eſſe corpus, id eſt non componi ex materia atque forma. Secundum, non eſſe qualitatem aliquam cum corpore diuiſibilem: aut vllo modo à corpore dependentem. Tertium, non eſſe formam talem, vt queat corpus perficere, viuificare, & regere: atque ita hærere corpori, vt ex materia & intellectus ſubſtantia vnum fiat compoſitum: cuius eſſe ſit vnum. Primum & ſecundum damus Auerroi: tertium, ſi Peripateticos veteres ſequimur, nullo modo concedimus. Negat ſubſtantiam intellectus eſſe poſſe formam perfectricem corporis, actumque viuificũ.
K Prima illius argumentatio huiuſmodi eſt. Si intellectus eſſet talis corporis actus, ex eo & corpore vnũ naſceretur cõpoſitũ, & vnũ eſſe cõpoſiti. Non poteſt autẽ ex eiuscongreſſu cũ corpore vnũ fieri quin ipſe euadat corporis particeps,

Hanc participationē non admittit mens, quā esse ostēdit ratio à corporibus absoluta. Secūda ratio. Si mens forma corporis esset, eodem pacto quæque susciperet, quo & materia suscipit corporalis. Quod enim est corporis forma, nihil absque sua materia suscipit. Materia verò quicquid suscipit, diuiduo suscipit modo: vnde formæ rerum in ea diuisæ temporales, particulares euadunt. Tales quoque caperet intellectus: nunquam igitur per suas formas vniuersalem naturam aliquam cōprehenderet. Tertia ratio. Materia formas quas possidet, non agnoscit. Ita mens si iuncta materiæ per eius consortium eodē pacto caperet quo materia, nihil prorsus agnosceret. Quarta ratio. Impossibile est in corpore infinitam vlla ratione esse virtutem. Mētis autem virtus est quodammodo infinita. Hinc effici vult, vt mens nullum habeat commercium cum materia. Cum verò multę sint in natura species mentis, vnam quandam eius speciē vult esse humanam mentem: illam scilicet quę rerū ordinem speculatur in nobis: quandoquidem in cunctis hominibus idē est secundū speciem modus intelligendi, eadēque anima specie: per quā vna secundum speciem est in cunctis hominibus vita, eadēque figura. Quoniam verò vna est humana mens specie, vna quoque sit numero oportet, id est vnica & singularis: non diuisa per singulos. Nā forma quæ in se vna est specie, non secatur in multas nisi adiectione materiæ. At quomodo mēs humana vna in se existens diuidetur in plures, cū nullius sit materiæ particeps? Præterea si alius esset in me intellectus, in te alius: oporteret speciē illā quæ est intelligendæ rei similitudo, aliā secundū numerū in me esse, in te aliā: secundum speciem verò eandē. Cū enim rerū intelligendarū species in mente sint quasi subiecto: oportet in aliis mētibus alias esse species & distinctas. Distinctas inquā numero, sicut mētes distinctæ sunt numero. Species autē aut formæ quę multæ sunt numero, vnum spē, formæ sunt particulares, quæ ad intelligentiā conferre non possunt: quoniā vniuersale oportet esse quod sit verè intelligendum. Accedit, quòd quando alius docet aliū: præceptor scientiā suā in discipulum videtur trāsfundere. Aut igitur eandē omnino quā habebat ipse, tradit discipulo: aut aliā numero, specie verò eādē. Si eandē specie tradit, sed numero aliā: eodē pacto scientiam generabit

quo ſuum opus generare natura ſolet. Nempe quod per naturam agit, formam ſuam gignit in alio conuenientem plurimum ſpecie, numero differentem. Hoc autem pertinet ad ea quæ congruunt inuicem in materia. Mens verò tum docentis tum diſcentis eſt ſupra materiam: atque ipſa ſcientia non eſt qualitas efficax ſicut calor atque ſimilia. Reſtat itaque vt eandem prorſus ſcientiã numero quam poſſidet ipſe docendo communicet & diſcipulo: quod fieri nequit vnquã niſi ſit in vtriſque vnicus intellectus: ne eadem ſcientiæ qualitas de ſubiecto alio in aliud tranſeat: neve magiſter docendo, ſcientiam cogatur amittere. Adde, quòd in noſtris mentibus, ſi diuerſæ numero, & conuenientes ſpecie fuerint, notiones cognitarum rerum ſpecie conuenient, different numero. Quæ verò præter diuerſitatem ſuam in ſpecie aliqua congruunt: profecto in communi quadam congruunt notione. Communem huiuſmodi notionem tam meus intellectus quàm tuus videbit: ad quam diuerſas illas colliget notiones. Sic vtrique huiuſmodi notionem concipiemus, ego vnã, tu alterã: numero quoque differentes: ſpecie congruas. Ideo rurſus ad communem aliã ſimiliter redigemus. Atque
A ita in infinitum. Eſt autem abſurdum in rebus ordinatis infinitum progreſſum inducere. In ſpeciebus verò rerum ordinem eſſe neceſſarium eſt. His rationibus concludit Auerrois, humanam mentem, quia ſine materia eſt, vnicam eſſe ac fuiſſe ſemper, & fore: eſſe verò hanc omnium mentium infimã. Et ſicut ſuperioribus orbibus ſingulis ſingulas mentes attribuit, ita orbi huic inferiori mentem vnam: quę non huius hominis proprie, vel illius, ſed humanæ ſpeciei mens appelletur: vt ſpeciei vnicæ ſit vnicus intellectus, in hoc orbe inferiori (vt nonnulli ipſum interpretantur) totus vbique. Conſtare quippe hunc hominem quem videmus, exiſtimat ex corpore hoc, & anima ſenſitiua, vt nominat ipſe: intellectiua verò nequaquam. Sed hanc animã ſenſitiuã eſſe omnium talium animarũ perfectiſſimam, in brutis ſpecie differentem. Tot eſſe animas, quot hominum corpora oriri & occidere cum corporibus. Supremam huius animę vim appellat virtutem cogitatricem, quam græci nominant phan-
B taſiam. Addit animas beſtiarum habere æſtimatricem vim aliquam, per quam naturali inſtinctu quod bonum ſibi vel

malum sit iudicent subito,ac prosequantur aut fugiant.Nostram verò animam habere vim illam cogitatricẽ,quæ non naturæ ductu feratur, sed ratione perquirat, consilio quodam deliberet,eligat vt consuluit : nihil tamen sentiat vniuersale,sed discurrat solum per singula.Hanc ideo vocat rationem particularem,intellectum verò rationem vniuersalem : Rationem hanc particularem locat in media cerebri particula inter imaginationem atque memoriam. Opinatur enim in prima particula sensum esse communẽ, qui operationes quinque sensuum in se colligat.In secunda imaginationem earum imaginum conseruatricem, quas communis sensus collegerat.In tertia cogitatricem virtutem iudicem eorum quæ seruauit imaginatio.In quarta memoriam,custodem iudiciorum quæ cogitatrix potentia protulit. Igitur cogitatrix virtus mediæ partis regina præ cęteris rebus inferioribus est proxima menti: adeo vt mens illi adsit vbique : & intelligentiam suã per eius expleat adminiculũ, dum simulacra rerum in cogitatrice virtute lucentia mentem ad intelligendum mouent.Atque hæc sola est hominis cum mente communio:non quia intellectus sit pars aut forma viuifica hominis huius qui ex corpore & anima cogitatrice componitur. Separatur enim intellectus ab homine & in essentia,& in essendo.Sed quia præsens est vbique intellectus hominis huius cogitationi,atque ex hac particulari cogitatione ille vniuersalem haurit speciem,occasionem præbet homo intellectui ad speculandum:quemadmodum coloratum lumen oculo ad videndum. Neque ex homine hoc & mente conficitur vnum esse,sed operatio vna contingit:vna scilicet intellectio:quę tamen nõ in homine est vllo modo,sed in mente sola:in mente inquam ab hominis cogitatione pulsata.Neque quicquam ex illa transit in hominem,sed tota completur in mente.Non intelligit homo per mentem aliquid,sed in homine mens intelligit.Atque in ipsa mente artiũ scientiarumque sunt habitus. Cogitatrix anima vnitur puero à prima eius origine:mens verò diu postea:cum simulacra in cogitatione sunt adeo pura,vt moueant intellectum. Affirmant Auerroici duas esse non vires solum modo,sed substantias ex quibus componitur intellectus. Sanè vim agentem esse substantiam vnam, capacem

C D E

vim ſubſtantiam alteram. Et illa natura ſua lucidam formatricemque eſſe, hanc obſcuram penitus atque formabilem. harum æterna copula vnam conſtare animã ſecundũ eſſe, quemadmodum ex materia & forma vnum ſecundum eſſe
F fit in natura compoſitum. Illam intellectum vocant agentem: hanc intellectum formabilem & capacem. Cenſent intellectum agentem, quia ſit actus per ſe exiſtens, per ſe intelligere ſeipſum ſemper: ita vt reſpiciens eſſentiam ſuam ſe videat, ac per ſe mentes quoque ſupernas. Intellectionem huiuſmodi eſſe ipſam eius eſſentiam. Quoniam verò eſſentia eius ſemper eſt intellectui capaci coniuncta, ſequi putant vt per hanc eandem intellectualem eſſentia intellectus capax intelligat ſemper agentem intellectum: cuius illamet tam intellectio eſt, quàm eſſentia. Intelligat quin etiam mentes ſuperiores. Hanc intellectionem eſſe in intellectu vniuerſo ſiue anima actum vnum ſtabilem & æternum. Eſſe quoque in ipſa parte eius formabili intelligentiam alteram, ſempiternam quidem ſed variam: temporalem atque multiplicẽ: quam mutuatur à nobis. Et quia hæret propius agenti intellectui quàm phantaſiæ: ac propter coniunctionem cum tẽporali phantaſia temporalem ſortitur cognitionem: patere putant id quod diximus paulo ante: vt ſcilicet propter coniunctionem cum æterno illo intellectu, æternam intelligentiam habeat, tanto altera clariorẽ, quanto intellectui agenti familiarior eſt quàm phantaſiæ. In nobis verò dubiã mutabilemque ſcientiam ſingulatim aucupari exiſtimant: ita vt viuente Pythagora per ſimulacra rerum in Pythagore cogitatione lucentia ſcientiam illam collegerit Pythagoricã: decedente verò Pythagora, & ceſſantibus illis ſimulacris, intellectus ſpecies inde acceptas ſcientiãque amiſerit. Nam ſpecies illas à ſimulacris fieri atq; ſeruari. Quin etiã viuente Pythagora totiens actum ſuum prętermiſerit intellectus apud Pythagoram, quotiens ſuum pythagorę cogitatio. Vnà acceperit, vnà oblitus fuerit: receperit vnà. Feciſſe ſimiliter in Platone, & in ſingulis quotidie eodem pacto. Imbui vbique ac ſemper variis modis per varias hominum animas, & quodãmodo paſci: tot accipere ſpecies, quot in nobis ſimulacra fuerint, tanquam ſpeculũ imagines à corporibus: totidẽ actus edere intelligendi: habitus quoq; diuerſos diſcipli-

narũ pro humanorũ ſtudiorũ diuerſitate. Et quia quotidie innumerabilis hominũ multitudo cognitioni omniũ ſtudet quotidie hinc illũ omnia diſcere. Atque per ipſas ſpecies hauſtas à ſimulacris noſtris intellectũ capacẽ non modo inferiora, ſed deniq; tũ in cunctis hominibus tũ in hominibus ſapientiſſimus ſeipſum cognoſcere. Hinc agentẽ intellectũ, inde & mentes ſuperiores. Opinantur in hoc mirabilẽ rerũ connexionẽ conſiſtere. Eſſe nãque formas à materia penitus abſolutas, ipſos ſcilicet angelos: inter quos nõ ſint plures in vna angelica ſpecie angeli: ſed quot ſunt angeli, totidẽ ſint ſpecies angelorũ. Eſſe inſup formas penitus corporales in eadẽ ſpecie plurimas: puta animaliũ animas, & formas illis inferiores. Interponi cõpoſitũ hoc ex homine atq; ex mẽte: ex hominũ animabus multis, mente vna, quaſi monſtrũ quoddã ingens multis cruribus & capite vno cõpoſitũ, vbi & abſoluta forma cũ corporeis coit, & corporea cũ ipſa viciſſim. Atque vt par eſt: quod eſt abſolutũ, vnicũ ꝓmanet in ſeipſo. Quod eſt corporale, fit multiplex: dũ vna mẽs innumerabilibus ſufficit animabus. Et illud quidẽ cõpoſitũ ex mente & vno quoq; noſtrũ, hominẽ intellectualẽ appellãt: ſed vnũ quẽq; noſtrũ ſeorſũ à mente, hominẽ cogitatiuũ. Et primũ quidẽ hominẽ affirmãt aliquid intelligere: quia pars eius. i. mẽs intelligit, ſicut hominẽ ſolemus ſimũ appellare, qa nal⁹ eſt ſim⁹: alterũ verò hominẽ nihil penit⁹ intelligere. A

Confutatio Auerrois. Quod mens ſit forma corporis, patet primum ex ordine naturæ. Cap. 2.

MAgna fuit olim inter Peripateticos de mẽte hominis cõtrouerſia: atq; adhuc ſub iudice lis eſt. Diceąrchus eã eſſe formã aiebat tũ corporis, tũ corporalẽ Corporis, qa corpus humanũ viuificat. Corporalẽ, qa è corporis ſinu depromitur. Auerrois cõtrà neq; formã corporeã eſſe neq; etiã corporis. Auicẽna theologorũ Arabũ princeps, & Algãteles mediã viã ſecuti, mentẽ aſſeruerunt formã quidẽ corporis eſſe, nõ corporalẽ: vt inter formas q̃ corporis corporaleſq; ſunt, atq; formas q̃ neq; corporales ſunt neq; corporis, tanquã maximę differẽtes medię quędã formę ſint, ptim cũ illis, partim cũ his quodãmodo cõgruentes. Merito inter formas omnino diuinas, q̃ ita ſeparę à materia ſunt, vt ꝯiungi nõ poſſint: atq; naturales omnino, q̃ ita cõiunctæ B C

sunt, vt neq̃ant separi, formæ interponũtur medię ptim q̃dẽ naturales, ptim quoq; diuinæ: ita sepatę sunt, vt cõiungi possint: ita cõiunctæ, vt valeãt separari. Quod quidẽ earũ viribꝰ actionibusq; ostẽditur, q̃ tali quadã tũ cõiunctionis tũ separationis inter se differẽtia distinguũtur. Deniq; nõ abs re inter sensum q & in forma corporis est, & indiget instrumẽto: atq; intellectũ angelicũ, qui est vtrinq; liber: intellectus est humanus, qui forma q̃dẽ corporis est, sed nullo indiget corporis instrumento. Quę quidem sententia & communi hominum iudicio probabilior est, & libris Platonis Aristotelis Theophrasti atque Themistij maxime consona. Dicæarchum vnà cum Epicureis satis iam libris superioribus confutauimus, Auerroem deinceps pro viribus reprobantes, Auicennæ & Algantelis interpretationem, immo Platonis Aristoteliscque sententiam comprobabimus. Siquidẽ ex fundamentis quæ aliàs iecimus, ostendemus probabile esse, vt inter formas quę solum viuificando corpori adstringuntur,
D fit forma media quæ & corpus viuificet, & intelligat: vt diuini vultus imago non succumbat vbique materię: sed vincat alicubi. Sunt autẽ formę in corporibus nihil aliud quàm idearum imagines diuinarum: sicut figuræ quę imprimuntur in cera, sigilli aurei sunt imagines. Si in omnibus ceris confusa fiat impressio, inertem dices illum qui impresserit tam inepte. Ita mens diuina quæ in mouenda materia est suæ similitudinis auida, iners forte videbitur si nunquam sui voti compos efficiatur. Fiet autem nunquam, nisi formę huiusmodi appareant in corporibus, quę ita ferme corporibus imperent suis, sicut mundo deus, atque ita in se ac deũ per intelligentiam reflectantur, perinde vt deus se vertit in deum. Quippe diuina mens per cælorum motum agitando
E materiam dicitur aliquid, immo omnia generare siue producere: quamuis non quamlibet formam vel permutationem producat, vel ex materia ipsa educat. Quoniam verò primus ipse terminus vnde generatio hæc vel productio vniuersalis sumit exordium, diuina ipsa mens est, vltimus quoque terminus quo talis generatio clauditur: mens quædã debet esse diuina. Terminus verò generationis vltimus in eo est quod gignitur: eiusque est forma. Quocirca aliquã esse oportet diuinam mentem, quę sit materię forma. Nam

si generatio ab igne facta finitur in ignis formam, facta ab homine in hominis figuram: cur non generatio vel productio quæ à diuina mente disponitur, finiatur in mentē? Non finitur generatio nisi in formam, quę est propria & intima generati perfectio. Si ars per instrumenta tribuit tandē materię formam formæ illi simillimam quam mens artificis continet: si corporis humani natura in generatione semen mouet primò ad formam lactis, deinde sanguinis, tertio carnis, denique hominis: si ignis lignum primo ad tepidū mouet, ad calidum deinde, tertio ad ignitum: quid obstat quo minus diuina mens moueat mundi materiam ad formas elementorum, primum, mixtorum secundò, plantarum tertiò, quartò brutorum, quintò ad formam sui, id est mentē, quæ sit corporis geniti forma: vt in nobilissimis natis parentis vultus eluceat? Mouet autem materiā ad inferiores formas per mutationem ex ipsa materia educendas: ad mentē verò per diuinum actum potius inducendam. Si enim educeretur, mens esse non posset. Hoc autem ad diuinum ordinem pertinet, vt postquam formæ superiores animo rationali neque educuntur, neque inducuntur: formæ verò inferiores & inducuntur & educuntur: ipse animus inducatur: non educatur. Ac si tanti pretij est forma misti, vt vim actionemque habeat elementorum: forma rursus plantarum tā valida, vt agat quicquid agunt inferiores: itēque forma brutorum: quis neget mentem habere vim actumque formarū inferiorum, ita vt ipsamet eius essentia dum intelligit, sentiatur quoque per corpus, & alat corpus? Profectò cum natura superior totam vim naturæ inferioris & includat & superet, idemque opus effectura sit quod fit ab inferiori, dūmodo instrumenta eadē ipsi suppeditentur: necesse est mentem illam quæ intra nos viget, opus alendi & sentiendi posse peragere non minus quàm animam cogitatricem. Quippe si complexionis nostræ spiritus sufficiens instrumentum menti est ad intelligentiæ ministerium, quod sentiunt Auerroici: multo magis ministrabit substātiæ mentis ad sensum & alimoniam. Et quia natura superfluis non abundat, nec inest nobis nisi in anima formaque vna præcipua, sicuti nec corporibus aliis, cum superiores formæ inferiores contineant. Mentē humanā esse mentiū omniū infimā, tū ex eo cō- F A

iicimus, ꝙ ex ocio migrat in actũ, atq; ecõuerſo: tũ ex eo ꝙ intelligẽdi occaſionẽ accipit à corporibus. Sic enim corporibus ꝓxima eſt, q̃ ex potẽtia educũtur in actũ ꝓpter materiã: atq; mouentur extrinſecus, & occaſionẽ ſumũt extrinſecus operandi. Si mentiũ vltima eſt, ideoq; ſupremo cõiungitur corpori, atq; ob hanc vicinitatẽ ipſa à corporibus hauRit ociũ, motũq; externũ: neceſſe eſt corpus humanũ cõpoſi torũ corporũ nobiliſſimum, menti coniunctũ: duo rurſus à mente ſuſcipere, actũ ſcilicet motũq; interiorẽ. Actus à forma ſuſcipitur, ab anima motus interior. Ergo mens infima, corporis ſupremi forma efficitur atque anima. Quippe ſicB ut materia q̃ vltimus terminus eſt corporaliũ, nõ eſt corpus aliquod: ita mens humana q̃ mentiũ vltimus terminus eſt, nõ eſt mẽs aliqua ſeparata, ſed ꝓ naturã cõiungitur corpori. Et quia ſenſibus eget ad intellectionis exordiũ, vt ꝓ ſenſus ꝓcipiat corpora, eorũq; quaſi hauriat formas: ideo natura inſtituit vt tãta eſſet inter ſenſum intellectũq; cognatio, quãta eſſe poteſt: quò huiuſmodi hauſtus facillime & exqſitiſſime fieret. Nõ poteſt autẽ aut maior eſſe cognatio, aut faciliusexquiſitiuſq; ea fieri, q̃ ſi in eadẽ ſubſtãtia animę tã mẽsC q̃ ſenſus inſit. Et ſicut oſtrea, q̃ omniũ ſenſualiũ vltima ſunt, ita ꝓpinquant arboribus, q̃ omniũ ſenſu carentiũ ſunt ſuꝑma: vt partim terræ affigãtur, vt arbores: partim ſenſu tactꝰ vtãtur, vt ſenſualia: ſic intellectus humanus infimus inter alios ita cõiungitur naturę carũ formarũ quę inter corporeas ſupremæ ſunt, vt partim formet corpus vt illę: partim intelligat vt mẽtes ſuperiores. Merito ſicut inter ignẽ & aquã maximè inter ſe diſtãtes, eſt aër, inde calẽs vt ignis, inde humens vt aqua: ſic inter angelos animaſque brutas lõgiſſime differentes rationalis anima interponitur, q̃ & intelligat vt illi, & corpus formet vt illæ. Ac ſi forma q̃ materiæ ꝓpinquior eſt, vmbra eius eſt q̃ à materia eſt remotior, vt vegetatiua ſenſitiuæ, hæc autẽ intellectiuæ: ſequitur intellectiuã animãD ꝓ vmbrã ſuã, ideoque per ſuũ actũ viuificũ, materiæ iungi. Principale agens ſequentia mouet agentia. Principalis finis reliquos cogit fines. Materia principalis cæteras materias ſuſtinet. Principalis itaque forma reliquas, quoad fieri poteſt, formas format. Cũ igitur in rebus naturalibꝰ mẽs forma ſit principalis: oportet vt ipſa formet quodãmodo cę

teras formas, omniũq; gerat vicẽ. Quod nunq̃ efficiet, niſi formet materiã antea p formas inferiores cõgrue p̃paratã: atq; illis quaſi ceſſantibus, illa in ſeipſa vires ſequentiũ formarũ experiatur. Quinetiã ſi ea naturalis motus ſinẽ ſuũ aſſequitur, atq; talis eſt in formarũ genere aſcenſus, vt gradatim magis magiſq; materiã nitantur trãſcẽdere, neq; trãſcẽdant alię: neceſſe eſt ſaltẽ formã naturaliũ vltimã id aſſequi: ac nõ modo formare materiã, ſed etiã per aliquid ſui materiam prorſus excedere. Qua parte excedit corpus ac tẽpus: E ſpiritibus & æternitati intelligendo cõiungitur. Talẽ formã Platonici tũ naturalẽ, tũ diuinã appellant: quia eſt naturaliũ formarũ diuinarũq; confiniũ. Mentes cęleſtiũ corporũ gubernatrices ita ſunt diſtributæ, vt vnaquæque vnum primò moueat corpus, & illud quidem intrinſecus, & ſine medio. Multo magis mens humana vnicum in primis corpus mouere debet, & intrinſecus ſine medio agitare: cũ ſit vicinior corpori. Vnde videtur contra naturæ ordinem eſſe, vt mens illa ſublimis corpori ſine medio coniungatur, infima verò per animam cogitatricem. Requirit inſuper ordo naturę, vt F ordo naturæ ſit bonum purum, & bonũ intellectuale. Intellectus purus, & intellectus animalis. Anima pura, & anima corporalis. Primum deus eſt: ſecundum angelus: tertium anima rationalis. Anima verò irrationalis eſt quartũ. Igitur niſi alicubi ſit forma partim intellectualis, partim viuifica: ordo naturæ confunditur, qui in eo conſiſtit, vt deus purum bonum ſit: angelus bonum quidem intellectuale ſit, ſed intellectus purus: anima rationalis ſit intellectus quidem animalis, ſed anima pura: quia ipſa ſe ſuſtinet. Anima irrationalis ſit anima ideo impura, quia eget corporis ſuſtentaculo. Sic ergo quia eſſe in ſe, antecedit eſſe in alio: & quod in ſe eſt, perfectione ſua exuberat quoque in aliud: factum eſt vt ſit bonum in ſe, bonum in mente: mens in ſe, mens in anima: anima in ſe: anima in corpore: ſicut corpus ſummi cæli in ſe, reliqua verò in ipſo. Quod ſi totum animæ genus toto genere corporeo præſtantius eſt: debet amplius eſſe animæ genus quàm corporis. Itaque infimũ animalis generis ſummũ generis corporalis exuperat: Proptereaq; mirũ in modũ ſummum generis animalis ſummũ excedit generis corporalis. Quo fit, vt rationalis anima nõ modo corporis p̃fun-

da ingrediatur alendo, sed etiam sublimia corporis supergre diatur intelligendo. Merito, quia quod excellentius est, minus oportet ab eo quod deterius est pendere, quàm econuer so. Sicut ergo animæ infimæ quasi continentur à corporibus, & mediæ quodammodo continentur & continent: ita sublimes omnino corpora continent. Non continent corpus omnino, nisi & intrinsecus penetrent, & extrinsecus ambiant. Et sicut ambiendo corporis superficiem anima vitam intellectualem sumit ab alto: sic intima corporis penetrando, animalem vitam tribuit infimo. Dū ambit prout à deo est, intellectum sortitur agentem: prout residet in seipsa, capacem possidet intellectum. Dum penetrat: prout spiritibus sese insinuat, sentit & mouet: prout se immergit humoribus alit & sustinet.

G Sed ad vniuersalem rerum ordinem reuertamur. Deum dicere possumus esse formam quæ neque hæret, neque format, neque formatur: animam verò irrationalē contrà formari, formare, hærere. Sed angelum formari quidem à deo neque tamen hærere materiæ, neque formare materiā. Merito ergo inter angelum animamque irrationalem, animā ponemus rationalem, tali quadam natura præditam, vt ma-
H teriæ non inhęreat: formetur tamen, & formet. Præterea multum probanda videtur distinctio illa Platonica in metaphysicis Auicennæ: videlicet in mundo intelligibili procedendum esse ab intelligibili summo ad intellectus multos, tanquam à formatore ad vires inde formabiles: ac primum ab absoluto illo ad absolutos, qui nullo modo inde declinent: deinde ad intellectus qui paulum quid ad sensibilia vergant, id est solum extrinsecus gubernanda: ita vt illis quoque: quasi extrinsecus accidere eiusmodi videatur officium. Tertio ad intellectus: qui quantum in natura intellectuali fieri potest, naturaliter ad sensibilia iam declinent, id est intrinsecus per vitam motumque regenda. Non enim aliter & sensibilis mundus cum intelligibili perfecte connectitur, & inferiora ad superiorum exemplar pulcherrime atque optime disponuntur. Hinc autem quartus quidam, licet vmbratilis, sequitur gradus: vt quidam putant, quasi nodus mentium cum corporibus: vitarum videlicet irrationalium species: quæ, vt putant Platonici, tanquam vmbrę quedam

dam mentes sequuntur per corpora procedentes.

Sed ad diuina iterũ reuertamur. Deum quidẽ esse negat nemo: esse verò ipsum dei, non certa quadam specie determinatur essendi: per quam fiat esse tale vel tale: ne compositus sit deus ex communi natura essendi: & ex aliqua addita differẽtia id est essendi proprietate. Igitur esse ipsum absolutum est, nullis limitibus circunscriptum: quod existit penitus infinitum, radix immensa omnium eorum cõtentrix & procreatrix, quæ tale habent esse vel tale. A simplici enim fonte omnis compositio manat. Igitur angeli esse habent: sed quisque illorum tale esse vel tale, id est, cum hac aut illa proprietate in alia atque alia specie angelorũ. Quapropter esse angeli non est infinitum, sicut esse diuinum. Non enim continet amplius totius essendi integram plenitudinem: neque omne esse existit: sed vna quadam rerum specie claditur: per quam ad vnicum essendi modum determinatur. Par enim est, vt esse diuinum quod ideas, id est species antecedit, perque species rebus ab ipso manantibus esse dispertit: hoc ipsum esse tradat in speciebus, ideoque diuersis speciebus modos essendi diuersos. Itaque esse angelicum in angelica specie terminatur. Species autem angelica, quam eandẽ vocamus essentiam, quæ esse talis est fundamentum, quodammodo est infinita: non quidem vt deus: sed quia secum ipsa permanet, totamque suæ speciei seruat integritatem: neque quicquam in se accipit vltra speciem & speciei proprietates cum nulli inferiori naturæ propinquet cuius contagione inficiatur. At si essentia hæc angelica non differret ab eius esse, infinitum quoque diceretur & esse: quandoquidem in seipso & per seipsum subsisteret: esse verò vtrinque infinitum, ac per se existere, dei solius est ꝓpriũ. Itẽ si esse eius abessentia non differret, cum esse sit actus: certe angelus solus esset actus. Cum verò per potentiam solam participatio fiat, nullius alterius participaret angelus, essetque vndique simplicissimus: quod soli deo congruere potest. Sic deus infinitus est omnino: quia solum esse existit, atque esse totum, & omne. Angelus finitus est secundum esse: secundum essentiam infinitus: adde & secundum virtutem quodammodo, operationemque. Nullius enim deterioris obstaculo cura sollicitudine impeditur quominus totam semper suam virtutem

I

K

L

A quantacunque illa sit, exerceat operando. Forma corporis, qualis est anima rationalis: quia incerta quadã existit specie, sicut angelus: esse habet ipsa quoque finitum: essentiam autem partim infinitam, partim verò finitam. Infinitam quidem, quoniam nihil vnquam amittit quod ad speciem suã pertineat. Eius siquidem natura est actus vitalis, rationalisq;: quem actum nec dimittit vnquam: nec intermittit. Finitam verò, quoniam admittit aliquid vltra speciem: siue principia speciei, id est affectionem hanc aut illam ad talem vel talem humani corporis habitudinem, per quam fit forma viuifica corporis: & ad numerum corporum numeratur. Essentia huius animæ quantum infinita est, corporis capacitatẽ exuperat, vitamque agit intellectualem. Quantũ verò finita est, proportionem habet cum corpore, cumque ipso corporeã agit vitam. Ibi vis operatioque infinita viget: hic contrà finita. Forma denique corporea vndique est finita secundum esse, essentiam, virtutem, & actionem. Secundum esse: quia esse eius certæ speciei limitibus circunscribitur. Secundum essentiam: tum quia in se accipit accidentia plurima præter speciem: tum quia proprium vigorem omnino non seruat. Nempe eius natura est actus efficax vel vitalis. subit autem in corpore passiones atque interitum. Secundum virtutem: & actionem, quoniam virtus eius augetur atque minuitur: & operatio quælibet eousque se extendit, quousque instrumentorum subiectorumque conducunt affectiones. Tales sunt omnes formæ anima rationali inferiores. Oportet hos quatuor rerum gradus in natura existere: vt paulatim ab eo quod omnino infinitũ est, per media mixta ad ea quę omnino finita sunt, descendamus. Quæ quidem gradatio continuari non poterit nisi quemadmodum in mundo intelligibili infinitum est ac finitum, vt deus & angelus: ita in mundo sensibili duæ sint illorum imagines: aliquid scilicet quodammodo infinitum, & aliquid omnino finitum: vt rationalis anima, & forma quæuis inferior. Illa quidem forma corporis est, non corporea: hęc & corporis, & corporea. Rursus iis gradibus descendamus. Deus esse possidet à se: in se: atque pro se. Angelus non à se, quoniam à deo: sed in se: atque pro se. Forma corporis, qualis rationalis est anima: neq; à se habet esse, quoniã fit ab alio: neque pro seipsa tantũ es-

se suum seruat, quia ipsum communicat corpori: esse tamen habet in se, quia suum esse in eiusdē fundatur essentia, sueque essentiæ actus est proprius: sicuti solis anima secundum C
Platonicos in se lucet, & illuminat solem: ita tamen, vt lumen proprium non amittat. Forma verò corporalis esse neque à se: neque pro se habet: vt etiam anima. Neque rursus in semetipsa. Ita enim est materiæ dedicata, vt ex ea & materia tale fiat compositum, in quo proprie esse ipsum fundetur, & cuius esse sit actus: forma autem eius non sit ipsius esse proprium fundamentum. Hoc ordine carere natura non debet. Careret autem, nisi esset forma quædam corporis, non corporea. Huic similis videtur esse illa Proculi
nostri distinctio. Diuinum, inquit, intelligibile ipsummet D
est appellandum: intellectus autem purus suipsius, atque in seipso. Intellectus deinde animalis tum suiipsius, quia esse suum in sua essentia possidet: tum alterius, quoniam ex ipsa sua rationali vita vitam aliam ratione carentem quasi imaginem diffundit in corpus. Natura post hæc, id est vitalis complexio, quasi vmbra propter vitam ab anima infusam in corpore iam ipso resultās, duntaxat alterius est iudicanda, id est corporis: cum quo extenditur atque diuiditur. Corpus denique ob conditionem eius ex se diuersam ac
penitus dissipabilem propriè alterum appellatur. Vbi appa- E
ret in ipso rerum ordine intellectum animalem siue ani-
mam intellectualem medium obtinere. Similem quodam- F
modo ordinem Porphyrius ex mente Platonis in commentariis in Timæum afferre videtur: in sex vniuersum gradus ita distinguens: Aliqua solum esse: aliqua solum fieri: alia esse simul & fieri: alia fieri simul & esse probat. Præterea præponit omnibus aliquid super esse: & fieri, supponit quoque omnibus aliquid sub esse atque fieri collocatum. Esse quidem dicit omnem mentium latitudinem: siue mentes in seipsis sint, siue mentes in animabus. Contrà verò fieri vult latitudinem sensibilium, siue elementalia, siue cęlestia sint. Esse autem simul & fieri animarum genus. Ac vicissim fieri atque esse ipsam vniuersi naturam vniuersum viuificantem: quæ quidem eorum quę fiunt, summitas est. Atque quatenus per corpora distribuitur: fieri dicitur. Quatenus verò per se minime corporea est: dicitur esse. Deniq;

omnibus præponit quidem bonum: subiicit verò materiam. Quorsum hæc? vt intelligamus non posse ordinem vniuersi continuari nisi sint formæ intellectuales simul corporum q; viuificæ. Solis enim his conuenire id potest, vt semper esse simul fieriq; dicantur. Esse quidem per substantiã prorsus indiuisibilem, subitumq; intelligentiæ ipsius intuitum: fieri verò per temporalem reliquarum actionum discursionem. Talem quandam formam esse oportere ratio
G hæc Pythagorica persuadet. Iacubat, vt Timæo Locrensi placet, deus pater materiæ matri formas tanquam proles generaturus. Est in patre fœcunditas efficax formarum omnium: est in matre fœcunditas capax formarum, præcipuè corporalium. Est in patre actus formarum efficax: est in matre potentia formarum capax. Nascuntur proles matri similes, multæ formæ videlicet, quæ ex materiq fundo emergũt, & in idem denique immergũtur, sicut vasis aurei figura ex auro, atque in aurum. Nascantur rursus oportet proles nonnullę patri persimiles, si modò plus aliquid pater quàm mater in hoc valet congressu. Huiusmodi erunt formæ ex patris actu exilientes in materiæ faciem, & inde in patris actũ resilientes: quemadmodum splendor à sole in aurum & in solem. Illæ quidem formæ matri similiores prius in materiæ visceribus latent quodammodo, sicut figura vasis in auro. Latent & in animorum corporumq; mundanorum virtutibus: quæ sunt diuini artificis instrumenta. Deus eas per mundi motus ex materiæ eruit gremio: & pro capacitate materiæ producit in esse. Huiusmodi autem esse cuius est proprié? Compositi illius corporis quod ex hac generatione conficitur. Quare? Quia instrumentum per quod generantur à Deo, cõpositum est. Si ergo proxima causa est cõposita, & effectus solet proximæ causæ simillimus prouenire: sequitur vt quod proprie gignitur, sit id quod est compositum. Ei verò quod gignitur, propriè conuenit esse. Propriũ est igitur illud esse compositi. Nõ enim fit à forma vel materia, sed composito. Accedit, quòd tales formæ materiæ secundum potentiam quodammodo prius hærent, quam assequantur esse. Atque in materiæ gremio, pducuntur in esse eo ipso momento quo completur esse compositi. Quoniã verò inhærendo secundum virtutem ipsi materiæ fiunt, ac-

cipiuntque esse: ideo adhærendo secundū actū eidē materiæ retinent esse: ac tandiu sunt, quandiu hærent. Non ergo per suum esse sunt, postquam & fiunt & sunt, & permanent inhærendo: sed per esse illius compositi cuius ipsæ partes sunt, quodve generationis est terminus. Ac merito cum esse non habeant proprium, neque vim quidem vllam aut operationem propriam possident, Tales sunt formæ: quæ matri similiores videntur esse quàm patri. Quæ verò sunt patri similiores, quales sunt rationales animæ, ex actu mero promuntur dei: ideo subito ad actum perducuntur essendi. Quapropter esse quasi in se habent prius, postea iungūtur materiæ. Esse habent antequam hæreant corpori: & ante corpus ordine ipso naturæ esse retinent: & post corpus esse habent proprium in seipsis. Optionem aliquam habent propriam in se ipsis, corpori non communem. Esse suum quadam ex parte impertiunt corpori: operationes aliquas in corpore edunt, atque per corpus.

Quomodo mens propinquat corpori. *Cap.* 3.

SEd quónam modo esse suum impertiunt corpori? Miscent ne ipsum? Minime. Perit enim & cōfunditur quod miscetur. An tangunt corpus? Nequaquā. Tactus enim duorum est corporum proprius. Nunquid claudūtur in eo? Neque istud. Non enim loco clauditur nisi corpus. Quid igitur agunt hæ formæ in corpus quando ipsi suum esse cōmunicant? Penetrant ipsum vndique essentia sua: virtutem essentiæ suæ dedicāt illi. Cum verò ab essentia ducatur esse, & à virtute profluat operatio: coniungendo essentiam impertiunt esse: dedicando virtutem, operationes cōmunicant: ita vt ex animæ corporisque congressu vnū euadat animalis esse, operatio vna. Esse quidem hoc animæ ipsius est per essentiam: per participationem fit corporis. Non immergit anima esse proprium corpori, sed corpus extollit ad ipsum. Neque capit corpus totam illius essentię amplitudinem, sed attingit aliquid pro natura sua: neque sustinet eam, sed sustinetur. Quo autem pacto forma non extensa molem corporis impleat, planè intelliget quisquis considerabit etiam extensam formam plurimū ita se ad corpus habere, vt quæ A B C

libet eius pars æque se ad quamlibet partẽ materię habeat, atque vicissim. Itaque cogitare possumus quamlibet huius formæ partem in singulis materiæ portionibus esse: easque ita formare, vt tota puncto cuilibet adsit. Verum huic formæ auferamus extensionem: atque interim formandi corporis officium relinquamus. Possumus enim. Nam formare, & aliud & præstantius est quàm extendi. Itaque si materia extenditur quidem, sed non format: potest aliqua materiæ forma formare, ac non extendi. Sic videbimus indiuiduam formam totamque simul formare simul materiam totam, & quamlibet pariter eius partem. Ac si verum sit Py
D thagoricum illud, videlicet punctum motu suo lineam facere, lineam verò superficiem, superficiem denique simili motu profundum: facilè cogitare poterimus punctum idem motu suo seipsum totum indiuiduumque per longitudinem & latitudinem, profunditatemque diffundere. Hinc fit vt vbicunque diuidas, tangásve, reperias punctum. Quod quidem si sit accidens, à mole necessario sustinebitur. At si substantia fuerit, sicut anima in se subsistens: moli quidem aderit: atque à mole seiunctum in se perpe-
A tùb permanebit.

Quomodo mens adsit corpori. Cap. 4.

E ANima hæc tã excellens nunquid materię informi sine medio iungitur? Séper forma perfectior imperfectiores formas intra se continet: quemadmodũ quadrangulus triangulum comprehendit. Rationalis anima si intelligendi vim habet omnium præstantissimam, habet etiam sentiendi, alendi, atque regẽdi. Ideo in animæ rationalis virtute clauditur anima sensitiua & nutritiua, forma quoque mixtorum vita carentiũ. Accedit materiæ rationalis animæ iis omnibus prædita formis: perque formam suam seu virtutem quæ mixtorum corporum vita carentium gerit vicẽ, hæret materiæ informi quàmproxime: atque in ea quatuor elementorum constat complexionem: dum partes materiæ deuincit in vnum, ac temperat elementa. Per formam suam quæ plantarum habet vim, hæret corpori ex materia & cõplexione composito: illiique elementorum complexioni tri-

buit motum in quamlibet loci partẽ:qui vita vocatur. Per formam animalium propriam,iis se accommodat:spiritũq; procreat sensuum instrumentum.Per formam rationalem, reliquis imperat. Itaque per infimam vim suam est forma materiæ:per secundam forma est corporis mixti: per tertiam plantæ:per quartam,forma est animalis: immo forma formarũ. Ex quo fit vt rationalis anima & corpora formet magis quàm reliquę formę,quia per plures virtutes format & formet purius, quia informem materiam per pedem suum tangit comminus:per caput autem eminus prospicit. Quemadmodũ ignis ex quatuor caloris proprij gradibus primum gelido ligno infundit, secũdum ligno iam tepido, F tertium ligno per duos iam calido:quartum tribus illis gradibus insuper addit,per quem fulget superné.Sic animæ rationalis essentia quatuor quibusdam referta gradibus,mixto,vitali,sensuali,intellectiuo:primum materiæ applicat:secundum adhibet primo:secundo tertium adiicit: tertio addit quartum,vbi tam secundum totam essentiam quàm secundum gradus omnes materiam formare videtur:licet secundum essentiam quidem totam formet eodem modo,secundum verò omnes gradus alio atque alio. Primus siquidem forma est materiæ,secundus est forma mixti corporis, G tertius forma est formæ vitalis,quartus est corporaliũ omnium forma formarum:Per tres gradus anima particularis euadit:per quartum remanet absoluta, formarũque capax absolutarum. Quid mirum si in hoc eius excellentissimo gradu aliqua apparet vis operatioque diuinis persimilis,quibus ex eo hic gradusfit proximus,quòd sit à materia remotissimus:cum in nonnullis mixtorum corporũ formis propter temperationem aliquam cælestibus corporibus congruam, vis aliqua actioque resultet aliena quidem ab elementis ex quibus illius formæ subiectum componitur,consentanea verò cælestibus, quibus temperatione fit similis? Neque mirum videri debet,animam,licet sit forma corporis, habere tamen virtutem aliquam corpori non communem: quoniam angeli neque secundum essentiam, neque secundum præparationem ad essentiam,ex materia eruuntur:animę verò irrationales per vtrunque.Animarum ergo rationalium,quia mediæ sunt,media debet esse conditio.

Nequeunt autem ex materia per essentiam pullulare, quia secundum præparationem ex materia pullulent. Quocirca secundum præparationem scaturient quidem, secundū verò essentiam minime. Quòd si virtus essentiam sequitur: nulla virtus angeli corpori est communis. Omnis autem bestia-
H rum virtus est animæ simul & corporis, quia simul cum essentia trahitur ex materia: virtus autem animæ rationalis in sola eius essentia est, cum ea descendens ex alto. Et quoniam huiusmodi anima proportionē corporis superat, neque est in corpore, sed corpus in ipsa: corpus omnem ipsius virtutē non comprehendit: attingit autem virtutis alicuius nonnihil: propterea quòd anima quæ secundum præparationem pendet quodammodo ex materia, vsque adeo afficitur corpori, vt interiores vires suas illi accommodet proportione quadam: perque illud libēter operetur, atque in illo. Neque
A absurdum putari debet rationalem substantiam coniungi materiæ: quia non potest aliter ordo naturæ seruari. Est enim spiritus aliquis à materia separatus, rationalis, incorruptibilis, qualis est angelus. Est & spiritus coniunctus, irrationalis, corruptibilis: qualis est anima bestiarum. Distant duo hæc nimium. Nempe in genere ipsius spiritus sunt: atque inter se per tres differentias differunt. Quid ergo inter hęc medium est? Non spiritus aliquis qui solū sit separatus. talis enim esse nequit: quia oportet si separatus est, rationalem quoque immortalemque esse: Non spiritus aliquis qui rationalis sit tantum: oportet enim spiritum talem coniunctum insuper esse, vel separatum. Non spiritus solum incorruptibilis: quoniam necesse est ipsum rationalem præterea esse. Non spiritus separatus rationalisque tantum: nempe oportet ipsum etiam incorruptibilem ponere. Non spiritus separatus & incorruptibilis solum: nā si duo hæc habet, habet & rationem: quia cum neque sensum exerceat, neque alimentum: frustra erit, nisi operationem habeat rationis. Non spiritus coniunctus, irrationalisque solum: talis nāque etiam est mortalis. Non spiritus coniunctus, immortalisque duntaxat qui enim cum angelis communem habet immortalem vitam, communem habet intelligentiā. Non spiritus coniunctus rationalis, atque caducus: quia si communē habet cum angelis intelligentiam, quæ vitæ ipsius in seipsam

reflexio quædam est: communem habet & vitam. Sit ergo oportet in corpore spiritus aliquis medius extremorum: qui & rationalis & incorruptibilis sit. Conueniat cum vtrisque: quia spiritus est. Differat ab angelo: quia est coniunctus. Differat à bestia: quia rationalis. Conueniat cũ angelo proprie: quia immortalis. Conueniat proprie cum bestia: quia coniunctus. Immo cum oporteat inter illa extrema esse medium ab vtrisque quodammodo æquè distans, & æquè particeps vtrorumque: necesse est esse spiritũ aliquem qui partim separatus, rationalis, sempiternus sit, partim cõiunctus, irrationalis, atque caducus. Talis maxime humanus est animus: in cuius summo tres primæ illæ conditiones sunt : in B infimo tres sequentes: in medio sex omnes mixtę inuicem, & musicis: (vt Plato inquit) modulis temperatæ.

Quomodo mens insit corpori.
Cap. 5.

AT quónam pacto rationalis anima coniungitur cor- G pori? Non vt solidum corpus solido. Nã corpora hæc solida quæ solo tactu iunguntur, neq; simul sunt omnino: neque simul agunt: vt anima atque corpus simul omnino sunt, simul & operantur. Proinde omnium absurdissimum esse videtur, animam efficacissimam vitalis motionis originem, densis crassisque corporibus cõparare: quæ quanto magis corporeæ proprietatis dicuntur habere, tanto minus naturalis actionis vitalisque motionis possidere videntur. Nempe si diuidantur, remanent dissipata : neque sicuti puriora solent, mox in suam redeunt vnionem. Contrà verò quæ quàm minimum corporeæ crassitudinis habent, dũ videntur à solidioribus percuti, ictum facillime vitant: dum penetrari, efficacissime penetrant: dum diuidi, adeo in vnitatem suam velociter reuertuntur, vt discessisse ab ea minime videantur. Igitur, vt dicebamus, anima non vt solidum corpus solido iungitur. Rursus non vt aqua vino. Corpora D enim hæc mollia mutua mixtione vim priorem amittunt, ac desinunt esse quod erant. Anima cum sit incorporea, neque materiam cum hoc corpore communem habeat : non potest cũ corporis huius qualitate misceri atque confundi.

An forte ſicut calor ignis aquæ? Hoc potius modo. Calor ſiquidē non eſt corpus: ideo eſt ſimilior animę. Sed neque id ſatisfacit nobis. Nam pars caloris in aquæ parte eſt, non totus in tota. Forſitan vt vox aëri. Vox enim forſitan vna eademque tota eſt in qualibet aulæ parte, cum tota audiatur in qualibet. Mouet aures: nunciat aliquid intellectui. Quemadmodum anima tota eſt in qualibet particula corporis. Corpus regit ſimul atque intelligit. Sed neſcio quid fragile vox habet, & paſſioni ſubiectum. In fractione aëris naſcitur: leuique retruditur aura. Sed habeo interim ſimilius aliquid: videlicet imaginem coloris in aëre ad oculos venientem. Spiritalis hæc eſt. Currit momento. Attingit procul. Tota occurrit vbique. Venti non patitur impetum. Pingit aërem. Format viſum. Simile admodum eſt id quidem: ſed hoc differt, quòd aërem non regit neque gubernat, ſicut anima corpus. Sed ecce gubernat nauem aliquam gubernator, & eſt in naui. Num ita & anima ſe habet ad corpus? Non: quia gubernator nauem non implet: non adeſt toti: non per ſe mouet ſolum, ſed per gubernaculum. At nunc in gubernaculo hoc inueni animam: quoniam cum per ipſum nauta regat nauem: ars gubernatoria non modo in nauta eſt, ſed & tranſit in gubernaculum. Tota in eo ſit toto: regitque ipſum. Hæc ipſa eſt anima gubernaculi. Sed hæc nihil naturæ ſuæ tribuit ſubſtantiæ gubernaculi: ſed agitat ſolum ipſa quidē extrinſecus agitata: anima verò aliquid tribuit corpori, & ſuapte natura mouet. Tolle quæſo oculos in cælum philoſophe: Cæleſtē quæris animam in terra vel mari. Suſpice ſolis lumen. Vnum hoc & indiuiduum eſt, vt ita dixerim: in qualibet aëris parte totū. Aërem illuminat, calefacitque: ipſum verò nihil ſumit ab aëre: neque vim alicubi patitur: neque vllis ſordibus maculatur. Fluitat aër vētis, manet lumen: vt vult Plotinus. A ſole eſt: momēto trāſit in aërem. A ſole iterum non ſeparatur: reflectitur & in ſolē. Sine ipſo aër mortuus eſt, cum ſit frigidus & obſcurus, forma qualibet deſtitutus. Duas habet lumen qualitates: fulgorem, atque calorem. Fulgorem quidem exercet in aëre, non
E tamen tribuit aëri: calorem tribuit. Vnde occidente ſole nō extinguitur, vt Plotinus putat: ſed vnà cum ſole ſubitò totum recedit lumen: caloris ad multam noctem reliquę re-

linquuntur:quasi aër factus fuerit caloris particeps,non fulgoris.Sed præstet,si placet:fulgorem non largiatur. Esse quidem lucis illius quid est aliud quàm lucere? Sine illa non lucet aër:sine aëre illa lucet. Siquidem vera est Plotini sententia,lumen non à perspicuo vllo pacto,sed à solo sole cõtinue dependere : ipsumque semper, vtpote quod sit actus quidã ipsius perpetuus,comitari. Sed pergamus ad reliqua. Accedit lux aëri:lucet ibi lux,sicut &ante in seipsa:lucet aër qui non ante per se lux illa lucet, per lucem aër . Nunquid aliud est lucere lucis,& lucere aeris?Nequaquam: alioquin remaneret fulgidus aër abeunte luce. Vnum igitur est lucere,quo lucet vtrunque:sed luci per essentiam conuenit: per F participationem conuenit aëri. Vnum igitur esse quodammodo vtrisque competit:nec est lumen in aëre,quanuis ita vulgo dicatur:sed est aër in lumine,si modò quod angustius est,passionique obnoxium,ampliori & impatibili continetur . Similiter hominis anima à deo dimittitur in materiam:transit in eam subito,neque discedit à deo, sed vtrunque simul agit:Regit corpus: atque etiam veritatem ipsam rerum omnium(quæ est ipse deus)miro quodam(vt disputat Plotinus)modo attingit per intellectum . Rursus sicut lumen in solẽ reflectitur, sic ipsa in deum per voluntatem: provt semper bonitatem rerum omnium appetit, quæ ipse est deus.Implet corpus sine offensione,vt aërem lumen:totaque similiter toti adest:patiente corpore non patitur: sed sentit & iudicat passiones . Non fluit corpore labente: sed constat.Duas habet vires præcipuas:iudiciariam:&vitalem. Iudicium non tradit corpori,sed ipsa peragit.

Vitam corpori mutuat vel largitur , quatenus vim quandã suæ vitæ imaginariam ipsi communicat. Vnde iudicat anima sola,non corpus.Viuit autem corpus & anima.

Quapropter anima decedente sensus abit protinus : vestigia verò vitæ manere videntur ad tempus: calor scilicet atque motus.Animæ esse, viuere est : quandoquidem animæ essentia est vita:per quam formaliter viuit corpus.Esse quoque animantis nihil aliud est quàm viuere.Non tamen aliud est viuere ipsum animæ corpori copulatæ,aliud ipsiuscõ G positi viuere:immo sicut per vnã eandemque vitã,id est animæ essentiã viuit vtrunq;,sed anima p suã, corpus p alienã:

ita vt plerique iudicant per vnum duntaxat viuere: vtraque
ſunt dicunturque viuentia: per ſuum anima, corpus per alie
num. Atque vt ſupra tetigimus, anima non eſt in corpore,
quanuis ita appareat illis qui corpus videntes quidem, ani-
mam verò non videntes, latere animam in corpore tanquã
vaſculo arbitrantur. Qui verò inſpiciunt animam ingredi-
entem corpus intrinſecus, extrinſecus ſupergredientem, cõ-
plectentemque & ſuſtinentem, atque mouentem puluerem
hunc exiguum vndique proculdubio corpus eſſe in anima
confitentur. Quis dubitet eam eſſe corpore ampliorem: cũ
parte ſui æquetur illi quodammodo, ſcilicet vitali potentia
parte excedat ſcilicet iudiciaria facultate? Itaque corpus tan
quam anguſtius atque labile in anima eſt ampliori prorſus
& ſtabili, perinde vt id quod continetur in cõtinente. Quã-
B uis ergo tota anima adſit corpori, non tamẽ corpus toti ad-
eſt animæ, ſed parti infimæ ſolum, id eſt vitali. Quod hinc
confirmari videtur: quia cum anima ſit virtute longe maior
corpore, & à virtute motus amplificatioque proueniat: opor
tet animam non modo toti adeſſe corpori, verum etiam ſe-
cũdum præſentiam (vt placet Iamblicho) corpus excedere.
Et quia eſt indiuiſibilis: vbicunque eſt, illic eſt tota. Corpus
autem ſicut non toti æquatur virtuti animæ: ſic non æqua-
tur toti eius præſentiæ. Id ſenſit Plato in Timæo quando di
xit mundi opificem corpus in anima ſtatuiſſe. Iterum in li-
bro decimo de repub vbi inquit mundi corpus inter neceſ-
ſitatis genua volui, id eſt infima cæleſtis animæ parte regi
atque moueri. In Phædro etiam animas affirmauit ſupra cę
lum caput extollere. Verum quãuis anima ita corpus exce-
dat, non tamen impoſſibile cuicquam videri debet eam vſ-
que adeo ad ſe materiam trahere, vt vnum reddat compoſi-
C tum. Cum enim proprium ſit formarũ perficere & ſibi de-
uincire materiam, & materiæ partes inuicem copulare: quo
præſtantior forma eſt, & quo magis materię dominatur, eo
perfectius hoc efficere poteſt. Faciunt autem id formę quę-
libet infimæ: quid obſtat quominus faciant & ſublimes, mo
dò id naturaliter cupiant? Quod ſi angelicę minime faciunt
id ex eo prouenit, quod nullam prorſus inclinationem ha-
bent ad ſpeciem aliquam animalis ſua coniunctione com-
plendam. Fieri verò hoc à mentibus Platonici omnes & Pe

ripatetici veteres voluerunt. Nullus enim illorum repertus est qui non affirmauerit sphæras cælestes esse animis rationalibus animatas. Testantur id inter Platonicos præ cæteris Plotin⁹, Porphyrius, Iāblichus, Proculus: inter Peripateticos autē Theophrastus, Auicenna, & Alganteles. Qua in re Ptolemæus quoq; & Albumasar & Zaeles, & Manilius cæteriq́ue præcipui auctores astronomiæ nobiscum sentire videntur, quando videlicet affirmant cælestia corpora esse diuinis animabus mentibusq́ue prædita: ac tanquam animalis quæ dam diuina ipsi deo omnium rectori parere. Neque id quidem iniuria. Nempe cū viderent nonnulla quæ ad animos pertinent, ex stellis prænunciari: non aliter id fieri posse putabant, quàm si stellæ animatæ sint, videantq́ue futuras hominum actiones, suisq́ue quodammodo nutibus indicent: præterea sicut corporum illarum radij in corpora nostra: sic animorum earundē radij in nostros animos influant. Omnia verò à causis illis ordinatissimis ordinata bonaq́ue mitti: posse tamen ex diuersa multarum circa nos causarum cō mixtione, materiq́ue defectu peruerti adeò vt Mercurialis prudentia in malitiam, Martia magnanimitas in ferocitatē, Venerea charitas in libidinem conuertatur: similiterq́ue de cæteris: quemadmodum & radij solis inde quidem blandi mittuntur: sed hic sæpe recipiuntur edaces. Verum hæc iam tanquam in præsentia superuacua dimittamus.

Quod mens sit forma corporis, patet ex opinionibus actionibusq́ue humanis. Ratio prima: quia homo est animal rationale.
Cap. 6.

NOn solum verò rerum naturalium ordo demonstrat eandem esse animam quæ in homine speculatur & sentit, vt in superioribus declarauimus: verum etiam sapientum sententiæ, atque operationes humanæ. Omnes philosophantes in hac sententia consenserunt, hominē esse speciem quandam rerum, cuius differentia propria, per quam à brutis differat, sit ipsum rationale. Oportet autem differentiam propriam ab intrinseca rei forma semper accipere. Nihil enim ab alio differt secundum speciem, nisi per naturam interiorem. Non sumitur autem rationale ab ani-

ma ſolum cogitatrice: quia in ea eſt ratio duntaxat particularis: homo autem ad commune bonũ decuſque dictis factiſque rationaliter operatur. Eius igitur differentia ab vniuerſali ſumitur ratione, hæc autem in mente eſt. Mens igitur forma illa eſt per quam quiſque noſtrũ in humana ſpecie collocatur. Si autem fuerit ſecundum eſſe ab homine ſeparata: ex ipſa & homine hoc ſpecies vna non fieret: atque homo propter interiorem carnem carneus proprius diceretur, quàm propter rationem exteriorem rationalis. Neque dicat Auerrois hominem eſſe aliquid congregatum ex animali cogitatiuo ac mente, totumque ipſum propter alteram eius partem rationale cognominari: ſicut corpus ſimũ quia ſimus eſt naſus. Primo enim naſus corpori continuus eſt: mens autem cogitationi nequaquam. Deinde mens huiuſmodi ſpecies quædam eſt ſeorſum ab animali cogitatiuo: & hoc animal eſt ſpecies per ſe à mente ſeorſum. Non tranſit autem de ſpecie in ſpeciem ſeparatam differentiæ cognomentum. Et ſicut non dicitur apud Auerroẽ mens cogitatiua & ſenſualis propter cogitatricem animam cui propinquat: ſic neque cogitatrix anima dicetur rationalis ſiue intellectualis propter mentem. Neque rurſus tranſibit cognomentum differentię in tertium aliquod quod ex illis efficiatur. Vna enim differentia vnam quandam exigit ſpeciẽ: atque contra. Illa verò vnam ſpeciem non conficiunt: quia neque in vnam eſſentiam neque in vnum eſſe congrediuntur. Omnino autem ridiculum eſt, hominem accipere differentiam per quam eſt homo, à mente vnica & ſeparata. Sic enim ſingulæ perſonæ vnus homo erunt, animalia multa: & natura ſpeciei remanebit vniuerſalis, natura generis iam facta particulari. Neque minus ridiculum eſt humanã ſpeciem in eo cumulo collocare: quia ſicut non erit ſimpliciter vnum, ſic non erit (vt ita loquar) ens ſimpliciter: neque ſubſtantialis aliqua rerum ſpecies, ſed contingens aceruus, eo maxime, quia ex duabus rebus quæ per ſe ſecundum perfectam ſpeciem actu exiſtunt, non fit vnum per ſe verum, ſed falſum vnum: & id quidem alio vinciente. Non enim in alterius ſe gremiũ iacit quod per ſe omnino exiſtere poteſt: neque admittit naturaliter intra ſe alterum, quod ſibi ipſum ſufficit. Immo verò cum res quæque per actus ſuos inuicẽ

F

distinguantur, ideoque actus sit separationis principiū: quæ actu existunt, aduersantur coniunctioni. Mens verò & animal actu subsistūt vtraque: neque possunt ab alio copulari: vt in sequentibus ostendemus. Esse autem rationem vniuersalem in anima, qua sentimus & viuimus, propterque illam nos rationales cognominari: docet in libro de moribus Aristoteles. In primo libro inquit mentem esse in anima sicut est in oculo visus. Partes item animæ duas esse: ratione carentem: & rationalem. Primam distinguit in duas: in nutritiuam partem, quæ nunquam obtemperat rationi: & sensitiuam, quæ quādoque obtemperat. Ateram pariter diuidit in actiuam rationem, & speculatricem. Virtutes morales ponit in voluntate, & appetitu rationi obediente: principia virtutum moralium in actiua ratione: virtutes speculatiuas in ratione speculatrice. Idem facit in sexto, vbi etiam asserit rationalem vim esse humanæ animæ partem: atque hanc duo agere, scilicet cognoscere & gubernare humana per prudentiam atque artem, & naturalia diuinaque per sapientiā contemplari: quæ intelligentia & scientia continetur. In problematum libro inquit: Natura parens & auctor omnium, instrumenta nobis duo inseruit, quorum opera pro instrumentis extraneis vti valemus. Manū inquā corpori dedit: animo mentē. Est enim mēs quoq; rebus à natura nobis impertitis annumeranda, vicē sanè gerens instrumēti. Hęc ibi.

Ratio secunda, quia homo intelligit. Cap. 7.

A Aristoteles hominem esse vult animal ex corpore ac mente compositum. Siquidem in libro primo de moribus statuit de felicitate hominis, propria disputare, quæ in propria hominis operatione cōsistat. In decimo operationē hominis ꝓpriā esse inquit intelligentiā: quia sit secundum mentē: quæ magis ꝓpria nobis est q̄ sensus: quę suprema pars animę sit. Addit nos vel mentē esse, vel maxime mentē: cū tamē velit nos esse cōpositos. Quasi mens sit forma hominis maxime naturalis. In primo libro de anima inquit potiꝰ dicendū esse hominē ꝓ intellectualē animā intelligere, q̄ ipsam animam intelligere. Vbi fatetur Auerrois intelligentiam propriè sicut & sensum esse totius compositi.

Vnuſquiſque etiam experitur in ſeipſo ſe aliquid intelligere: neque id facit niſi per intellectum. Nos quoque in præſentia quónam pacto intellectus naturam inueſtigaremus, niſi ipſi nos intelligeremus? Et quoniam intellectu magis, ꝙ arbitrio noſtro vtimur quàm phantaſia, quæ ſæpe cogitur
B aliunde: familiarior naturaliorque nobis intellectus eſt quã phantaſia. Si Auerroici interrogentur quidnã illud ſit quod intelligit proprie, cum dicit Ariſtoteles & Auerrois, hominem proprie intelligere: reſpondebunt neque mentem eſſe iſtud, non enim apud eos mens eſt homo: neque animal cogitatiuum, quia non habet intelligendi virtutem: ſed aceruum quendam ex mente & huiuſmodi animali: & actionẽ mentis, quæ intelligentia eſt, ipſi toti ideo attribui, quia ſoleat actio partis ſæpe aſſcribi toti. Stultum id quidẽ. Primo, quia aceruus talis non eſt in aliqua vna ſpecie, aut genere vno: neque eam habet vnionem, per quam in vna operatione qualis intelligentia eſt conueniat. Deinde quia partis actio tunc toti aſcribitur, quando pars illa vel continuatur cũ altera in vnam eſſentiam, ſicut hominẽ videre dicimus, quia videat oculus. Vel in eſſe vnum, ceu cum dicimus ignẽ calefacere per calefactionem quæ prouenit à calore & forma: quę talis pars ignis eſt, vt materiam alteram ignis partem formando ad vnum eſſe perducat. Vel in vnum agitationis effectum: veluti cum dicimus animã vnà cum brachio enſem vibrare: quia motio talis ab anima in enſem per brachium tranſeat. Mens autem apud illos neque continuatur cum animali in eſſentiam vnam, neque in vnũ eſſe, vt conſtat: neque etiam in vnum agitationis effectum: quia intelligentia nunquam mente egreditur quò poſſit alteri prꝛeter
C mentem communicari: neque expletur per aliquod inſtrumentum. Ex quo fateri coguntur contra ducem eorum Ariſtotelem proprie dici mentem intelligere, hominem verò intelligere dici non poſſe, niſi improprie admodũ & abſurde. Neque adducant conſuetum illud exemplum de cælo, ꝙ cælum nonnunquam dicatur mouere ſeipſum, quia pars eius altera moueat alteram: atque ita homo intelligere: quia pars eius intelligat. Exemplum non conſonat. Nam motus à mente cæli tranſit in cælum: intelligentia verò neque ab humana mente tranſit in animal, neque econuerſo: Sed affe-

rent

rent rursus aliud æquè ridiculum, quòd cælum à nonnullis intelligere affirmetur: cum tamen pars eius intelligat sola. Quanuis rarò id audiatur de cælo, quòd intelligat: de homine verò semper: tamen quicunque illud dixerit, falso ac stulte loquetur: nisi forsan existimet mentem illam cum cælo in vnam speciem conuenire. Proinde quicunque aiunt omnes homines per vnam mentem, & illam quidem ab hominibus separatam, intelligere: non minus delirant quàm qui dixerint omnes per eundem oculum ab omnibus semo D tum singula cernere. Denique quando interrogantur quare nos operari dicimur ex eo quod separata mens operatur, respondent: quia licet illa non sit forma à qua habeamus vt simus: ab ea tamen habemus vt operemur. Quæ quidē responsio ideo ridicula est, quia idem probat per idem. Afferunt Auerroici arctiorē quandam (vt putant) copulam inter mentē & animalis huius phantasiam, per quā fiat homo vnus, atque intelligens: quia scilicet mens speciem per quā intelligit, haurit à simulacro quod sibi per sensus formauerit phantasia. Si enim species sit forma mentis, simulacrum verò forma sit phantasiæ: sequi opinantur vt quotiens species cum simulacro copulatur, totiens & mens conspiret cū phantasia. Copulari verò totiens, quotiens dependet species à simulacro. Id verò fieri quotiēs homo aliquid speculatur. Nos huiusmodi copulā sufficere non putamus. Quo enim pacto potest species intelligibilis esse nodus quo phantasia menti deuinciatur, quæ talis est, vt quandiu inhæret simulacris phantasiæ tanquam in particularibus fundamentis, particularis sit: & à mente seiuncta permaneat: & cum primū in mente sit facta vniuersalis, iam procul absit à phantasiæ simulacris? Nunquam ergo phantasiam nostram menti species alligabit, quæ non potest in ambobus simul existere. Actus quidem intelligendi in sola mente est, quod nemo negat: mens autem id intelligere solet, cuius habet speciem & similitudinem in seipsa. Quare ex hoc ipso quòd mens speciem per quam intellectura est aliquid, à phantasiæ simulacris accipit, nullo modo id sequitur vt phantasia intelligat quicquam, sed potius vt ipsa aut eius simulacra aut obiecta intelligantur. Quisquis igitur mentem cum phantasia coniungens profitetur se ex iis duobus vnū aliquid intelligens

constituere, nihil plus agit quàm vt ex intelligente ac re extra mentem intellecta intelligens vnum conficiat, perinde ac si ex visu & re visa vnum quiddã efficiat videns. Nisi forte quis velit sicut ex igne calefaciente & aëre inde calefacto vnum quiddam fit calefaciens quando ignitus aër calefacit manum: ita ex mente intelligente ac phantasia vel intellecta vel quomodocunque per intelligentiam agitata vnum edi rursus actũ intelligendi, quo ambo rem extra phantasiam positam intelligant. Quod si contingeret, iam mens illa sublimis & separata vim intellectualem phantasiæ communicauisset: quemadmodũ ignis aëri calorẽ prius quàm
E actum extrinsecus calefaciendi communicat. Immo etiam magis: quoniam actus intelligendi semper clauditur intellectu, neque transmigrat foras: quo fit vt nequeat tradi cuiquã intelligentia sine mente. Atque ita mens humano corpori inesset tanquam forma: quod in præsentia quærimus. Quamquam coniunctio illa fieri nequit: quoniam intelligentia non expletur per instrumentũ. Denique vt conuincant intelligentiam vniuerso illi aceruo esse communem, connexionem talem in medium rursus adducent, vt quando phantasia imaginem rerum aliquam concipit, eadẽ statim suscipiatur in mente, atque in phantasia phantasma vocetur, & particularis appareat atque multiplex: in mente verò vocetur intelligibilis species: & absoluta penitus videatur & vna: cum tamen vna eademque forma sit: quę quoniam mentem simul format & phantasiam, vnum conflat ex vtrisque compositum quod appellatur homo. Quoniam verò intelligentia speciem intelligibilem sequitur, species autem est forma compositi: intelligentia proprie composito assignatur. Cuius quidem connexionis exemplũ ostendent in oculo, in quo spiritus est visiuus: lumen autem per coloris imaginem coloratum visiuo spiritui se insinuat, ac spiritus vicissim penetrat lumen, vbi coloris imago quę in lumine est, eadem penitus fulget in spiritu: ideoque ex lumine & spiritu facit vnum. Nos autem negabimus fieri posse vt eadem omnino forma in subiecto æterno proximoque suscipiatur simul & corruptibili. Tã enim diuersos habent modos essendi formæ omnes, quã diuersa subiecta sunt à quibus suscipiuntur. Forma igitur esse longe diuersum habebit

in mente & phantasia. Vbi autem esse duo sunt, multūque diuersa: duæ quoque & diuersæ admodum formæ sunt, quę sunt essendi principia. Quin etiam si concesserimus eandē in ambobus esse formam: neque sic quidem intelligentia communis erit. Siquidē ibi solum intelligentia est, vbi propria & intrinseca intelligendi principia sunt. Hæc verò sunt duo: virtus intellectiua, & intelligibilis species per modum penitus absolutum. In phantasia verò neque vis intellectiua est, neque modus speciei intelligibilis absolutus. Nihil igitur nodus ille conducet ad hoc vt homo intelligat: sicut neque imago coloris, licet eadem sit in lumine atque in spiritu, efficiet, aut lumen aut congregatum ex lumine ac spiritu videat. Solus enim videt spiritus ille visiuus, in quo solo est & videndi virtus, & imago coloris secundum visiuū modum. Neque vlterius nobis obiiciant congregatum illud ideo intelligere, quia phantasia offerat intellectui quæcunq; sit intellecturus. Sic enim animal quoddam similiter constituetur ex lumine atq; spiritu, quod vocabitur visiuū animal: totūque videre affirmabitur, quia lumē spiritui offert quod videat. Resipiscāt igitur quādoq; Auerroici, & cū Aristotele suo cōsentiant, illud quo quid actionē propriā exercet, formā esse eius propriā, specieique effectricē: ppriā verò hominis actionē esse intelligentiā, per quā specie differat operando à brutorū actionibus: ideoq; p intellectū tanquā intimā formā specie differre in essendo ab irrationaliū animabus. Nōne ex hoc Aristoteles ostendit animā esse formā, p per eā animal viuit & sentit: homo autē intelligit, ac dūtaxat per intellectū: Itaq; in ea quęstione qua principiū quo intelligimus indagabat, naturā mētis deniq; tradidit, dicēs intellectiuā animę partē esse illā qua intelligimus. Quod au tē plurali vtitur numero, ostendit non separatū quidā, sed nos proprie intelligere. Atq; in ipsa hominis anima intellectū tū agentē collocat, tū capacē. In secundo libro de anima definitionē omni animæ cōmunē esse hanc inquit. Anima est actus corporis physici organici potētia vitā habentis. Siue: anima est principium viuendi: sentiendi: secundum locū mouendi: intelligendi. Rursus. Anima est id quo viuimus: & quo sentimus: ac intelligim' primo. Ex his autē duabus descriptionibus concludit primam quasi per syllogismum.

forma propria qualis A

B

C anima definitio

Cum verò non debeat syllogismus ex terminis æquiuocis fieri, consequens est vt illa dictio actus, idem vbique significet, id est, actum corporis naturalem: quod ipse statim aperit, quando subdit diuisionem substantię in materiam, eiusque formam, & quod ex iis componitur. Dicitque animam omnem esse eam formam quæ pars altera sit compositi. Iterum: vbi est intelligendi potentia, sunt etiam sentiendi & nutriendi potentiæ. Ac sicut triangulus est in quadrangulo: sic anima vegetatiua in sensitiua. Atque hæc in anima intellectiua. Et quanuis intelligendi vim dicat separari id est distingui, & separabilem esse ab aliis tanquam perpetuum à caduco: tamen dicit insuper intellectum distingui ab aliis: vel subiecto, vt prisci putabant, qui rationem capiti, iracundiam pectori, libidinem iecori tribuere videbantur: vel distingui potius ratione quadam, sicut in eade superficie concauum à conuexo. Præterea laudat eos præ cæteris, qui hominis animam esse quidem incorpoream: sed tamẽ corporis aliquid, id est actum talem in tali quodam subiecto, arbitrarentur. Hinc in tertio libro de anima dicit: Cum intellectus non sit à corpore separatus, perscrutandum erit aliâs vtrum formas à corpore separatas intelligere possit. Euidentissime autem in libro naturaliũ secundo id aperit: vbi vult animam hominis esse formam naturalem, & separatam à materia, atque coniuncta. Coniunctam quidem esse dicit, quia terminus sit generationis humanæ: separatam verò eã arbitror dicere propter intelligentiam. Hæc verò neque de
D anima cogitatiua, neque de vnica mente recte intelligi possunt. In libro etiã duodecimo de diuinis, vbi negat formas materias suas præcedere, sequi verò post materiam: eã duntaxat formam concedit, quæ sit anima intellectiua: manifeste declarãs animam nostram esse formam corporis: incipere cum corpore: neque tamen desinere. Neque intelligi verba illa possunt de Auerroica mente: quæ inter mouentes causas numerabitur potius quàm formales: & corpus antecedit humanum: neque corpori nostro ab ipsa genitura cõiungitur: quod est contra ordinem illum quo Aristoteles in secundo libro animalium vtitur, vbi ab ipsa origine nobis adhibet intellectum, licet extrinsecus descendentem. Theophrastus quoque & Themistius intellectum ab initio con-

Intellectus ex anima Instus

iungi nobis, atque esse animæ nostræ insitum confitentur. Quod si legitur apud Aristotelem, quod genitum est, fore corruptioni obnoxium: nihil ad animam, quæ non per motum genita est, sed creata momento. Verum sit omne quod cœpit, apud Aristotelem corruptibile: dummodo natura sua sit tale: seruetur tamen semper dei virtute, quod à deo processerit sine medio: quod totum à Pythagora inuentum est, à Platone probatum. Si fuit semper hominum generatio, extet nunc multitudo animarum innumerabilis: dummodo in eadem specie sint. Species vero infinitæ esse non possunt. Res autem eas quę & spiritales sunt, & eiusdem speciei, esse posse innumerabiles ex eo indicant quidam Peripatetici, quòd à colore & lumine innumerabiles imagines in aëre procreantur. Sunt tamen philosophi nonnulli, qui nõ semper fuisse generationem hominum arbitrentur. Mitto nunc Pythagoricum illud, generationem scilicet sempiternam, sempiternum quoque certumque numerum animarum corpora commutantium.

Ratio tertia, quia homo libere seipsum mouet. *Cap.* 8.

PLatonici & Peripatetici omnes cõsentiunt hominẽ mouere seipsum, actionesq; humanas ita disponi, vt homo ipse qui operatur, suarũ operationũ sit dominus. Agere autem rationaliter certo modo ratiocinando antequam exequatur. Accipere primũ vniuersalem regulã, deinde subiungere opinionem particularem, tertio inferre conclusionem, hoc pacto: Omne bonũ eligendum, cibus ille bonus est. igitur ille cibus est eligendus. Prima argumentationis huiusmodi pars solius est mentis: secunda potest esse etiam phantasiæ, tertiaque similiter Et sicut in sola mente est vniuersalis regula iudicandi boni: ita in ea sola vniuersalis appetendi boni voluntas: In phantasia non potest esse nisi particularis opinio, appetitioque particularis. Quando affirmant hominem libere mouere seipsum, non solam mentẽ accipiunt in qua mouere est ad opera potius quàm moueri: Non solũ animal, in quo moueri est & cogi ad opus potius quàm libere ducere: sed ambo simul accipiunt. Quòd si

ambo simul speciem quandam & personam vnam humanã efficiunt: mens erit forma viuifica corporis. Sin minus, nusquam reperietur aliquid quod libere moueat semetipsum, sed mens quædam animali propinqua animal coget ad motum: sicut violentia lapidi immissa à iaciente lapidem pellit in altum. Atque ita confictum erit libertatis nomen: sicut persona hominis est conficta. Omnino autẽ posita vna (vt vult Auerrois) mente: quicquid ad quęsita responderis, aut absurdum erit: aut nobis quidem conueniens, Auerroi autem minime. Siue enim mens illa mouet nos natura, certe continue similiterque mouebit, sicut intelligentia cælum. nam sic illam nobis sicut cælo intelligentiam adhibent. Siue voluntate: aut per illã coget nos, atque ita liberi nunquam erimus, nihilque erit in ordine rerũ quod libere moueatur aut persuadebit. quo admisso, quæram quonam pacto ego scilicet animal cogitatiuum, persuasionem illã percipio: ad quam non aliter possum quàm per intelligentiam peruenire. Atque sic apparebit intelligentiam mihi propriã esse: præsertim cum oporteat, si libere moueor, eandem substantiam esse quę persuadeat moueatque, & quæ persuadeatur atque moueatur, alioquin libertatis nomen erit inane. Sed rursus ad idem diuerso quodam tramite procedamus. Cum compertum habeamus viuum hoc corpus à mente moueri sæpissime in illis præsertim operationibus quæ prę cedente consilio ordinatissimis modis ad finem rationalem conducunt potius quàm corporeum, quærimus vtrũ mens per naturalem coniunctionem substantiæ suæ ad substantiam corporis ipsum moueat: an solummodo per imperiũ? Non videtur per imperium solum id facere: quia non aliter hoc faciet quàm persuadendo aut percipiendo phantasiæ vt ipsa membra corporis moueat. Atque ipsa mouebit, si modo consenserit. Nunc autem sæpenumero intellectus agitat corpus contra phantasię sensusque affectum, appetitu sensuum reluctante. Mouet itaque membra per naturalem quandam substantiæ suæ coniunctionem, ac per esse potius quàm per imperium. Proinde si plerunque contra phantasiæ inclinationem, ipsa phantasia minime persuasa, mens tũ sistit membra, tũ mouet, idque facit intrinsecus, & eodẽ ordine quo solet phantasia mouere: quis non videat tũc quasi

ceſſare ab opere animam illam cogitatiuam, atque eſſe ſuperfluam,(cum mens opera illius vſurpet).Mentē verò per modum naturalis formæ mouere? Siquidem natura eſt intrinſecum motus ſtatuſque principium.Et cum pariat motum in membrisexternū,multo magis parere poterit motū intrinſecū in humoribus,qui facilius agitantur . Humores autem agitando, qualitates eorū ad nutritionis opera tēperabit.Rurſus quanto magis vibrare poterit ſpiritus qui aura vel leuiſſima commouentur? Dum intrinſecus ſpiritū temperabit, ſenſum exercebit in ſpiritu . Quid igitur opus eſt nobis geminis animabus,intellectuali,& cogitatrice , cum vna ſufficiat,nec minus poſſit mens & intelligere & ſentire, quā cogitatiua ſentire & alere? Immo & alere poteſt mens, poſtquam vegetatrix non alere ſolum poteſt, ſed elemētorum quoque motus actioneſque peragere. Eſt profecto in nobis vis aliqua quæ eſſe ipſum ſiue ens & rationem ipſam conſiderat communiori quodam conceptu quàm ſit ſenſibile vel inſenſibile: ac poteſt pro arbitrio aliquod intelligibile ad ſenſibile aliquod, immo ſingula & cuncta intelligibilia:ad ſingula& cuncta ſenſibilia cōparare:quo fit vt eadem vis hæc omnia noſcat. Cum verò ſenſus inſenſibilia non attingat,neque percipiat quicquam communius vniuerſo ſenſibilium genere,& phantaſia ignoret vniuerſalia:vis illa ſola mens erit.Igitur in ſubſtantia mentis vis erit omniū ſenſibiliū diſcretiua ſicut in phantaſia:quæ certè poterit phantaſia quædam excellens, ſenſuſque intellectualis cognominari.Vbi ſentiendi vis eſt,ſit & ſentiendi actus : modo non deſit ſpiritus,in quo ſiue paſſiones corporis exprimantur,ſiue imagines qualitatum effulgeant. Spiritus autem lucidus ſubeſt mēti efficiēs ad officiū ſentiēdi:ideoque excellēs illa phantaſia q̄ in mentis ſubſtātia eſt,infuſa ſpiritui cerebri cogitat:infuſa oculorū ſpiritui , videt:dū ex vno fonte multas effundit vires.Nēpe ſi apud Auerroē phātaſia corporea ſubſtantiæ intellectuali miniſteriū p̄bet ad actū intelligēdi,cur non etiā apud nos ſpiritus qui phātaſiā corporeā comitatur eidē mentisſubſtantiæ ſeruiat ad exequendū phantaſiæ illius actū quæ comitatur intelligentiā? Ac ſi membra terreſtria corporis motum à mente ſuſcipiunt,atque ad exteriora trāſmittūt:quid obſtat quo minus ignei ſpiritus per mē- A

tis præsentiam illustrati, imagines corporum obcurrentes mentis offerant phantasiæ? Quamobrem in eadem mentis substantia vis intelligendi, sentiendi, nutriēdique locatur, in qua etiam tota vis consistit libere operandi atque mouendi. Quando enim aliquid per rationem acturi sumus, necessario antecedit in nobis ratiocinatio illa quam suprà descripsimus. Quæ si sparsa per multas substantias quasi personas fuerit, non exibit in actum. Oportet enim omnem effectū ad vnam causam principalem reducere: in qua tota agendi facultas & ratio colligatur. Actionis autem humanæ ratio in illa ratiocinatione consistit. Tota ergo in mentis natura concluditur: quæ quidem natura sufficiens erit humanæ actionis principium: tum quia in ea tota ratiocinatio est, tū quia illi etiam soli corporis obediunt membra. Oculus, lingua, manus, pedes, tam facilè, tam cito, tam assidue singulos penè mentis nutus percipiunt & sequuntur, vt incredibile sit mentem non esse propriam horum formam, familiarēque rectricem.

Ratio quarta: quia vires animæ se vicissim tum impediunt, tū mouēt.
Cap. 6.

C QVotiens natura vna habens dissimiles vires agendi, in actum vnius nimis intenditur, ab alterius actu ferme desistit. Ideo conuiuæ acutè audire lyram simul & epulas gustare vix possunt. Quod si intentissima degustatio non impediret auditum, has vires duas non vnius substantiæ, sed duarum esse affirmaremus substantiarum. Actus autem alendi & sentiendi intentissimi humanam intelligentiam impediunt: atque hæc illos. Quod significat intellectū esse ipsius eiusdē nostræ animæ vim, cuius est nutriendi virtus & sentiendi. Respondebunt ad hæc Auerrois sectatores, sensum & phantasiam duas esse animæ nostræ vires: atque ideo se inuicem impedire. Actu verò phantasiæ propter nimiam sensuum intentionē remisso, debilitari insuper mentis actum: non quia mens in eadem sit anima qua phantasia vel sensus: sed quia ad creandas & videndas species mēs phā
D tasiæ indiget ministerio. Quanquam non pertinet ad Auerroicos dicere phantasiam propter intentionem sensuum re-

mitti, qui putant phantasiam esse motũ factum à sensibus. Neque etiam verisimile est phantasiã studio nutriendi multum debilitari. Tamen dimittamus nunc alimoniam atque sensum: phantasiam verò accipiamus & mentem. Ego certè hoc experior in me ipso, intenta nimium phantasia remitti humanam intelligentiam vel rationem, atque contrà: adeo vt vacet mens siue ratio plurimum, quando nimis imperat phantasia, etiam si sana & sobria phantasia: atque econuerso: quemadmodum & sensus etiam si sanus fuerit, quando attentius circa externa versatur, distrahit phantasiam: atque contra: Rursus quando in somniantibus, ebriis, iratis, amãti bus, amentibus, & phreneticis phantasia tota animi attentione suas in se volutat imagines: nónne omne mentis humanæ vel rationis iudicium consopitur? Quando autem in contemplantibus ratio diuinis considerandis ardentem figit intuitũ: an non silet maxime phantasia: & si quid interpellat, tacere statim à ratione iubetur, neq; permittitur aut affectibus efferri nimium, aut per consuetas ambages latius euagari? Quis ergo negabit mentem & phantasiam eiusdẽ animæ vires esse, cum sua se vicissim intentione debilitent? Cæterum concedamus Auerroicis tantã esse motionis vicissitudinem inter mentem & phantasiam, quanta est inter communem sensum atque particularem: & sicut imago rei in oculo lucens, inde in sensum relucet communem, similiterque & actus videndi ab oculo in communem redundat sensum: ita à phantasia tum simulacra tum actus in mentẽ continuo refulgere. Quanquã mihi videtur etiã maior esse vicissitudo inter mentem & phantasiam, quàm inter interiorem sensum atque exteriorem: quia à mente in phantasiam tam simulacra quàm actus reuerberantur: ab interiore autem communique sensu in oculum quomodo id fiat, non plane video: neque ipsi declarant. Quòd si & hoc quãdoque fieri in somniantibus asserant: esto. Inueniã rursus aliud in quo illarũ vicissitudo horũ vicissitudinem superet. Quippe inter mentẽ & phantasiã non speciei actusque tantum, verũ etiam affectus habitusque mutua fit cõmutatio: quæ inter hunc & illũ fit nunquã. Cũ igitur menti ad phantasiã multo maior cognatio sit copulaque insolubilior quã sensui communi ad aliũ, & tamen sensus hic & ille in eadẽ

anima sint: cur non mens quoque & phantasia in anima sint eadē? Cur mens æterna vsque à deo erga temporalē phantasiā ferme semper afficitur, vt obsequatur ipsi & blandiatur, ac dolente illa siue gaudente condoleat (vt ita dixerim) & congaudeat: nisi eiusdē naturæ & substantiæ fundamentum vtrisque subiiciatur? Quonā pacto vis phantasiæ finita vim mentis quodammodo infinitam sępe comitatur agendo, vt quousque illa speculatur, eousque hæc ipsa cogitet: ni si substantia eadem æquet vtrasque? Nunquam fit inter aliqua duo subita, facilis, integra commutatio qualitatum, nisi communis illis materia subsit. Quapropter neque intellectus tam facilè fieret vnquam phantasticus, aut phantasia intellectualis euaderet, neque ille irrationalis efficeretur aliquando, aut illa rationalis, nisi commune subesset vtrisque subiectum. Sicut enim rota altera mouet alteram, quia eidem machinæ innituntur: sic duo illi appetitus, rationalis scilicet & irrationalis, sese mouent vicissim facillime tā impetu quàm iudicio: quia in eadem animæ substantia sunt. Hinc Aristotelicum illud in libro de anima tertio: Quemadmodum sphæra mouet sphærā: sic concupiscentia voluntatem. non autem concupiscentia mouere, nisi sit aut quasi sphæra superior trahēs inferiorem: quod nemo vnquam dixerit: aut sphæra eidem artificio cui & mens connexa.

A

Quinta ratio, quia separata mens non indiget phantasia. *Cap.* 10.

B MEntis natura apud Auerroem non habet esse commune cum corpore: non esse proprium illi communicat. Non habet inde originem neque secundū essentiam, neque secundum prępara tionem ad existendum. Non conficit cum ipso speciem aliquam: neque secundum numerum corporum numeratur. Itaque sicut habet essendi modum ab hoc animali penitus separatum, sic cognitionis modum habebit prorsus à corpore segregatum. Quapropter nulla ratio est quæ eam cogat species à phantasiæ simulacris haurire: atque temporali mobiliq; discursu ad *ipsam* rerum præsertim æternarum scientiam indigere. Profecto erit supernis mentibus quā simillima: & illis multo propin-

quior,quàm corporũ qualitatibus.Igitur illas,earũque more intelliget magis quam istas. Quod est contra ducẽ Auerrois Aristotelem:qui hanc mentẽ scribit nihil absque simulacris intelligere.Simulacra verò corporum sunt,non mentium. Omnino autẽ cum prima familiariaque humani intellectus obiecta sint communes ipsæ naturaliũ naturæ rationesque coniunctæ quidem corporibus, sed à corporibus separabiles:licet nobis ex proportione quadam potentię ad obiectum,argumentari talem esse hominis intellectum, vt & coniunctus sit,& possit à corpore separari : & quia coniunctus est, idcirco penè semper ad simulacra se conuertat. Profecto quia coniunctus est,ideo se ad cõiuncta conuertit. Et quia modo separabili est coniunctus,ideo modo separabili se conuertit,id est abstrahẽdo,atque separando.Mentes verò quæ nõ solũ separabiles,verũ etiã separatę sunt:& separabili modo & separata pariter intuentur.Proinde,vt summatim dicã,nihil mihi magis videtur humanæ mẽtis naturã esse mediã demõstrare,quàm naturalis eius inclinatio ad vtrũque. Siue enim per intellectũ vel incipiat à corporibus, mox inde se ad incorporea trãsfert:vel si ab incorporeis interdũ exordiatur,vicissim ad corporũ simulacra labitur.Siue per volũtatẽ vel optet æterna,interim inde tẽporaliũ affectu deflectitur:vel contrà cupiat tẽporalia , vicissim inde sæpe æternorũ reuerẽtia cohibetur. Sed ad quæstionẽ iã Auerroicã reuertamur.Respõdebũt Auerroici,hũc intellectũ mentes quidẽ supras intelligere absq; simulacris phãtasiæ: naturas corporũ minime.Nos ad hæc inferemus.In mẽtib⁹ illis esse speciescorporũ incorporeas,per quas de corporib⁹ iudicãt.Propterea si intellect⁹ hic easintelligit,ab eisaccipit corporũ cognitionẽ.Nihil ergo opus est vt à corporibus eã accipiat. Tum illi intellectum hunc asserent infimum esse, in seipso subsistere,ac nobis hęrere.Quantum in se subsistit comparari ad mentes superiores vt perspicuum vitreumque corpus ad lucem:easque perspicere.Quantum nobis adhæret,haurire species à simulacris:& corporalia intelligere.

Nos ad hæc primum quidem dicemus superuacuum id esse vt intellectus qui semper inspicit corpora in corporum causis,eadem quoque semper videat in simulacris:& qui habet in ęternitate, quotidię mutuetur à tempore.

Humana mentis natura media

Nota G

Deinde nõ quia nobis adhæret,à ſimulacris accipit ſpecies: ſed quia illas hinc capit,adhæret. Vt enim arbitratur Auer-
D rois, ex eo ſolum nobis coniungitur intellectus, quòd ſpeciebus formatur à nobis acceptis. Ergo conſiderandus eſt intellectus prius quaſi pręparatus per quandam potentiam ad huiuſmodi ſpecies capiendas,quàm nobis adhæreat. Non igitur p hoc quòd hæret nobis,eſt ad huiuſmodi ſpecies pręparatus: niſi forſitan opinetur ipſum hærere nobis quantũ ad naturæ ſpectat propinquitatẽ,id eſt intellectus illius naturam eſſe gradu quodam noſtræ animę proximam. Si ita ſit,nihil amplius conſequetur quàm vt mens huiuſmodi noſtram animã moueat atque formet. Dignior enim gradus quando propinquat inferiori,non accipit ab eo,ſed tribuit. Sphæra lunæ ſphæram mouet ignis: non mouetur ab illa. Cur ergo mens hæc ſcientiam mutuatur ab anima potius quàm mutuet? Nempe ſi ſuperior eſt, & tanto præſtantior quanto arbitratur Auerrois: debet ipſa quidem per ſe ſapere ſolum,anima verò per ipſam:præſertim cum eodẽ modo mens hæc couiuncta ſit corpori,quo & mens cæleſtis eſt cę lo,vt vult Auerrois. Quapropter ſicut illa nihil capit à cęlo, ita hęc nihil à corpore. Neque nobis obiiciant Auerroici,ſicut cæleſte corpus ſuis formis plenum eſt:ſic eius mentem ſuis eſſe plenam: noſtram verò nouas ſemper formas accipere,ſicut corpus noſtrum formas ſuas continue variat. Obiectio hæc nihil efficit. Ea ſiquidem artificis actio modum ſumit ab inſtrumentis, quæ per inſtrumenta tranſigitur,ſicut ſectio,& ſimilia. Ea verò quę in ſola mente artificis permanet,vt diſponendi operis conſultatio modum ab inſtrumentis non accipit. Quare non decet dare modum intelligentiæ ex ipſo corpore, per quod intelligentia non expletur. Interrogabimus deinceps Auerroem,nunquid mens dũ in nobis intelligit,perfectior fiat,an imperfectior: an neutrum. Si neutrum,inanis erit perpetua hæc agitatio,nihil operando proficiens. Immo nec operabitur quidem:nam ad
E indifferentem terminum non fit motus. Si perfectior:ęternæ mentis perfectio ſemper à ſimulacris temporalibus dependebit. Semper id quod eſt imperfectum,id quod perfectius eſt perficiet, præſertim cum non aliter velint moueri ac formari eam à phantaſia noſtra, quàm à corpore ſpecu-

lum. Sin imperfectior: quomodo semper mouetur ad imperfectum? Quo appetitu assidue nititur ad defectum? Et quod imbecillius est, qua vi semper inficit quod est præstantius? Nónne Auerrois ipse: vbi de mentibus disputat separatis, inquit eas cum per suam essentiã æterna cognoscant, temporalia nulla cognoscere: alioquin, vt inquit ipse, & vt suo vtar verbo, vilescerent. Si ita est: sequitur vt ex Auerrois sententia temporalis cognitio ibi defectum afferat, vbi cognitio est æterna. Cũ igitur intellectus humanus (quod ipse asserit) semper æterna cognoscat: non modo frustra dicitur intelligere temporalia, quoniam hinc perfectior non euadat, sed etiam quia fiat hinc imperfectior. Ego certè imperfectiorem fore mentem illam ęternorum speculatricem in nobis ob eam causam arbitror, quòd semper hic falsis illuditur imaginibus, curisque turbatur. Atque hanc eius intelligentiam in rerum natura superuacuam esse, quia conferat nihil: nec vllius finis gratia sit instituta. Animis quidem nostris quid tribuit sui? Nónne particularem ratiocinationẽ humanus animus natura habet sua, perque illam, vt putat Auerrois, instruit mentem: immo sæpe illudit & turbat? Vniuersalem verò discursum neque ex se habet, neque capit F à mente. Non enim est capax vniuersalium æternarumque rationum particularis animus & mortalis. Si enim eas caperet, intelligeret sane, atque intellectus esset, & sempiternus. Nihil igitur confert nostris animis huiusmodi copula: nisi forte conducere putas nobis ex eo mentis præsentiam, quòd nos contra naturam nostram trahit inuitos, & falsis implicat fabulis: dum fallaci spe diuinorum, priuat nos præsentium bonorum iucunditate. Sed neque menti prodest, vt diximus quæ cum diuina sit, non est ad hunc hominem tanquam ad finem referenda: hominem inquam ab illius esse seiunctum. Rursus cum per suam essentiam supernas rerũ videat causas, in quibus causę omnes medię & effectus quilibet continentur, ideoque in illis perque illas perspiciat corporalia omnia: nihil nostris eget phantasiis & sensibus ad corporalia discernenda: præsertim quia inest illi secundum Auerroem agens ille intellectus: qui cum in ęterno sit actu, per quem naturam intelligibilem singulis potest sensibilibus commodare: potest & magis & prius capacem intelle-

ctum eodem intellectuali splendore replere: atque in eo tũ species supernarum rerum sibi ingenitas capaci offerre, tũ per efficacissimam virtutem sui vniuersales species illas in conceptus particulares deducere. Nam si potest ex particularibus contingentibus vniuersalia fingere, potest etiam ex vniuersalibus vel innatis vel inspectis diuinitus particularia quęque concipere: præsertim cũ essentia sit capace superior, atque munus hoc iam ab æuo semper expleuerit. Neque rursus dicendum est tum mentem tum animal propter cõpositum ex vtrisque coniungi. Non enim ita iunguntur vt verè vnum ex vtrisque cõficiatur. Neque decet partes veras ad falsum totum referre quasi finem. Fortasse dicent conferre copulam illam ad mundi decus & ornamentum. Ego verò non puto mundum superfluo hoc ornari figmento, immo portẽto, quod vnicum habet caput, & illud quidem, licet diuinum sit, tamen chamæleontis instar colores varians pro obiectorum varietate. Crura insuper habet innumerabilia. Caput manet: crura semper amputantur: rursusque repullulant. Neque tolerabimus eos si dixerint monstrum hoc ad rerum tum superiorum tum inferiorum connexionem conducere. Quo enim pacto cõnectet cætera: quod ipsum in se non modò non est vnũ quiddam, sed neque connexionem suscipit aliquam aliunde? Vnam quandam formam esse oportet in mundo, quæ superiores formas nectat inferioribus. Nam formæ vnitatisque officiũ est connectere. Atque in ea congredi oportet formarum omnium proprietates: ita vt formæ superiores remittantur quodammodo, atque ad inferiores deiiciantur: inferiores autem intendantur, extollanturque ad superas. In illo autem Auerroico monstro nec forma inuenitur vna communis, nec extrema inuicem in se commigrant: sed dum singula quod suum est seruant, remanent dissipata. Denique si intellectum esse dicant vbique sub luna, frustra ibi ponent vbi nulli vnquam sunt homines: vtputa in summo aëre, innauigabili æquore, terraque inhabitabili. Ibi enim nihil intellectus vnquam proficit, neque mouet quicquam. Peripatetici verò diuinas mentes nusquam designant, nisi vbi accommodate regunt aliquid atque mouent. Quod si dixerint illic illum esse duntaxat vbi sunt homines, duo statim sequẽtur absurda. Primũ

A

quòd totus erit in duobus hominibus longissimo inter se interuallo distantibus: neque tamen erit in medio: quod natura non patitur. Alterum, quòd motis hominibus, ipse quo que mouebitur. Moueri tamen vel per se vel per accidens substantiam illam quæ neque corpus sit, neque forma propria corporis, Peripatetica secta non solet admittere. Proinde qua ratione tam diuina mens homunculum oberrantẽ, rarissimeque mente vtentem, quasi pedissequa passim comitetur, quis explicabit? Nunquid naturali necessitate? At verò superior est: & hoc neque ad esse neque ad bene esse suum indigere videtur. Sed neque violentia neque consilio licet fingere. Neque licet afferre quòd ideo mouetur moto homine, quia naturaliter humanæ speciei accommodatur. Non enim aliter illum huic accomodant, quàm cælo mentem, quam tamen vnà cum cælo moueri non putant. Postre mò: si dixerint mentem moto homine non moueri, fateri compellentur tum mentẽ quandoque procul ab homine, tum hominem procul à mentis præsentia viuere.

Ratio sexta, quia intellectus vterq; est virtus in anima. Cap. II.

QVòd autem intellectum agentem, atque capacẽ, duas esse affirmant essentias, ex quibus vnum esse intellectualis animæ constituitur: id quidem superfluum & absurdum. Superfluũ, quia vna essentia sufficiat viribus duabus instructa: ita vt per vnam efficiat species, per alterã capiat: sicut & phantasia intentiones quasdam ex imaginibus haurit, & haustas ipsamet recipit. Et oculi animalium quæ nocte vident, in eadem essentia vires geminas possident: per vnã imagines colorum eliciunt, Per alteram capiunt. Ipsum quoque lumen colores quosdã in nubibus aut aqua & facit, & suscipit. Quo autẽ pacto in eadẽ essentia duplex fundatur potentia, effectrix & susceptiua? Ex diuersis videlicet principiis siue relationibus. Sanè lumẽ prout à sole est, colores facit: prout quasi in seipso est extra solem, suscipit. Ita & anima quantum ex deo est actu purissimo, vim sortitur ad species fabricandas. Quantum verò in seipsa est infra deum, euadit quasi passiua, ac species suscipiendo formatur.

Contra Auerroen de agente et patiente intellectu

Quo fit vt figmentum illud Auerroicum sit superfluũ. Est & absurdum: quoniam ex duabus essentiis quæ actu vtrę-
D que existunt, esse vnum substantiale non constituitur. Duo nanque existendi actus, duo sunt esse, non vnum. Intellectũ agentem apud illos esse actu substantiam quandam, postquam agit aliquid, non est dubiũ: neque nos contrà pugnamus. Quod autem adiungunt capacem quoque intellectũ esse substantiam alteram, ac talem, vt mera potentia sit, non aliter quàm materia prima: non probamus. Nam si mens capax pura potentia sit, à materia prima non distinguetur. Et vbicunque materia erit, erit intelligentia: ita vt & lapides ipsi intelligant. Certum quidem est materiam primam esse meram potentiam. Non potest autem mera potentia in natura esse nisi vna, sicut neque merus actus nisi vnus: atque econuerso. Si enim quæcunque in potentia esse dicuntur, per vnam rationem communem talia sunt: & quęcunque actu similiter necessarium est ad vnicum potentiarũ fontem & vnicum actuum peruenire. Iterum si prima & cõmunis in rebus distinctio compositiove illa est, quę per potentiam fit & actum, atque ex vno non fiunt multa nisi per ordinẽ quendam aliorum ad alia: & ex multis similiter non fit vnum nisi per huiusmodi ordinem in quo aliud ad aliud tãquam potentia refertur ad actum: sequitur vt multitudo in rebus ab ipsa potentiæ actusque commixtione sumat exordium. Quo fit vt neque merus actus neque mera potentia multiplex esse valeat, postquam neque potentia nisi per actus mixtionem, neque actus nisi per mixtionem potentiæ subit numerum. Ex quibus conficitur vt mens pura potentia esse non possit. Ac si dicatur mentem quoque simplicem potentiam esse non minus quàm materia sit, & ab ea nihilominꝰ discrepare: sciscitabimur qua ratione à materia differat. Planè non quantum potentia est: tum quia in hoc ipso conueniunt: tum quia per potentiam confusio regnat & cahos: distinctio fit per actum. Adiicietur igitur menti aliquid vltra potentiam, per quod differat à potentia materię: & id quidẽ aliquis actus erit. Atque hic actus si mentis gremio sit infusus, efficiet vt mens non sit mera potentia, postquam actum habet admixtum. Sin incumbat extrinsecus, non prius efficiet vt mens à potentia materię differat, quã-

tum

tum illa potentia est, quàm per actum proprium agendo in mentem, actum aliquem menti intimum tribuat, per quē à potentia pura inquantū potentia discrepet. Talis enim discrepantia non fit nisi per actū aliquem, inquantū est actus atque ita rursus mens non erit potentia pura. Fingent Auerroici mentem ideo differre à materia, quoniam mens alium actum respicit scilicet absolutum & vniuersalem: aliū verò materia scilicet concretum atque particularem. Quasi verò ipsi respectus non actus aliqui sint. Nempe si respectus mentis non sit aliud quàm ipsa mentis potentia: differentiā non adhibebit. Sin aliud fuerit: erit actus. Præterea si mens ac materia prius sunt quàm respiciant formas suscipiendas: & vt sunt in seipsis, ita respiciunt: certe ex eo quòd diuersæ inter se sunt, diuersos actus respiciunt: non econuerso. Neque putandum est mentem respicere actum perfectiorem quàm materia illa respiciat, nisi ex eo quòd mēs est illa perfectior. Si ita est, longius discedit à nihilo, & propinquius ad actum accedit summum: vnde est omnis perfectio. non igitur sola potentia est. Proinde si materia inter actum atque nihilum tenet mediū, & quod infra eam consideratur, non est vsquam quod super eam actus existit, aut actu: quęrimus vbi locemus mentis essentiam. Profecto si ipsa est aliquid: infra materiam non locabitur. An forte in eodem perfectionis gradu quo & materia constituetur? Nequaquam. Nihil enim præstantius susciperet quàm materia. Accedit, quòd si cut ea quę per quantitatem sunt æqualia, per eam sunt & vnum: ita quæ inter se secundum perfectionem ęqualia sunt perfectione sunt vnum. Perfectio in forma est: per formam species. Quæ ergo perfectione vnum sunt: sunt vnum forma, & vnum specie. Hinc accidit vt duæ quædam rerum species æquè perfectę inter se esse non possint. Quare mens est quæ est alia species quàm materia, in eodem perfectionis gradu cū materia non locabitur. ergo in gradu prestantiore. Si super materiam ponitur: erit actus, aut saltem actu. Et tanto magis actu quàm formæ reliquæ naturales, quanto longius quàm omnes multis gradibus remota est à materia, & actui diuino propinquior. Si actu est, neque in genere sensibilium collocatur: certè super rerum sensibilium actū in genere & in specie intelligibilium intellectualē secundū

Mm

certam ſpeciem habebit actum, ſiue intelligibilem. Quinetiam in genere rerum actum habebit vitalem, quo viuificet ſenſibilia. Quòd ſi dicatur ſic ſe habere ad formas intelligibiles, ſicut materia ſe ad ſenſibiles habet: exemplum quidē hoc erit vtcunque poterit verum: non tamen coget mentis eſſentiam eſſe totius actus expertē. Opinabitur forſan Auerroicus aliquis rationes ſuperiores ita demum ſe ſubterfugere, ſi conceſſerit ipſam potentiæ merę naturam non eſſe ad extremum punctum coarctatam, ſed habere in ſe aliquam latitudinem qua intendatur & remittatur: ita vt eius perfectio naturalis in mente ſit intenſior, in materia verò remiſſior. Sed neq; ſic quidē ſubterfugere poterit. Sicut enim merus actus eſt actus ſummus: ſic potētia mera ſumma potentia. Quod verò in aliquo genere tenet ſummum, id certum (vt ita dixerim) habet limitem: vltra quem genus non porrigitur: citra quem quod eſt, nondum eſt ſummū, neque etiam merū. Quippe qualitas non aliter cadit à ſui generis ſummitate, quàm per quandam oppoſiti generis mixtionē. Prętерea ſi natura potentię in mente eſt perfectior quàm in materia, per aliquam ſuperadditam ſibi perfectionē mens non eſt potentia, pura quòd ſi per ſeipſam: tunc potentia ipſa intenſior eſt in mente: remiſſior in materia. Aut ergo ſecundum magis, aut ſecundum melius eſt intenſior. Si detur primum: materia non amplius erit extrema potentia: cum ſit alia quæ magis potentia eſt. Si ſecundum: mens non erit potentia mera: quia quod eſt melius, ſummæ bonitatis magis eſt particeps. Ea verò ſummus eſt actus. Cū igitur mens non ſit potentia mera, non eſt in ea ſubſtantialis ſed accidētalis potentia: & quia potentia actuſque congruere debent, accidentali quidē actui ſubiecta erit: ſubſtantiali nequaquā.

B

C Quapropter ex ipſa & ſubſtantiali actu intellectus agentis non poteſt tertia quędam ſubſtantia fieri. Potentia enim ſecundum quid, vt inquiūt metaphyſici, aliquem ſimpliciter actum non ſuſcipit. Putant Ariſtotelici intellectum capacē

D vniuerſales rationes rerū naturaliū tunc intelligere, quando earū formas abſolutas intelligibileſque acceperit. Quoniā verò in ſeipſis tales non ſunt, & fieri actu intelligibiles non aliter poſſunt quàm per naturam intellectualem atq; agentem: intellectum aliquem efficacem introduxerunt abſo-

lutarũ formarũ procreatorẽ. Si natura hęc intellectus agẽtis
sit virtus quædam eidem essentiæ insita, cui & capax virtus
innata est: quid opus est Auerroica illa geminarum substan
tiarũ congerie? Sin autẽ alia quædã substantia sit hac excel-
lentior, quæ vim intellectualem transfundat per substantiã
mentis capacis vsque ad simulacra phantasiæ, atq; iis simu-
lacris præstet vim formarũ intelligibiliũ efficacẽ, quod A-
uerroici arbitrãtur: multo & prius & magis vim eandẽ ipsi
mentis capacis substantię largietur. Illa substãtia modo lar-
gietur stabili: hæc substantia modo stabili capiet: cũ vtraque
sit æterna. Ipsa igitur substantia eadem quæ capacẽ vim ha-
bet, habebit & efficacẽ: neque opus erit ad duo illa mentis E
officia substantiarum coitu geminarum. Hinc etiam error Argumẽtum
Alexandri conuincitur, qui vt ex violenta Aristotelis exposi Alexãdri
tione omnẽ diuinitatẽ humano generi auferret, mẽtes qui-
dẽ capaces esse in nobis, numeroque distinctas asseruit: agẽ-
tem verò mentẽ extra homines, atque vnicã: in qua sola sit
tota mentis diuinitas, quæ sit vniuersalis causa intelligibili-
um specierum. Verùm cum in omnibus rebus naturalibus
sint virtutes quędam suorum motuum effectrices: nefas est
substãtiam mentis humanæ naturalium omnium præstan-
tissimam efficace virtute priuari. Et quia à virtute operatio
proficiscitur, mens vniuersalis menti nostræ non prius tri-
buit actum intelligendi, quam virtutem intelligentiæ effe-
ctricem. Quin etiam si causa vniuersalis particulari effectui Nota
prorsus opponitur, videlicet tum vt causa effectui, tũ vt vni
uersalis particulari: necesse est inter duo hæc particularẽ cau
sam tanquã mediã interponere. Virtus quidẽ solis vniuer-
salis hunc hominẽ, qui est particularis effectus, non produ-
cit nisi per hominem alium tanquam particularem causam
atque propriam. Eadem ratione mens illa agens vniuersalis
non producet effectum hunc, aut illum speciei intelligen-
tiæque in mente capace sine mente quadam agente partic-
culari quæ intra nos habitet. Sicut enim pro arbitrio no-
stro vtimur ad intelligendum mente capace quasi forma
quadam familiari: ita prout lubet per efficacem mentem
species fabricamus quasi per artem propriam nobis & insi-
tam. Scite Aristoteles mentem agentem atque capacem F
nunquam duas essentias appellauit, neque posuit super ani-

mam,ſed vocauit animæ partes: dixitque eas duas eſſe differentes vires in anima. Si quis autem Auerroicam mentẽ appellauerit animam,is animæ vocabulo abutetur.

Solutio rationum Auerroicarum de mente ſeparata.
Cap. 12.

G EX omnibus quę contra Auerroem adducta ſunt, duo concludimus. Vnum, eandem eſſe in homine animam quæ corporalia format,& formatur ab incorporeis. Hoc enim medio ſolum diuinorum radij vſque ad infima tranſmittũtur,ſi idem quod ab illis illuſtratur,hæc illuſtrat. Immo & hoc medio infima ad ſublimia reflectuntur, ſi idẽ regit infima,regitur à ſupremis. Concludimus & alterum,
H quòd humanæ mentes ad numerum hominum numerantur:ita vt vel ſpecie inuicẽ diſtinguantur,vt opinantur Magi:aut certe numero,vt poſteriores theologi aſſeuerant. Quot enim corpora hominum ſunt,totidem & vitales cõplexiones,totidem viuificæ animæ,totidem animarũ mentes. Ferme enim ſicut ad corporum diſtributionem diſtribuuntur complexiones, atque ad has vitæ: ſic ad viuificarum animarum numerum mentes diſtribuuntur,quæ vires ſunt animarum. Non tamen ex diſtinctione corporis tanquã ex cauſa ſubſtantiæ virtutiſque incorporeę diſtinctio,ſed ab ipſo formatore incorporeo prouenit. Rationes verò illæ Auerrois quibus ab initio quæſtionis negabat intellectum eſſe corporis formam,nihil contra nos valent. Id enim efficiunt, vt non ſit forma corporalis eſſe proprio carens,ac dependẽs à corpore per eſſentiam. Nos autem eum eſſe volumus non talem formam,ſed in eſſe proprio ſubſiſtentem,& materiæ dominam. Cæterum vt refellantur nonnullæ inſuper captiunculæ quibus Auerroici Platonicos captare obnixe ſtudent, meminiſſe oportet non eſſe præter naturã animæ humanæ vt corpori coniungatur, ſed animæ huic ſempiternæ naturale eſſe vt ſemper cum ſempiterno ſit corpore atque cæleſti,& cum temporali corpore atque terreno ſit ad tempus: ſicut & planetæ cuique naturale eſt vt ſemper in ſphęra ſua ſit,ad tempus autem ſub tali ſigno vel tali. Poſtquã verò diſceſſerit à corpore,naturale eſt rurſus conciliari:ita vt ſe-

orsum à corpore maneat cum affectione quadam ad idem corpus iterum reuertendi: sicut & lapis etiam sursum positus manet integer: sed interim pro viribus ad inferiora declinat. Et planeta discedens à signo, naturali ordine ad idem quandoque reuertitur. Redituram verò quandoque animã in eiusdem corporis habitaculum, ne in sempiternum frustra sit ille naturalis affectus, Magi & AEgyptij cum Platonicis consenserunt. Alioqui violentum aliquid esset æternum. Quoniam verò per actum dei anima in se est, per qua litates verò complexionis est in corpore: & actus dei permanet sempiternus, complexio soluitur: desinit esse quandoque in corpore: non tamen esse desinit in seipsa. Subsistit in suo esse, postquam seiuncta est à corpore. Subsistebat similiter dum aderat corpori: sed non communicat esse, sicut cõmunicabat. Neque mirabile videri debet, animam quæ ad tempus habitat corpus, posse manere seorsum à corpore incorruptã: si modò magis dependet mobile à motore quàm econuerso. Animus autem, verus motor est corporis. Ergo si corpora quædam separata ab anima manent quodãmodo incorrupta, vt ossa, vngues, nerui, capilli, quę videntur tẽpus longissimũ perdurare: idemque faciunt ligna, saxaque, maxime verò balsamum, mel & oleum, quæ nunquam penè putrescunt: nónne animus rector corporis naturali ordine poterit manere semper absque corruptibili corpore incorruptus? Qui plane ostendit se in huius vitæ progressione propter corruptionem talis aut talis corporis non corrumpi: cum ipse per omnem ætatem permaneat idem, exuatque materiam veterem, induat nouam: dum corpus propter effluxum reflexũque materiæ continue innouatur. Sed pergamus ad reliqua. Quando anima accedit ad corpus, gignitur animal per generationem corporeæ complexionis, spirituque vitalis. Quando discedit, soluta complexione ac spiritu resoluto dissoluitur animal. Neque ex aliquo contingenti hoc animal gignitur, sed ex ordinato concursu omnium naturalium causarũ: similiterque dissoluitur. Hoc tamen dissolutionis malum Plotinus probat ad animam idcirco non pertinere, quia ipsa se corpori non miscuerit, sed permanens in seipsa, non ex se & corpore sed ex corpore & suo quodã vitali simulacro vnum sub se irrationale animal composue-

rit. Sed hoc ipse viderit. Siue propinquat anima materiæ quantitate intercedente, non necessario extenditur, sicut neque superficies in corpore profundo fit profunda, neque linea in latitudine lata, neque punctum in lõgitudine longũ, neque significatio vocis, coloriſque imago in amplo aëre
C fiunt amplæ: (materia enim ipsa potius quàm anima indiget quantitate). Siue antecedit quãtitatẽ, aduenienti quãtitati nequaquam subiicitur. Quippe cum per potentiã fiat susceptio, non per actum: in materia suscipitur quantitas, nõ in anima. Quantitas inquam indeterminata primum propter materiæ ipsius infinitatem: deinde ad certam figuram determinata propter præsentiã animę: quæ certe speciei tradit initia. Nemo dubitat materiam naturali quodam ordine antecedere quantitatem. Causæ quidem naturales quia loco temporiq́ue subiectæ sunt, ideo localiter & temporaliter agunt: vnde & paulatim opus transigunt: partẽq́ue tum tempore cum loco post partem. Quapropter opus eiusmodi non possunt alibi quàm in materia iã extensa perficere. Deus autem quia omnem tum localem tum temporalẽ diuisionẽ exuperat, modo agit prorsus indiuisibili: indiuiduãq́ue potest formã ipsi materię in eo ipso gradu quo ipsa antecedit quantitatem, tribuere: quam sicut & cæteras formas determinata quantitas comitetur, non in anima sed in materia iacens.

Sit vnica in homine communis forma totius, atque præ-
D cipua, id est rationalis anima. Sint quoque, vt placet multis, multæ partium specie distinctarum formæ particulares obedientes animæ, formæ carnis & ossis, & nerui, & reliquorum, ex quibus compositum quoddã fiat, quod figuræ corporeæ, diuisioniſque & passionis sit subiectum. Adsit anima corpori figurato: non figuretur. Animam verò ipsam non esse talis figuræ subiectum inde patet, quòd talis figura corporis & antecedit animam, & succedit. Cum interrogatur de ipso totius esse, nonnulli respondẽt per ipsum substantiale animæ ipsius esse, fieri esse substantiale totius, quod partium coniunctione resultat. Esse enim animæ dicunt, quo esse totius exiſtit: quo & ipsa exiſtit in semetipsa. Atque hæc anima in pede quiescente non sistitur, sed sistit in manu mota: mouet, & forsitan nõ mouetur. Sicut enim in cor-

pore locali non subit locum, sed super locum adest, & inest loco: ita in moto corpore alienum non subit motum, sed quodammodo immobiliter est in motu. Ac si currit, cum mentibus currentibus currit transferens, non translata. Ergo quando eodem tempore mouetur manus, pes quiescit: non cogitur anima quæ tota est in vtrisque, tota moueri simul atque quiescere. Sed moueatur, si placet, anima in manu: respondet Scotus: Quid cogit eam interim in pede quiescere? Nónne potest in pede immoto mente ipsa moueri? Quanquam sicut non est impossibile eundem hominem simul totum motibus moueri contrariis, dum naui defertur versus orientem solem, at interim versus occidentem vel pellitur ab alio, vel ipse currit in naui: ita non esset absurdū apud Aquinatem Thomam, animam ad statum motumque alterius in diuersis quiescere simul atque moueri. Tota E anima est in brachio: tota est in manu. Amputata manu, anima non truncatur, neque restat in aëre, neq; se condensat in brachium, neque refugit tēpore: (omnes enim hæ passiones sunt corporū) sed tota viuificat brachiū solū, quę ante & illud & manū viuificabat. Desinit autē esse vbi erat, non per motū: sed momento operari desinit vbi operabatur: quēadmodum si frangatur portio aëris exigua in occidente, & euanescat lumen quod totum est in oriente, vt vult Plotinus totumque in occidente, cum ea portione in qua etiam erat totum, non frangitur, sed illuminare desinit portionem quā prius illuminabat: neque temporali fluxu in seipsum se condensat, sicut neque ab oriente in occidentem temporali fluxu sese rarefaciendo protenderat. Momēto enim se fecerat præsens: momento se facit & absens. Si anima vbique tota est per corpus, atque ipsa intelligit sola: intelligit & vbiq;. In nullo tamen mēbro intelligit: quia ipsa non est in mēbris, sed membra potius sunt in anima. Videtur tamen vulgo apud cerebrum intelligere, quoniam intelligentiā phantasia plurimum comitatur, hāc verò agitatio eorum spirituū qui sunt in cerebro: sicut affectus phantasiæ comitatur agitatio spirituum eorum qui sunt in corde vel iecore: affectū quidē iracundiæ spiritus sequuntur cordis, affectum libidinis iecoris spiritꝰ. Si quis interroget quidnā sentit quidve intelligit Homo, Peripatetici respondebunt, sed aliter: atque aliter.

Sentire enim compositi actum esse dicent primo, quia vis sentiendi in ipso composito est ex materia formaque mixti, & anima: deinde & actum animæ: quoniam ipsius virtute fit sensus. Intelligentiam quoque esse totius compositi actionem. Quanuis enim in anima sola intelligentia sit, ideoque possit in separata anima remanere: tamen dum anima est ita forma compositi, vt in vnum esse commune concurrat: id totum cuius est id esse, ita per formam operari dicitur sicut & esse. Huc illud Aristotelicum tēdit: Intellectus nullius actus est organi. Et merito. Non enim in corpore est sicut sensus, sed in anima. Neque sicut putauit Auerrois, existimandus est esse ab homine, sed ab organo separatus. Neque rursus Alexandri more sic est exponendū, vt sensus quidem singuli singula sortiti sint instrumenta, intellectus autem ipsius corpus totum sit instrumentum. Videmus enim nobilissimas vires non quouis sed nobilissimo solum instrumento vti: vnde tactus quasi quolibet, phantasia vnico atque distincto vtitur. Non ergo vniuersum corpus satisfaciet menti. Neque dicendum est ex omnium instrumentorum conspiratione vnā consonantiam confici, qua velut instrumento intellectus vtatur. Nam si ita se res habeat, intellectus instrumentis omnibus indigebit, eritque maxime virium omnium organicus atque mixtus: neque Aristotelicū illud stabit vlterius: Sensus quidem nō est absque corpore: intellectus autem est separatus atque immixtus, nullo prorsus organo vtens. Si enim organis vteretur, talis aut talis euaderet: neque omnia vlterius cognoscere posset. Non tamen ita separatus est, quin animæ substantia in qua est corpus viuificet. Alioquin non dicerent hominem intelligere. Separatus est enim quia non est in composito sicut sensus, sed in ipsa animæ substantia, quæ est à composito separabilis. Neque intelligendo vtitur instrumento: quod quidem in libro de animalium & somno & vigilia confirmauit dicēs, quorum sunt actiones, eorundem esse agendi virtutes. Quoniam verò sentire quidem per instrumentum contingit, intelligere autem minime: idcirco sentiendi vim esse compositi, intelligendi animæ propriam esse posse.

F

Solutio rationum Auerroicarum de mente vnica. Cap. 13.

SOluimus iam Auerrois Auerroicorumque rationes, qui A
bus demonstrari putabant mentis substantiam formam
corporis vitalem esse non posse. Soluamus eas deinceps,
quibus vnicam esse mentem, Auerrois conatur ostendere.
Ex materia, inquit, prouenit formarum sub eadem specie
numerus. At mens caret materia. Quanquam hæc quoru- B
dam Peripateticorum sententia est, Pythagoreorum tamen
Platonicorumque plurimi speciei naturam vnam in plura
indiuidua fundi non propter externam materiam arbitran-
tur, sed propter insitos quosdam ipsi formæ modos, in quos
actu perducta forma, indiuiduum hoc aut illud euadat. Esse
enim in quolibet angelo angelicam speciem ad angelicum
indiuiduum absque materiæ mixtione deductam. Verum
vt sequamur in præsentia partim Peripateticos, partim nō-
nullos Platonicorum: forte concedemus vel ex materia, vel
propter materiam, immo propter compositum ex materia
& forma, formarum numerum prouenire. Formæ siquidē
corporales sicut ex materia quodammodo trahunt essenti-
am, sic & numerum sub eadem specie positum. Formę au-
tem non corporales quidem, sed corporis, quales sunt ani-
mæ rationales: quia non habent originem à materia, neque
ab ea numerum habent. Quia verò non modo ad diuinita-
tis intuitum, verum etiam ad gubernacula corporum diui-
na prouidentia illas instituit: sicut voluit certum esse vario-
rum corporum, id est hominum compositorum numerum
ad sui operis ornamentum: ita certum ordinat numerum a-
nimarum. Sed vt cum Plotino loquamur, quidnam Plato-
nis animam distinguit à Socratis anima? Diuinus ille con- C
ceptus, qui viuificam animæ Platonicæ vim primò ad talis
cuiusdam temperauit cælestis corporis indumentum: per-
que hoc ad talem quandam præcipue elementalis corporis
complexione gignendam regendamque accommodauit. I-
ta & ad sua quædam Socratis animam. Sic ergo viuificas a-
nimarum vires discreuit propter materiam, immo propter
compositum ex materia, mundani ornamenti gratia: vires
autem animarum earundem intellectuales discreuit ad ani-
marum distinctionem. Sed quam ob causam? Propter aliū
atque alium diuinitatis intuitum. Sub variis ideis frui pos-
sumus mente diuina, per varia vestigia illam inuestigare, va

riis ad hunc finẽ callibus proficiſci. Voluit ſanè infinita bonitas non ſolum corporeis, ſed etiam ſpiritalibus oculis ſeipſam infinitis (vt ita loquar) modis cõmunicare: atque innumerabilibus penè oculis innumerabiles ſui ipſius vultus oſtendere. Itaque variorum animorum intellectuales oculos & affectus diuerſis temperauit modis: vt diuerſo tramite ad diuerſas multiplicium diuinorum bonorũ poſſeſſiones proficiſcamur. Proculus ex mente Platonis in Timæo dicẽtis deũ animas hominũ alias aliis ducibus ſtelliſque accommodaſſe, probat differentias animarum non ex corporibus vel inclinationibus ad corpora prouenire: ſed ex ipſa eſſentiali accommodatione à deo facta ad differentes duces atque ſtellas: vnde & differentia inclinationum actionumque prouenit tum ad æterna videnda, tum ad tẽporalia gubernanda. Proinde quemadmodum Scotus eiuſque ſectatores diſputant, omnis natura præter primam, quæ ſola purus eſt actus, potentiã quandã quodãmodo ex ſe informẽ & aliunde formabilem habet admixtam: quæ non aliter ad plures ſingulareſque exiſtendi modos, quàm materia ad plures formas æque ſe habet: ideoque ſicut humana ſpecies & equina ſic & intellectualis ſpecies quælibet tam angelorum quàm animarum in plura poteſt indiuidua deriuari. Confert autẽ mentium in eadem ſpecie numerus ad vniuerſi ordinẽ omnino complendum. Siquidem ordo plenus ille eſt, in quo tũ ſuperiora ad inferiora, tum hæc ad illa viciſſim, tum æqualia inter ſe pariter ordinantur. Ordinem verò eiuſmodi in rebus corporeis plane perſpicimus. At ſi incorporea pleniorẽ habent ordinem, in ipſis quoque ſimilem ordinem, id eſt triplicem cogitare compellimur. Non autem poteſt eſſe vllus inter æqualia ordo, niſi plura ſub eadem ſpecie comprehendantur. Conducit rurſum numerus plurimarum in eadem ſpecie mentium ad perfectiorem ipſarum felicitatem. Nam illæ ſeipſas quodammodo in ſe inuicem contuentes, æquali mutuaque (vt naturaliter fieri ſolet) tum agnitione tum familiaritate congratulantur. Denique longe pulchrius eſt vniuerſum, ſi vbique infra ſpecies quemadmodũ ſupra ſpecies ſit multitudo. Supra quidem, generali ſpecialique: infra verò numeroſa quadam varietate decora. Neque putant ſingulorum numerum ad id duntaxat conducere: vt ſpecies ip-

D

Animarũ differẽtiæ vnde

sa seruetur: quia etiam in corporibus longe plura indiuidua vbique sunt quàm opus sit ad speciem conseruandam. Præterea videmus naturam in singulis speciebus multa non salutis omnino, sed etiam ornamenti gratia facere: quod in coloribus & figuris liniamentisque & disposítione quadam ordinatissima manifeste videmus. Denique finis pręcipuus cuius gratia deus omnia esse vult, haud proprie est vt sint, immo potius vt bene sint, ac bene se habeant. Ac si huius gratia sunt præcipue, qualiacunque sunt: certe eiusdem gratia sunt, quotcunque sunt. Quapropter deus plures in eadem specie mentes non ideo esse voluit, vt species ipsa sit, solumque seruetur: immo vt bene sit, optimeque se habeat. Eiusmodi verò habitus in ornatu quodam vndique vario, & actione variis vbique modis beata consistit. Siquisautem humanarum multitudinem animarum ad speciei salutem conferre conuicerit, id nos ita concedemus: videlicet non ad ipsius animæ speciē proprie, sed ad hominis compositi speciem seruandam talem numerum necessarium esse. Vult enim deus plures homines esse ob id forsitan, quia humana species non seruatur in vno. Nequeunt autem plures homines fieri, nisi plures quoque animæ sint. Neque tam corporum quàm compositorum numero, specieique toti, immo vniuersi ordini, numerus animarum seruire videtur. Neque putet quispiā animas inter se idcirco differre, quia differentia respiciunt corpora. Prius enim in seipsis differentes sunt, quàm differenti ratione respiciant. Hæc illi.

Nos iam ad propositum redeamus. Quod autem subiungit Auerrois, si meus intellectus ac tuus differunt numero, species rerum cognoscendarum similiter different: eruntq; particulares. oportet tamen quæ intelligenda sunt, vniuersalia esse. ita soluitur. Nō tam singularitas est quę aduersatur intelligentię, quàm corporalium accidentium congregatio. Siquidem singuli intellectus & singulæ illorum conceptiones cōmodissimè intelligi possunt. Adde quòd sicut imago coloris in oculo, nō est id quod videtur proprie, sed per quod color ipse videtur: ita species & similitudo rerum in mente, non est id quod proprie intelligitur: sed per quod intelligūtur rationes rerū vniuersales. Neq; est illa species in mente ita singularis, vt impediat vniuersaliū rationū intelligētiā.

Nam si statua quidem quę singularis est & corporea, communem quodammodo figurā hominū nobis refert: quanto magis species illa naturam communē, cum si in mente, quę est ab omnibus corporum passionibus absoluta, ideoque ipsa ab iis libera sit: vnde & refert nobis rem neque certo loco clausam neque tempore? Meminisse verò oportet hunc in speciebus ordinem à plerisque poni, vt in angelis vniuersales sint, tum quo ad referendum, tum quodāmodo quod ad essendum spectat: in brutis vtroque modo particulares. In animis hominum singulares quidē sint in essendo, quia sunt in essentiis penitus singularibus: vniuersales autem in referendo, quia sunt in essentiis à materiæ limite absolutis. Sed hæc ipsi viderint. Afferebat præterea nescio quid de scientia quam tradit magister discipulo: quod ex his quæ aliàs tractauimus de speciebus ingenitis, facilè soluitur. At enim illa Auerrois argumentatio in ipsum facilè retorquetur.

Quippe si docentis scientia non transit in discentem, neque in eo scientiam aliam generat: è duobus alterum sequitur: videlicet quòd ipse idem intellectus qui est in vtroque, vel eundem in vtroque possideat habitum: vel ex habitu quem apud vnum possidet, alterum habitum generet apud alterū in seipso. Neutrum fieri potest apud Auerroem. Nō primū: quia cum sua illa mens quotidie in cunctis hominibus cunctas calleat artes, easque omnes alij alios doceant, perpetua quadam successione docentium & discentium, sequitur vt habitus omnium scientiarum iidem omnino sint semper in mente: quod apertè Auerrois respuit. Non secundum: quia scientia erit qualitas efficax, quod ille negat, atque innumerabiles qualitates specie inter se similes in subiecto eodem simul erunt: quod etiam ille nequaquam admitteret. Quantum enim præter naturę propositum sit fortuita illa superfluarum qualitatum congeries, in substantia præsertim æterna atque diuina, quisquis non viderit: is erit præter naturæ propositū. Postremò ratiocinabatur Auerrois. Si in duabus mentibus singularibus duæ sint species singulares, licebit eas ad vniuersalem reducere: & vtraque mens ad suam quandam reducet: & in vtraque rursus mente vtraque species euadet particularis. Quapropter licebit iterum ad aliā absque fine vtrasque colligere. Vanum id quidem. Primo quia

mentis aſpectus excitatur plane à ſpecie, non tamen terminatur in ſpeciem, vt illam neceſſariò tãquam obiectum inſpiciat: ſed per eam inſpicit rationem rei vniuerſalem: quã profectò vnam atque eandem, & tanquam vnam, duæ mentes per duas ſpecies intuentur: quemadmodum duorum hominum oculi rem eandem vident per duas illius imagines. Non ergo ad hoc intendunt mentes, vt ſpecies ſuas ad alias reducant ſpecies, ſed vt per eas rerũ videant rationes. Quòd ſi quando ad hoc intendat, non tamen in infinitum progredientur: quoniam vniuerſalem vim ſignificationemque hæ ſpecies habent. Itaque non licet eas ſemper tanquam ſingulares in alias reipſa communiores reſoluere: ſed progrediantur abſque fine, ſi placet. Quid enim prohibet mentem, quæ infinitam quodammodo habet virtutem, ſine fine vagari, dummodo infinitum hunc actu curſum peragat nunquam? Similis argumentatio fieri poteſt de notionibus & conceptibus: reſponſio quoque perſimilis. B

Signa quòd non ſit mens vna tantum. *Cap.* 14.

POſtquam reſpondimus Auerrois rationibus, reliquum eſt vt afferamus in medium quę ſint ea ſigna potiſſimũ vel argumenta, quæ diſſuadeant vnum eſſe in cunctis hominibus intellectum. Signum primum. Si mens adeò diuina eſt, vt nullum habeat cõmertium cum materia: vna ſit initio carens & fine, tota vbique ſub luna: non eſt veriſimile eam ita eſſe ſui ipſius ignaram, vt in omnibus penè hominibus præterquàm vno Auerroe ſe numero multiplicé eſſe putauerit ſemper & putet. Ego certe non ſolum intelligo, ſed etiam intelligo me intelligere, atque ſimiliter me ſentire. Vnus ergo idemque ſum qui intelligo, & qui ſentio. Vnus inquam per eſſe vnum. Alioquin non tam diu & à me & ab omnibus affirmaretur eundem eſſe prorſus intelligentem atque ſentientẽ, ſed manifeſtè diſcerneretur intelligens à ſentiente. Quo enim pacto veriſimile eſt ſeparatam, æternam, diuinam mentem, in æternitate omnia cognoſcentẽ, adeo ignorare ſeipſam, vt ſemper & vbique putet ſe non intelligere ſolum, ſed etiam ſentire & mouere atque nutrire: cum talia, ſicut opinatur Auerrois, non efficiat. C

Signum secundum. Mens, veritatis locus est: Veritas, mentis est cibus: quo fit vt se vicissim libenter adsciscant. Cum verò aut nunquã aut vix humana mens Auerroicæ opinionis capax efficiatur, coniicere possumus eam opinionẽ non esse veram. Quinetiam ipse Auerrois non libero suæ mentis iudicio in opinionem huiusmodi incidit, sed quia nesciebat aliter Aristotelis libros in Arabicam linguam peruersos interpretari. Neque sentẽtiam profert, sed vires tẽtat in
D genij. Solum hoc affirmat immortalem esse mentem. Esse verò vnam non affirmat, sed opinatur & dubitat: Inquit autem se conari & fingere, ac posteris occasionem disputandi relinquere. Et si qui eius dubitationi astipulantur, non tã ex animi sententia hoc agunt, quàm quodã ambitionis studio, vt videantur paradoxa posse defendere. Merito Scotus inquit hoc paradoxon tantum abesse vt cuiquam probabile fieri vnquam possit, vt neque etiam Auerroisipse sibimet persuadere potuerit. Multo verò probabilius, immo verius dixisset Auerrois, si vel cum Themistio vnicum intellectũ introduxisset illuminantem, multos verò partim illuminatos, partim illuminantes: vel cum Plotino deum posuisset tanquam solem: huic subdidisset intellectum vnicum vbiq; totum, quasi soli lumen: huic insuper intellectus quampluri mos, quasi lumini radios: his denique animas quoque quãplurimas, quasi radiis oculos. Aut saltẽ si cũ Auicenna multas mentes vni menti quasi formabiles formatori. Hæc enim facilè quiuis capere potest, & exẽplo mox aliquo confirmare. Inuentum verò Auerroicum ab omni mentis capacitate est penitus alienum. Quòd autem mentes humanę inuentum aliquod capere nequeant, vel inde prouenit, quòd super eas illud est, atque diuinum: vel inde, quòd contra eas, & falsum. Inuentum Auerroicum quia de mẽte est, non est super mentẽ. est ergo falsum.

Plotini opinio probatur

Signum tertium. Quotiens vnitatẽ mentis excogitamus, totiens eam odisse solemus: ac mentis numerum cupere, si modò cupimus superuiuere. Neque arbitrandũ est nos per phantasiã numerũ mentis odisse. Nã siquid est in nobis odij aduersus mentẽ: eadem mens vnitatẽ suã odisse potest, quæ & nosse. Nõ est autẽ verisimile, rem diuinã & beatissimam semper sui ipsius naturam aspernari, respuere, & odisse.

Rationes quòd non sit mens vna. Prima, quia septem inde contingunt superflua. Cap. 15.

ARgumentationes autem erunt huiusmodi. Si intellectus agens perfecte seipsum intelligit, quod Auerroici confitentur: vim suam & operationem naturalem continuamque non nescit. Idcirco animaduertit se ceu lucem formare continuè intellectus capacis perspicuitatẽ. Nã si capax aduertit sæpe se illuminari, cur agens non aduertat illuminare, non video, vbi quomodo intellectus capax moueatur à simulacris, non ignorat. Inde & homines singulos se regere: illuminare insuper simulacra hominum. Hinc & simulacra, & quicquid per illa significatur, intelligit: præsertim quia dum descendit ad sensibilia per vim intellectualẽ, transit quoque in illa per vim ipsam intellectiuam. Itaque intelligit illa: nõ quia formetur ab ipsis, sed quia ipsa se formatin ipsa, dum formam suã naturalẽ, seu formas innatas, per lumen suum discretiuum discernit in singula. Si capax modo quodam reflexo per speciem accipit & attingit simulacra vnde quasi accepit: cur non agẽs qui speciem facit, attingat simulacra vnde facit? Attingant autẽ oportet vtrique intellectuali modo: siquidẽ natura sua nihil sunt aliud quã intellectus. Qui verò sic attingit, simulacra sensibilia prospicit. Cum igitur substantia mẽtis in parte hac agente vim habeat ad æterna & temporalia cognoscenda: quid opus est partem illam capacem illi subiungere? An videlicet ad præparandum & exequendum operis huius effectũ? Minime. Agens enim præparat capacem ac phantasiæ simulacra: non econuerso. Neque externa eget materia ad agendũ: cum & interius & ab interioribus valeat operari. Postquam ergo in agẽte est virtus & efficax & præparatrix ad intelligendũ sufficiẽter, supflua est virtutis capacis adiũctio ad mentẽ vnã ex substãtiis duabus cõficiẽdã. Sed esto: iũgatur vis capax a gẽti: hæc rursus agẽti subnexa in ea, tã æterna cognoscet, q̃ tẽporalia. Hæc quoque cognitio in vniuersa mente ex hac parte capace superuacua est, quandoquidem non deest ex altera. Iterum, vis ista capax ab humanis formata simulacris, in nobis temporalia nosci, quæ iam nouerat in agente. Quo fit vt tertia hæc cognitio similiter sit superflua.

Si potentia videndi per ſenſumquendam agentẽ ſibiconiunctum ſingula ſemper videret,fruſtra diceretur oculũ indigere potentia per quam ab exterioribus moueatur atque formetur.Sicut ex verbis Auerrois in his tribus cognitionibus ſuperfluitas naſcitur,ſic & in tribus formationibus oritur.Si formatus eſt intellectus capax agẽte ſemel per eſſentiam,vt ipſe putat: ſuperfluum eſt iterum formari ſemper eodem per hominum cunctorum ſimulacra,ſuperfluũ quoque eodem formari quotidie per ſimulacra virorũ ſapientum atque felicium.Hæc omnia ſuperflua ſequuntur ex dictis Auerrois:quæ nos ab initio recenſuimus. Quod liquido nobis oſtendit opinionem eius tanquam ſuperuacuam eſſe reiiciẽdam.Iactet ergo ſe diuinam mentẽ adinueniſſe: quæ cũ in ſeipſa ſit ſapiens,ſemper delirat in nobis.Et quoniam quotidie innumerabiles homines rem eandem conſiderant,ac ſæpe falluntur: mens illa ſingulis momentis eandem rẽ ſimul millies millieſque conſiderat, & ſæpe decipitur. Si ſuperfluitatem hanc fallaciamque ſibi à phãtaſiis iniectam mens ipſa ſecum animaduertit nunquam : ſemper ſuiipſius eſt inſcia . Cuius contrarium experimur in nobis, quãdo fallacias proprias redarguimus.Si animaduertit quidem, non tamen intentionem ſuam ab iis ambagibus in ſe diuertit,cum poſſit:ſemper eſt mollis,ſemper incontinens. Poteſt autem æterna mens in æternum aciẽ ſuam à temporalium phantaſiarum nugis auertere. Siquidem temporalis anima ſæpe ad tempus à ſenſuũ nugis ſeuocat ſemetipſam: neque poteſt affectus ad ſingula quæ ſunt infra homines, mentem illamin iis erroribus & turbinibus remorari,quæ neque erga humanam quidem naturam ſic afficitur,vt cum ipſa conſpiret ad ſpeciem fabricandam . Quo igitur pacto cum hoc animali ad intimas operationes concurrent, niſi prius ad eſſe congrediatur?Nam & forma ignis externę materiæ calefactionem quidẽ ipſam,quæ externa operatio eſt, communicat, etiam ſi eſſe ſuum nequaquam communicauerit: calere autem per ſe,quæ eſt intima operatio , ſolum poſt eſſe communicat.

A

Secunda.Quia mens ſpecies ſeruat:ac iamdiu plena omnium debet eſſe. Cap. 16.

Quanquam

QVanquã in libro ſuperiore ex Platonis ſententia: nouas menti formas non aduenire probauimus, declinem° tamẽ ad Peripateticos in prę ſentia: ac nouas fieri formas in mente capace per vim mentis agentis præſentibus ſimulacris, concedamus: eo videlicet pacto, vt ſimulacrum efficacem vim ad ſpeciem creandam non adhibeat, ſed occaſionis impulſum: quod aliàs declarauimus. Si tota vis ſpeciei vniuerſalis efficiendæ in agente eſt, ac tota vis ſuſtinendæ eiuſdem eſt in capace virtute: profecto ab iis duobus abſque ſimulacrorum prę ſentia ſpecies conſeruabitur. Verum habeat, ſi videtur, ſimulacrum efficacem vim ad ſpeciem procreandam, dummodo ipſum inſtrumenti gerat vicem: agens verò intellectus, artificis. Propterea intellectus agens tanquam cauſa principalis, in qua tota vis ſequentiũ cauſarum concluditur, poſtquam ſemel ſpeciem impreſſit menti capaci, ſolus ipſe conſeruat. Siquidem ſpecies in mente vigent etiam dum in ocio torpent ſimulacra: quæ cum apud Auerroem tanquam mouentia extrinſeca ſe ad ſpeciẽ habeant, nequeunt aliter illam ſeruare quàm agendo in ipſam, atque mouendo. Mouent autem ſolum vt actu ſunt, nõ habitu. Quod ſi ſpecies in ſenſu interiore manent diu, prodeuntq́ue in actum, etiam ſi non ſeruentur, excitẽturq́ue ab exterioribus ſenſibus: quanto magis ſpecies in mente abſq; ſimulacris? Neque cõparanda mens eſt exterioribus ſenſibus, qui formas abſentibus obiectis amittunt. Nõ enim formas veras, ſed imagines habent: neque ipſi vi ſua conducũt ad imagines fabricandas. Mens autem veras poſſidet rationes, per quas veras rerum ſubſtantias comprehendit: atque ipſamet ſibi eas effingit: Ideoq́ue poteſt eadem virtute ſeruare qua finxit. Atqui ſi ſpecies mentis non aliter à ſimulacris, quàm vmbræ à corporibus dependerent, nihil haberẽt in ſe præſtantius quàm ſimulacra. Ac ſi quid haberent ſublimius, id eſſet munus virtutis agentis, quo etiam ſemotis ſimulacris ſeruabuntur. Quòd autem non ſicut vmbræ pendeant à ſimulacris, documẽto nobis eſſe poteſt quòd vſque adeo radicitus inſiguntur, vt imprimant habitũ penitus indelebilem. Neque dicendum eſt ſpecies ideo exiguã eſſentiam habere, quia vniuerſalia referant: propterea q́ue egere ſemper ſimulacrorum fundamento, tanquam cõſeruatore.

Primum quidē, quia & plura & meliora & magis ad essentiam rerum pertinentia continent referuntque, quàm simulacra: ideoque nobiliorem ampliorēmque essentiam possident. Quod siquis conceptus generis propter confusionem dispersionemque, & conceptus singularium propter vmbratilem illorum naturam paruifaciat: facile concedemus. Species autem honorari iubet Plato. In iis enim consistit mundi perfectio, & scientiæ veritas. Ad has ita singula referūtur, vt partes ad totum, atque etiam vt ad finem. Deinde etiā si propter vniuersalem conditionē indigent conseruante, seruabit eas, potissimum intellectus agens, à quo naturam huiusmodi nanciscuntur. Neque etiam ob hoc egere simulacris hanc speciem arbitramur, quia naturam significet in singulis existentem: quoniam si naturam tanquam absolutam significat, rē potius respicit seorsum à singulis quàm in singulis: rationem scilicet æternam rerum quæ secundum essentiā in mente diuina est, secundum verò participationes medias in sequentibus deum mentibus, secūdum postremā quandam similitudinem in corporibus: quorū imaginibus commonitus intellectus diuinitatis absolutè particeps, statim aut concipit speciem, aut in se & supra agnoscit ideam. Sic per ipsam speciei conditionem constat non esse eā quasi vmbram simulacri prorsus instabilem, sed excellentē quandam stabilemque naturā. Idē quoque ex natura mentis possumus coniectari. Profecto cera & puluis seruat ad tempus rerum figuras, rebus ipsis etiam abeuntibus. Cerebrū quoque, vt opinatur Auerrois, custodit absentibus corporib⁹ simulacra corporum. Mens autem ipsa, quæ propter æternitatem stabilis est, & super motum: non suscipiet pro natura sua species stabiliter, & super motum. Non seruabit ęternè, quæ gremio suscepit eterno? Nónne intellectus est virtus sensu superior, atque ideo magis vnita? Ac propterea solus ipse facere potest omnia, quæ plures sensuum vires efficiūt. Quo circa sicut phantasia sola cognoscit quæcunque sensus quinque percipiunt, quia ipsa est illis superior: sic intellectus solus & iudicabit species, & seruabit. Licet forte iudicare simulacra & seruare, non sit solius phantasiæ officium, vt putat Auerrois: sed iudicare phantasiæ, seruare memoriæ. Distinguuntur duo hæc officia in iis inferioribus viribus: con-

iungantur oportet in mẽte: quanquã apud Platonicos phãtasia quoque memoriam propriã possidet: quod testatur & habitus cofirmatio, & libera discursio ab imaginibus in imagines, quę sæpe fit reminiscentię studio. Mentẽ verò esse memorem, illud significat, quòd cum primum aliqua didicimus, difficillime nos & vix ad illa cõferimus: post verò diuturnum cogitationis vsum promptissimè pro arbitrio nostro quæ olim accepimus meditamur, quasi nostra iam facta fuerint, atque alta mente reposta. Postquam semel in seipsa mens nostra formauit diffinitiones quasdã figurarũ, seu numerorũ, seu virtutũ siue angelorũ sibi inuicẽ ordine succedẽtes, vix primã recolere potest quin secundã resumat & tertiã: & sicut à principio cũ eas inueniret, vix eas contexuit: ita quando rursus incidit in inuẽtas, vix dissoluit quæ antea cõtexuerat: ac multo facilius citiusq; ab aliis speciebus recurrit in alias, q̃ soleat sensus interior quando & ipse ad priora simulacra gradatim reminiscendo reuertitur. Quod aperte declarat inesse menti memoriam multo magis quàm sensui. Quod siquis dixerit mentẽ non tã formatas species diffinitionesq; seruasse, quàm habitũ reformandi: respondebimus vim mentis eandẽ quæ & contrahit & seruat habitũ, in eius naturam iam penè conuersum cõtrahere in intima sua speciem, atque seruare. Siquidem habitus fundatur in speciebus: species in habitu concluduntur. Proinde si habitus fit à mẽte, specie atque actu: ab aliquo istorum stabilitatem suã nanciscitur. Non à mẽte solũ: alioqui mẽs posset actui quoque stabilitatẽ tribuere. Non ab actu: quia nullã habet stabilitatẽ. A specie igitur. Ergo species stabilis permanet. Neque opus est, quotiens eandẽ rem speculamur, totiens nouas ab agente formas recipere, prioribus subito vanescentibus. Si modò tam agens virtus illa pro natura sua tradidit formas, q̃ virtus capax pro natura sua susceptit easdẽ, atque vtriusque natura mobilitatẽ corporũ antecedit: meritò imagines nouæ semper recreãtur in visu, quæ à lumine creãtur externo. In mẽte autẽ species permanent, eodẽ ipso interno lumine vnde primo effluxerant, firmiter illustrante: præsertim quia si ex eo creatæ sunt, quòd rei cognoscendæ natura secreta est à mutabilis materię passionibus, iure permanent immobiliter: vt à substantia mentis omnino stabili fiat tran-

A

ſtus in accidens prorſus inſtabile: in ipſam ſcilicet intelligentiam per accidens aliquod ſtabile ſcilicet ſpeciem. Vbi ſubſtantia ſemper eſt actu, ſpecies ex actu migrat in habitū: atque contra: intelligentia ab eſſe in non eſſe, atque econuerſo: neque ſimulacris indigent ſpecies vt ſeruētur: quippe cū ipſi etiam phantaſmatum aſſertores confiteantur, quanuis ad intelligendas communes corporum naturas ſimulacris propriis egeamus, tamen ad formarum intuitum diuinarū non ſimulacris vnquam propriis nos vti ſolere, ſed naturis potius ipſis, quas ſimulacra comitantur. Hinc apparet ipſas diuinorum notiones in mente non à ſimulacris, quæ per accidens confluunt, ſed ab ipſa mente per antecedentem ſpeculationem iam prēparata ſeruari. Præterea quando Platonicam illam ſeriem connectimus idearum in qua ſpeciebus vltimis medias quaſdam ſpecies anteponimus, atque illis iterum genera ſubalterna, donec multis gradibus ad latiſſima genera conſcendamus, tranſcendamus quoque genera, ad eam naturam peruenientes quæ cuncta genera extrinſecus ambit: tunc ſanè ſimulacra dimittere cogimur citra ſpecies vltimas peruagantia, quæ aſcenſum illum nequeunt comitari: niſi forſitan vniuerſalem ordinem in ſingulis quoque ſimulacris diſponamus. Quod quidem fieri revera nequit: ac ſi fingatur, non à phantaſia fingitur, ſed à mēte: quæ interdum notiones innouat vltra notiones, etiam ſi libuerit in immenſum: ſimulacra verò non innouat. Neque prohibet quicquam, quod ad mentis naturam pertinent, in æuum ita nudam ſimulacris peruolare. Interdum verò quouſque anguſtiora quæque reſoluit in ampliora, couſque ſimulacra pingit in phantaſia ſpeciebus quodammodo reſpondentia: vbi ſpecies ipſæ quia præcedunt, faciunt & conſeruāt ſimulacra: non econuerſo. Phantaſiam verò formari à mente, ex eo perſpicimus, quòd ſubitò in ipſa lucēt quamplurima, qualia nunquam aut acceperat à ſenſibus, aut excogitauerat. Diuidit quoque imagines & cōponit non ſine aliqua ratione, & in infinitum fingendo progreditur. Immo à mēte fingitur abſque fine. Habitus quoque ac mores accipit rationales. Ac multo magis ipſa formatur à mente quam formet: quoniam ſi ipſa mentem format quandoque, id non aliter efficit, quàm à ſenſibus & à mentis virtute pulſata. Ne-

que potest formas innumerabiles tradere. Mens autem ex se phantasiam format, & absque fine. Et potest nonnunquã siue affectu suo siue diuino quodam afflatu ad intelligendũ absque simulacris prouocari. Quod significat (quod sæpe iã quæsiuimus) mentem etiam dum adest corpori, sine corporis auxilio operari nonnunquam: ideoque cum ab eo discesserit, per seipsam multo magis operaturam. Si adduxerint hic Auerroici, eos solere magis intelligentia memoriáque valere, qui corpoream complexionem talẽ habeant aut talem, propterea quòd notiones intellectuales à sensibus continue pendeant: Peripateticè respondere poterimus, certam corporis affectionem sensui per se seruire, menti verò per accidens: quia mens dum coniuncta est corpori, per imagines sensuum quodammodo species fabricat suas: & quotiens in suas species quas fecit seruauitque, ipsa se voluit, totiens penè in imagines se reuoluit. Reuoluit inquam tum ob quandam inter illas germanitatem, tum ob consuetudinẽ ex conditione animæ corpori copulatæ conceptã. Et quanuis in qualibet complexione quotidie acumen & memoriã videamus, vnde fateri cogimur hæc ab altiori principio proficisci: sit tamen (si placet) ficca natura magis memor: dummodo siccitas causa per se memoriæ sit in sensu, in mente verò per accidens: non solum quia sensus ipsius memoria menti quodammodo seruit, vt diximus: sed etiam quia spirituum siccitas ad intima se contrahendo non impedit animã quin se colligat. quo fit vt propter vehementẽ assiduãque cogitationem & acuatur intellectus, & memoria confirmetur. Humiditas verò contra. Ad hæc autem Platonici dicerent, quot stellæ sunt, totidem esse exercitus animarum: talemque naturam inde denominationemque habere. Hinc ergo dici Saturnias animas, Iouiasq;, & Martias, & Solares: aliasque similiter: variasque dotes circa acumen, memoriã, voluntatem, mores, artes, fortunas, ab illis habere: omnes tamen provt inde sunt, bonas: quanuis hic ex multiplici causarum concursu sæpe degenerent. Præterea à suorum siderum animabus numinibusque eas tã ducentibus quàm sequentibus spiritales dotes accipere, à stellarum verò corporibus corporeas atque sensuales. Quam ob rem si Saturnię Mercurialésve hominũ animæ inde ad acumen atque me-

moriam adminicula nanciſcuntur, ſimul etiam ab earundē ſtellarum corporibus certam ſortiuntur affectionem in corpore, quæ intellectualis muneris non cauſa ſit, ſed comes. Denique ex voluntatis vehementia attentioneque aſſidua magnam acuminis memoriæque excellentiam plurimum prouenire. Sed non licet hic vlterius digredi. Quorſum hęc? Vt Auerroicam illam opinionem reiiciamus, quę abſolutas diuinæ mentis ſpecies à corporeis temporalis phantaſiæ ſimulacris tanquam à corporibus vmbras aſſerit dependere: Platoni verò fidem adhibeamus dicenti, quòd ſemel revera fuerit intellectum, obliuioni omnino mandari nunquā poſſe: ſed rei comprehenſæ ſpecie in æterna mente verti in habitum ſempiternum. Neque enim contrarium quicquā habet cuius acceſſu interimatur: neque vnquam à ſubiecto deferitur. Quamobrem ſi mens Auerroica ſingulis momentis per cunctorum hominum phantaſias haurire omnium ſpecies affirmetur, vnde res omnes intelligat, atque ſi hæc mēs initio caret, ſemper quoque fuit hominum generatio: certe ante nos mille annorū millibus ſpecies omnes habituſque non ſemel ſed innumerabiliter habuit: immo nunquam primas ſpecies accepit ab aliquo, ſi nunquam fuit homo primus intelligens. Vnde per nullius ſimulacra ſpecies finxit: ſed ſpecies eius ſunt ipſamet, vel ex ipſa eius eſſentia. Quòd Ariſtoteles non conceſſerit: ſed acceperit ſpecies, ac iamdiu omnes. Seruat autē quæcunque accipit immobiliter, ſi modò intellectualiter accipit id ſecundum rationē intellectualem. Si olim adepta eſt ſingula infinite, plenaque eſt omniū & exuberat: quid quærit vltra? Quid ſibi vult ſuperflua hæc formarum acceptio ſine fine? Quapropter nihil mens nunc in nobis intelligit, cum nihil à nobis accipiat. Forſitan reſpondebit Auerrois, mentem ſi rei alicuius olim, puta auri ſpeciem poſſidet, non aliam rurſus auri ſpeciē nuper à phantaſia mea de auro cogitante recipere, ſed ipſam auri ſpeciē, quę quantum ad me attinet, quodammodo dormiebat in mente, propter auri ſimulacrum expergiſci: atque ita mentem nuper phantaſiam meam reſpicere, & in me intelligere aurum, ſicut ante intelligebat in alio. Si ita ſit: nullas amplius ſpecies agens intellectus procreat: nullas excipit capax: quandoquidem iamdiu omnes ſpecies poſſidentur. Quod

quidē repugnat Auerroi atque ſuis volentibus nouas quotidie ſpecies procreari & ſuſcipi. Repugnat Peripateticæ ſectæ aſſeueranti intellectum eſſe velut tabellam cui nihil ſit inſcriptum: quod quidem Auerrois, dum opinionē ſuā tuebitur, non poterit vnquam niſi inepte ridiculeque exponere. Nobis autem non diſſonat, qui duce Platone exiſtimamus intellectum non cogi totiens nouam hominis ſpeciem generare, quotiens varia variorum hominum ſimulacra nobis obiicit phantaſia, ſed conceptam antea ſpeciem potius expergiſci: quemadmodum neque Socratis phantaſia totiens nouum Alcibiadis ſimulacrum in ſe fingit, quotiens eodem die obuium proſpicit Alcibiadem, ſed latens intrinſecus producit in actum. Atque idem oculi facerent, ſi imagines cuſtodirent. A

Tertia, quia quotiens duo rem eandem intelligunt, totiens omnino ſequuntur abſurda. Cap. 17.

PHantaſia mea nunc aurum cogitat, tua quoque aurum: mens Auerroica noſtris ſimulacris excitata parturit in ſe auri ſpeciem: & intelligit aurum: percunctamur, vtrū nunc in vtriſque noſtrum vnam capiat ſpeciē, vnamque intelligentiam auri, an ſpecies geminas, geminaſque intelligentias: an potius ſpeciem vnam, intelligentiaſque geminas: vel econuerſo. Nonnulli Auerrois ſectatores primam diuiſionis huius partem ſequuntur: qui ratione huiuſmodi confutantur: quia ſi noſtrorum ſimulacrorū diuerſitas nullam facit in mente diuerſitatem, temere nimium garriunt quotiens aſſeuerant mentem illam in me & in te, immo me & te aurum intelligere. Sola enim mens ipſa intelliget, & in ſeipſa, cogitantibus nobis: quemadmodum & ipſe Xenocrates in ſeipſo communem vnam & vtriſque conſonam inſpicit veritatem, dum Speuſippum audit & Polemonem in diſputando per inſcitiam verbis diſſentientes. Præterea ſi mēs eodem actu intelligendi apud me nunc & apud te intelligit aurum: cum primum apud te deſinit ipſum conſiderare, apud me conſiderare pariter deſinit: cuius contrarium experimur. Negabunt autem id ſequi: & ſicut apud nos eadem anima brachium manumque viuificat, atque amputa- B

ta manu desinit hanc viuificare, non illud: ita inquient mentem cessantem in tuo simulacro, in meo solum considerare quæ ante & in tuo simul considerabat. Exemplū non conuenit: quoniam actus viuificandi transit in corpus, actus intelligendi in simulacra non descendit. Ideoque in duobus membris diuersi recipiuntur actus viuificandi: actus intelligendi in mente vna permanet vnus. Sed exemplum hoc conuenit potius: vt sicut anima per vnam vitam in membris viuebat ambobus, postea per eandem viuit in vno: ita mens per eandem intelligentiam apud vtrunque considerabat, per quam postea solum in altero speculatur. Sed neque exemplum hoc satis congruit: quoniam hic & illic viuere recte possumus dicere: intelligere autem hic aut illic minime. Siquidem per segregationē loci intelligentia consummatur. Verùm nunquid si oculus eodem aspectu partē exiguæ superficiei dextram simul videt atque siniſtram, ac interim subtracta siniſtra idem ipse aspectus omnino qui perspiciebat vtranque, remanet integer, sed solum terminatur in alteram, qui prius in vtrāque terminabatur; ita idem actus intelligendi respicit simulacrum vnum, qui duo respexerat? Hoc quoque dissonat. Primum, quia non proprie oculus videre desinit dū visio manet integra: sed videri desinit potius pars illa superficiei quę frangitur. Sed desinat videre: quid tum? Nónne aspectus ad locales partes superficiei dirigitur? Vt non ab re dici possit tam hic videre quàm ibi. ideoque forte hic desinet quandoque videre, non ibi. Intelligentia verò non ad localia simulacra se protendit: sed ad rationem locis exclusam. Quocirca non recte dicitur hic perire, non ibi: sed aut nusquam, aut tota vbique desinere. Quid ergo sibi vult temeraria illa responsio, intelligentia modo duo simulacra respicit, modo vnum? Non quòd simulacra ipsa contueatur. altius enim suspicit. Non quòd ipsa moueat: quia non ex hoc proprie mens intelligit, sed afficit ita simulacra, vt ipsa vel intelligant, vel ad intelligendum aliud moueant. An forte quòd mens à simulacris moueatur? Si ita est: cur non dicebant mentem à simulacris respici potius quàm respicere? Sed dixerint, Quid significat ab iis illam respici? Nū mentis species à simulacris velut vmbras à corporibus dependere? Sanè hoc ipsum est magnificum Auer-

rois ipsius inuentum. Neque magis ex hoc sequitur mentē in simulacris intelligere, quàm aut auditum in voce audire, aut olfactum olfacere in odore. Immo quia dimissis simulacris auri, ipsa per se in absoluta atque vna auri specie vni & absolutæ se insinuat auri rationi, fit vt seorsum à nobis in ipsa idea per actum vnicum intelligat: ac siquando desinit intelligere, semel ibi tota simul desinat & momento. Qui autem species esse simulacrorum vmbras affirmant, atque deinde speciem vnam à duobus simulacris emanare, ac rursus speciem eandem quæ à tuo simulacro prius solo manabat, postea etiam à meo tam tecum quàm te desinente manare: similiter delirant atque illi qui affirmauerint aut vnam à duobus corporibus vmbrā effluere, aut vnius corporis vmbram eo sublato ab altero corpore conseruari. Accedit ad hæc, quòd in eodem momento vna illa mens per vnam speciem vnamque intelligentiam de vno auro ita secū ipsa dissentit, quòd in me iudicat aurum spernendum esse, asperna-turque: in te verò precioſum iudicat, & affectat. Tanta in iudiciis & affectib⁹ repugnātia nequit ab vno principio, quatenus vnum est, prouenire. In intelligentia specieque nulla esse diuersitas dicitur: nunquid ergo à simulacrorum diuersitate? Minime. Nempe simulacrorū diuersitas prius in speciebus intelligentiisque, quàm in iudiciis & affectibus differentiam pareret. Quis ergo cōsenserit actū vnum intelligendi ad contraria iudicia terminari, & repugnātes affectus quasi idem motus possit ad contrarios terminos proficisci. Confugiunt ad hoc eorum nonnulli, vt duo illa simulacra vnam quidem in mente speciem faciant. Quæ species prout à duobus simulacris proficiscitur, duas parit intelligentias: quæ ad discrepantes terminos diriguntur. Sed quis dixerit simulacrorum varietatē, quæ speciebus propinquior est quàm intelligentiis, species quidem differentes non facere, intelligentias verò diuersas? Præterea si species illa datur menti cum diuersis respectibus ad diuersa: non datur penitus absoluta, neque sufficiens est intelligendi principium. Sin non datur vt differens: differentiam in intelligentiis nō parturiet. Adde quòd nullus sanæ mentis vnquam concesserit vnam agendi siue cognoscendi virtutem per vnam formam in tempore vno circa obiectū idē operationes plures C

edere numero differentes: sicut oculus vnus circa rem eandem per vnicam imagem non edit duas eodem in tempore visiones. vna enim sufficit: & differentes esse nequeunt, nisi à principiis differentibus. Vnde si omnes homines eodem ad videndum oculo vterentur per vnam solis imaginem, eodem tempore vnam tantum visionem solis haberent. Similiter intellectus vnus per vnam auri speciem momẽto vno vnam auri habet intelligentiam. Neque differentiam huc afferunt duo illa simulacra quæ tanquã præparationes quędam, immo incitamenta ad actum pręcurrunt intelligendi: non incurrunt vnquam: neque concurrunt etiã necessario. Similis quoque sensuum actibus ad phantasiam est comparatio. Neque defuturos arbitror inter illos, qui asserere audeant à geminis simulacris auri geminas menti tribui species, vnum tamen inde intelligendi actum circa ipsum aurum prouenire. Quod ideo reprobabimus: quia si simulacrorum diuersitas vim tantam habet, vt in speciebus diuersitatem pariat, cum tamen simulacrum atque species diuersis substantiis insint: quanto magis differentia specierum differentiam intelligentiarum pariet, præsertim cum in eadem sint mentis essentia? Nónne etiam apud istos motus vnus ad contrarios terminos agit, quando per vnam intelligentiam contraria iudicia fiunt, affectusque contrarij? Quidetiam respõsuri sunt nobis interrogantibus, nunquid alterutra species seorsum ab altera sumpta possit intelligentiam procreare, necne? Si nequit, non poterit mens rẽ aliquam cernere nisi eius rei in mente imagines geminentur: quarum semper vna superflua erit. Si autem potest, vtraque suum actum exequitur: fiuntque gemini à geminis speA ciebus actus intelligendi. Recentiores autẽ Auerroici confitentur à duobus simulacris auri duasin mente eadem formas simul intelligibiles fieri, quas duæ sequantur intelligentiæ. Principiò liceret in eos cauillari eadem illa ratione qua in nos cauillabatur Auerrois, vt alias declarauimus. Certum est eas formas inter se secundum speciẽ non differre: quandoquidem conducunt ad vnam auri speciem cognoscendã: suntque ambæ intellectuales auri similitudines. Quod si in specie eadem solo differunt numero, in formam aliam cõmuniorem resolui possunt: immo & debent: si modò per e-

as intelligentia sit implenda. Resoluantur ergo. Quærimus vtrum communior illa forma vna sit omnino in mente apud me & apud te: an differens. Si eadē: per hanc ipsam solam explebitur intellectio : poteramusque ab initio vnam ponere. Sin differens: similiter resoluemus. Et quia in infinitum digrederemur, præstat vnā in principio ponere. Sed cauillationes huiusmodi dimittamus. Si formæ intelligibiles vsque adeò sequantur simulacra, vt fiant seruenturque ab eis, ac per eadem numerentur: fieri non potest quin eodem modo singulares sint ad simulacrorum singularitatem, quo & colorum imagines ad singularitatem colorum singulares existunt. Quod enim sic adstringitur: singularibus necessario conditionibus eorum subiicitur.

Neque conferet illis mens, vt absolutæ fiant. Sicut enim non sufficienter illis præstat initium temporale, ac perseuerantiam temporalem: ita non sufficienter præstabit illis absolutam æternæ naturæ communitatem. Et cum communitas absolutioque in vnitate consistat, mens quę vnitatē formis largiri non potest, cum ipsa sit vna, sed in hoc vincitur à simulacris: communitatem quoque non largietur: sed à simulacris singularitatem præstantibus superabitur. Proinde ab Auerrois sectatoribus scisitabimur de duabus hisce formis intelligibilibus auri, nunquid per seipsas differant, an per subiectum in quo sunt: an per aliquod aduentitium: Non per se ipsas: alioquin secundum eorum doctrinam specie discreparent. Non per subiectum: quod vnicum esse dicunt. Non per aliquid peregrinum.

Nihil enim aliud hoc esse posset quàm respectus aliquis vel ad auri simulacra, vel ad ipsam auri rationem. Profectò per aspectum pertinentem ad auri rationem non discrepabunt: cum ipsa sit vna. Sed neque etiam per aspectum ad auri ipsius simulacra.

Eatenus enim forma intelligentiæ confert, quatenus ab aspectu simulacrorum absoluitur, respicitque naturam oppositam omnino simulacris, à loco videlicet ac tempore liberam. Ergo cum primum forma intellectualis effecta est, simulacra respicere desinit. Sed esto: respiciant formæ illæ simulacra, ac differant per aspectum: certe non per aspectum simplicem discrepant, sed per duplicem.

Duo igitur erunt in formis duabus aſpectus: non quidem ſpecie differentes: quandoquidem ad vnam ſpecie naturam auri referuntur. Differentes itaque numero. Cæterum per quid differunt? non per ſeipſos: alioqui ſpecie diſcrepabunt. Non per ſubiectum: in vna enim mente locantur. Neque dici debent ideo geminari, quia in formis geminis collocentur. Nam conceſſum eſt ipſas formas per aſpectus potius geminari, non per aduentitium aliquid: quoniam rurſus aſpectibus aſpectus adiũgeremus, ac de poſterioribus ſicut de prioribus litigaremus. Iterum percontamur, vtrum reſpectus illi in formis fundentur: an in ſimulacris. Si in ſimulacris: formæ à ſimulacris reſpicientur potius quàm reſpiciant. Si in formis, neque ad formarum ipſarum eſſentiã pertinent, quia differentiam formis ſecundum ſpeciem adhibe rent: eſſentiis formarum adiiciuntur extrinſecus à ſimulacris formarum ipſarum fabricatoribus. Vnde ſequitur formas huiuſmodi eſſe particulares propter ipſam corporaliũ ſingularitatem ſimulacrorum. Quod quantum intelligentiæ puritatem impediat, nemo ſanæ mentis ignorat. Profecto cum ſimulacra ad formas tanquam agentia extrinſeca comparentur, nunquam efficient vt forma altera diſtinguatur ab altera, niſi ſingula ſimulacra formis ſingulis inde manantibus certas quaſdã conditiones adhibeant: quibus formæ inter ſe non aliter diſcrepabunt quàm ſimulacra inuicem. Itaque abſolutæ formæ non erunt dum à ſimulacrorum anguſtiis contrahentur. Omnino autem incredibile eſt duas abſolutas formas in eodem ſubiecto reperiri ſolo numero differentes. Eo enim ipſo quòd neque ratione eſſentiaque different, neque ſubiecto, cogentur per qualitates peregrinas inuicem diſcrepare: vnde abſolutæ non erunt. In duobus autem ſubiectis eſſe illas nõ eſt impoſſibile. Simul enim inuicem diſtinguẽtur, quia diſtincta ſubiecta formabunt: & abſolutæ manebunt, quoniam à ſubiectis non formabuntur: quando ſubiecta ſimplicia fuerint, & ab infectionibus aliena.

Quarta, quia vel eadem eſſet multorum hominum ſcientia, vel ſuperfluæ qualitates in eodem.

Cap. 18.

QValitates omnes tam à termino quàm à conseruante externo absolutæ, quæ sunt vnum specie, si in idem concurrãt subiectum, fiunt etiam numero vnum. Nã quæ specie conueniunt, conueniunt & forma. Quòd si materia insuper conueniant propter subiectum: omnino sunt vnum. Quapropter in vna vini gutta dulcedo est simul atque rubedo: quæ duæ qualitates diuersæ sunt specie: non tamen duæ dulcedines ibidem sunt, duæve rubedines. Etsi imagines splendoresque qualitatum possunt in eodem esse secundum numerum solummodo differentes, ceu duorum ouorum imagines in oculo & phantasia, ac etiam duarum candelarum lumina duo in eodem aëre, quoniam ab externis dependent assidue, & idcirco sequuntur eorum numerũ quorum vel imagines sunt vel lumina, potius quàm subiecti: illæ tamen qualitates quę & verę sunt, & sequuntur subiecti naturam potius quam obiecti: vnum fiunt numero per subiectum, si vnum specie fuerint. Absoluta autem mentis forma ideo vera stabilisque eius qualitas est, quia non est peregrinorum accidentiũ imago vel vmbra vel splendor, sed intellectualis substantiæ partus substantiarũ exemplar, regula veritatis ab intellectu dependens, nõ ab externis. Qua propter non sunt in mente formæ quædam absolutæ solo inter se numero differentes. Vbi contemnere licet Auerroicam illam obiectionem. Simulacrum, inquiunt, formæ intelligibilis principium est: quot igitur occurrunt simulacra simul, totidem formæ fiunt: quia simulacrorum quodlibet seorsum ab alio formam potest sufficienter efficere. Nos autem dicimus simulacrum neque esse formæ principium, si modo forma vniuersalis sit: neque mẽtis capacis pręparationem ad formam suscipiendã: ne prius sit in mente quàm forma: aut certe menti similius: sed esse occasionem quandam ad virtutis agentis incitamentum. Quod etiam efficiet nunquam, si in alia substantia ipsum sit in alia forma. Si verò in eadem sint anima, vt certe sunt: quomodo occasionem prębeat, aliàs declarauimus. Quando igitur simulacrũ auri sese offert: si mens formam auri antea nunquam acceperat, ipsa producit, nacta occasionem ad producendum. Si autem produxerit aliàs, eamque possidet: non producit aliã: sed quam possidet, educit in actum. Vnam verò duntaxat

producit atque educit, etiam si mille simulacra speciei eiusdem occurrerint. An non animaduertis quando mille homines oculis conspicis in theatro, & horum mille postea mille simulacra recolis simul in phantasia, interim mentem ita considerare: Pulchrum animal homo est, societate gaudēs, solers religiosum? Hic mens de nullo illorum mille ita pronunciat, sed de vna cunctorum communi natura: de communi animalis rationalis substantia: de communi definitione societatis ipsius solertiæ atque religionis. Vnum hoc iudicium de vna cunctorum hominum seu virtutum natura non potest mens commodius quàm per vnam speciem & similitudinem facere. Vbi apparet eam à mille hominum simulacris vnam duntaxat hominis speciem hausisse: idemque facere semper in omnibus speciei eiusdem simulacris quantumcunque diuersis: ab omnibus equorum simulacris vnà collectis equinam speciem vnam: non autem à simulacris equi & hominis speciem vnam, sed duas. Hoc in seipso quisquis vnquam aliquid intelligit, experitur. Quapropter quando centum homines equum vident, centum colligunt in phantasiis equi simulacra. Mens verò si est vna cunctorū, à centum simulacris prouocata, vnam equi concipit speciē, quam vna sequitur intellectio. Vnus igitur erit apud centum homines actus intelligendi. Quonam igitur pacto cessante vna intelligere, alius quoque non cessat? Possunt certe innumerabiles homines sibi deinceps succedentes per ipsam eandem intellectionem in se manentem intelligere.

Hinc sequetur, vt ipsa temporalium speculatio sit æterna. Quod Auerrois non concedet. Non considerat mens equū provt hic equus est: sed simpliciter secundum speciei equinę rationem vniuersalem. Huiusmodi ratio vna est, etiā si mille sint equorum mille simulacra in anima hominis vna vel pluribus. Vna igitur erit equi confideratio in multis hominibus. Ex tali consideratione, scientiæ habitus in mente contrahitur. In mente inquam, non in phantasia: si modo actus intelligendi dispositio est ad habitum: & vbi fit dispositio, ibi fit forma, id est habitus: habitus vniuersalis ex vniuersalibus actibus atque formis. In phantasia verò, cum secundum Auerroem sit alligata materiæ, neque actus neque habitus secundum modum vniuersalem esse potest. Vnus er-

A

go erit & idem scientię habitus, quantum ad speciei equinę spectat considerationem, in centum hominibus. Immo verò cum intellectus species habitusque conseruet: quilibet nostrum qui per hunc intellectum intelligit, & cuius intelligentia est ea ipsa mentis intelligentia, iam nunc intelligit omnia quæcunque præsentes homines & præteriti cognouerunt. Respondebit Auerrois, nos eatenus per intellectum intelligere, quatenus per simulacra nostra nobis coniungitur. Et quoniam non sunt eadem apud omnes simulacra, neque affecta similiter: ideo non quicquid vnus cognoscit, agnoscit & alius. Respõsio talis non satisfacit. Quando enim mens iam actu speciebus est prædita, potest per seipsam meditari: quod Aristoteles confitetur. Vnde videmus nos illud cuius iam scientiam accepimus, posse quotiens volumus meditari, neque simulacrorum absentia impediri. Si enim simulacra viæ sunt ad species, quid opus est via postquam ad terminum peruenerimus? Quid præparatione, postquã sumus habitum consecuti? Qui tantum abest vt simulacris tanquam conseruatoribus egeat, vt neque etiam propriis actibus, à quibus proxime proprieque creatus est, indigere vlterius quando confirmatus iam est, videatur.

Profecto quando iam adultus est, tanquam natura seipso viget in intellectu: neque dependet vlterius à simulacris: neque ipsa respicit. Si ita est: habitus qui in Auerroico sunt intellectu, iam consummati æque sunt omnium: quandoquidem iam absoluti sunt: neque huc magis quam illuc extra prospiciunt. Igitur æque doctus erat & æque bonus Aristippus ac Socrates. Et quando discit grammaticam Plato, simul & Xenophon: habitum grammaticæ simillimum sibi comparant ambo.

Grammaticæ simillimæ vna est ratio: itaque habitus eius vbicunque sint, eiusdem sunt specici. Habitus talis in Platone, atque habitus similis in Xenophonte, specie vnum sunt. Quod si intellectus in quo velut subiecto sunt, est vnus: vnum quoque sunt numero.

Nam siqua formarum ex vnitate subiecti fit vna, maxime talis est habitus, qui transit in subiecti naturam: immo subiecti naturam vsurpat ipse sibi: certam præstat procliuitatem: & subiectum mouet immobilis.

Si ergo mens vna sit: aut eadem omnino erit duorum scientia, duo cogitabunt vnà, vnà desinent cogitare: aut qualitates innumerabiles specie eiusdem in subiecto eodem erunt: & quotidie intellectus qualitates accipiet plurimas specie easdem cum iis quas habet, ac si mel singulis momentis allam atque aliam dulcedinem acciperet suæ similimam. Atque in hoc Auerrois opinio sibi plurimũ aduersabitur, qui in libris de anima ter replicauit (iuxta sententiam Aristotelis) omne subiectum nudum esse oportere specie qualitatis illius quam sit susceptarum. Proinde cum in nobis experiamur mentem non solum intelligere, sed etiam quòd intelligat animaduertere, atque ex alia intelligentia in aliam sæpe similem, sæpe etiam oppositã facillime se momento transferre, plurimaque in vnum connectere: quinetiã multas eius qui cum disputat notiones, per vnius expressionem aucupari: & quod maius est, sæpe quod alius habet in phantasia, quæ remotior est à mente, percipere: proculdubio mirũ est Auerroicam mentem vnicam, æternam, indiuisibilem, vniformem, cunctis æque præsentem, quod apud te intelligit, nunquam, apud me quod in te intelligat, illud animaduertere. Nunquã quod in alio intuetur, cum his quę contuetur in alio copulare: nunquam quod apud alium cogitat, apud alium per seipsam augurari. Neque ad simulacrorum diuersitatem licet confugere: quæ & extra & infra mentem sunt: ac multa certo intelliguntur tempore simulacro tũc neque intercedente, neque per se & proprie comitante.

B

Quinta quia contradictoria in eodem essent.
Cap. 19.

C Contradictoria tanto magis sibi inuicem aduersantur quàm contraria, quanto maior repugnantia est inter esse atque non esse, quàm inter esse tale atque tale. Quapropter si contraria in idem subiectũ congredi nequeunt, multo minus possunt contradictoria. Quo fit vt quisque nostrum in seipso experiatur mentem suam nunquam rem aliquam affirmare omnino simul atque negare: velle prorsus ac nolle: etiam si plura rei ipsius simulacra in eius sint phantasia. Neque nunc afferant in medium Auerroici,

roici, quòd imago albedinis simul atque nigredinis in oculo sunt & phantasia, ac rursus earum species simul in mente, in qua etiam sint cognitiones simul contrariorum: quoniam huiusmodi formæ quæ extra animam contrariæ sunt, ideo in anima non sunt contrariæ, quia naturam suam amittunt. In qualitatem enim quandam animæ transferuntur, & illam quidem quodammodo imaginariam. Sed assentiri & non assentiri, velle ac nolle, vim contradictoriam retinent: quia & essentialia potius quàm imaginaria sunt: & circa eundem animæ actum siue affectum esse significant, atque non esse. Igitur quamuis albedinis nigredinisque species in visu non sint contrariæ: tamen visio alicuius obiecti tanquã albi, ac visio simul eiusdem tanquam nigri, sic aduersantur inuicem, vt concurrere nequeant: quanuis visiones ipsæ à diuersis speciebus obiectisque continuè pendeant: sic in mente affirmatio diuinæ trinitatis simul atque negatio conuenire non possunt, etiam si à diuersis simulacris speciebusque pendere dicantur. Sanè agentium diuersitas nihil prohibet quo minus effectus contrarij inter se sibi inuicem aduersentur, seque expellant. Quid ergo facit vt Auerroicus intellectus in Platone asserat vnum ipsum esse super essentiam, & ipsum bonum super mentem: in Aristotele reprobet? Certe non efficit istud varietas vlla simulacrorum. Talis enim cõtemplatio non aliter quam posthabitis simulacris recte peragitur. Aut quid efficit vt intellectus ille apud Platonẽ affirmet cælum esse ignem, apud Aristotelem simul neget? An duorum simulacrorum diuersitas faceret quidem fortasse istud, si mens in simulacris aut per simulacra aut de simulacris iudicaret: nunc verò occasione ab illis accepta, statim se in se recipit: ac per communem speciem iudicat in seipsa de natura communi cæli atque ignis: ipsi verò phantasię relinquit simulacrorum intuitum, atque etiam perexiguum: qui tanto magis debilitatur, quanto magis mentis speculatio roboratur: atque contrà. Quod euidentissimum argumentum est ad id quod in superioribus tractabamus: speciem videlicet neque fieri à simulacro, neque seruari. Nunquid diuersæ species per occasionem diuersorum simulacrorum in mente conceptæ diuersas illas sententias pariunt? Nequaquam. Vnam enim mens accipit speciem à duobus eiusdem

cæli simulacris. Sed gratia disputationis accipiat duas. Licet istæ duæ sint viæ per quas sententiæ repugnantes in mentē proficiscī posse videntur, non tamen duæ quædam sunt in mente partes aut vires, aut propriæ formæ, in quibus possint discordes sententiæ suscipi: sed ad vnum & indiuiduum centrum intelligētiæ colliguntur. Vnicus ibi & simplicissimus iudex profert sententiam. Vnus autem sibimet non potest adeò manifeste in eodem tempore contradicere. Specierum duplicitas nihil vlterius potest quàm varie animum instigare, si modò ipsæ sint variæ. Sententiam verò fert intellectus debiliori specie neglecta per aliam: perque speciei vnius prę ualentis imperium vnam duntaxat sententiam profert: sicut & phantasia quanuis per varios sensus coniecturis variis agitetur, vnum tamen iudicium parit atque affectum. Mentem verò idē facere in variis coniecturis apud seipsum quilibet experitur. Quòd si vna illa mens per duas species in duobus hominibus ambigat, atque huc feratur & illuc, quia tamen sui ipsius conscia est in seipsa: quid illic ambigat non ignorat: coniecturisque libratis, ad partem alteram paulò momento declinat. Ac si absurdum est dicere: in eodē subiecto calorem simul frigusque suscipi, etiā si à diuersis causis duo hęc inferantur, igne videlicet atque aqua: nónne etiā ridiculum erit contrarias in mentem opiniones incidere, quanuis à diuersis causis immittantur? Quod enim suscipitur, pro dispositione subiecti suscipitur. Nequit autem subiectum idem modis simul contrariis esse dispositū ad contrarias simpliciter formas accipiendas. Fortior insuper erit argumentatio, si de contrariis habitibus argumentemur. Cum enim habitus confirmati à simulacris vlterius non dependeant, iamque absoluti sint etiā (quod maius est) à propriis actionibus: non possunt Auerroici dicere cōtrarios habitus propter contraria quædā agentia, id est simulacra posse concurrere. Quod autem dicunt mentem duabus speciebus indutam, vicem duorum gerere subiectorum, quibus repugnantia capiantur: ideo non admittimus, quia non pertinet ad eos tantum speciebus confidere, qui eas velut vmbras putant superficiem mentis ambire: deinde quia species apud illos peregrini & contingentis actus obtinent locum, mens verò substantiæ atque subiecti. Non fiunt autē pro-

pter duas aduentitias formas subiecta duo: neque suscipitur aliquid formarum ratione, sed ratione subiecti. Vna igitur mens vnum est subiectum, licet duas excipiat species: atque ratione ipsius (non specierum) suscipitur quicquid aduenit. Quomodo igitur contradictoriis pateat aditus, ne fingi quidem potest: nisi forte addiderint ita se mentem habere ad speciem, sicut materiam ipsam ad quantitatem. Igitur sicut materia per quantitatem extensa contrarias suscipit qualitates: ita mens vestita speciebus sententias repugnantes. Exemplum minime conuenit: quia quantitatem esse à materia inseparabilem arbitrantur, speciem verò menti penitus peregrinam. Præterea materia non prius per quantitatem formas contrarias excipit, quàm in diuersas partes extensione secetur. Quòd si Auerrois mentem per ipsas species in alias atque alias mentes secari concesserit: forsitan admittemus. Ergo sicut materia licet per quantitatem præparata sit, non tamen in eodem suiipsius puncto qualitates contrarias accipit: ita mẽs nõ admittit contradictoria, etiã si variis affecta fuerit speciebus. Natura quippe contradictoriorũ est, vt simul habitare non possint. Nequeunt autem esse simul, etiã si per mediũ aliquod quis illa cõciliare tẽtauerit. Adde ꝙ repugnãtia si præparationibus quibusdã suscipiẽda sunt: præparationes exigunt repugnantes. Si modò præparationes quantũm ad certos habitus conferunt, atque cum illis proportione aliqua congruunt: tantum habitus diuersos impediunt: & ab eorum præparationibus dissonant. Ac si præparationes ad repugnantia per alias iterum discordes affectiones ab eodem subiecto suscipiuntur: in infinitũ errabimus. Sin autem affectione nulla intercedente, absurdum id quidem est: & poterunt habitus repugnantes æquè sicut affectiones sine medio suscipi. Quamobrem si mens nostra sit ad repugnantes contradictoriorum actus & habitus disponenda: opus erit prius aduersantibus inuicem speciebus, atque etiam discursionibus dissonis, quæ à speciebus discordibus excitatę principia ratiocinãdi pugnãtia sumant, perq; dissona media ad conclusiones perueniant contradictorias. Vniuersa hæc repugnantia quæ ad contradictoria distrahit, ita nequit à mente suscipi sine medio, sicut contradictoria nequeunt. Si quæratur medium: absque fine quęretur.

A

Quemadmodum de contradictoriis assensionibus disputauimus, ita de contradictoriis affectibus licet differere: vt ecce quando mens illa apud Platonem obiectum aliquod vniuersale vult quidem, atque eodem tempore apud Aristotelem non vult: qualis affectus ad phantasias nõ pertinet: quæ non magis attingunt vniuersale aliquid appetendo quàm cogitando. Contrarios quoque in mente videmus affectus, quando homines duo obiecta duo vniuersalia simul volunt inuicem dissidentia: & quãdo in rebus incorporeis alij gaudent, alij simul dolent, Denique eadem mens proba erit & improba simul: sapiens & ignorans: certa & ambigua: felix & misera. Quid dicent ad hoc? Quod ex repugnantibus actibus affectibusque repugnantes habitus in eadem mente coalescent, videlicet & contrarij, & cõtradictorij. Hoc autẽ ideo est omniũ absurdissimũ, quoniã habitus non imaginariũ quiddã est, sed naturalis formæ gerit vicẽ: naturalis autẽ forma ꝑcliuitaſq; ꝑ aduentũ oppositæ formæ ꝑcliuitatisq; dispditur. Diutius fortasse q̃ decuit, de mẽte cũ his disputauimus qui mẽte se priuant, quando eã ab humana specie segregãt: q̃ vsque adeo speciei humanæ familiaris est, vt neq; nos mentẽ adsciscere sine mẽte possimus, neque illi mentẽ respuere sine mẽte. Arbitramur autem nos in superioribus non Auerroem solum confutauisse, verum etiam Mauros illos qui vnam esse omnium animam opinantur. Si enim in mentibus distinctio est, multo maior est in animabus diuersitas: tum quia mentes humanæ magis vnitæ sunt inuicem, eõ quòd prestantiores sunt quàm animę inuicem: tum quia si sufficeret anima vna nostris corporibus gubernãdis, multo magis mens vna sufficeret veritati cõprehendendæ. Vnde neque credendũ est nonnullis adulterinis Platonicis asserentibus viuentia omnia per vnam mundi animam viuere: quia non duceremur motu libero, & varietate cõsilij: sed impetu subito velut sagittæ ferremur. Et si vna quadã mundi anima spiraremus omnes, etiam vna quadam super mundum mente solum specularemur. Satis autem diuersitas ipsa & distinctio corporum mundanorum, distinctionem significat naturarum: naturarum distinctio, distinctionem sequitur animarum: animarum distinctio, distinctionẽ mentium comitatur: & mentes insitæ animabus animarum re-

tinent numerum. Ridere quoque licet barbarum quendam Dinantem & Manichæos, qui dei portiones quasdam esse nostras animas voluerunt, siue deum. Nã hoc esse non posse satis ex quinque illis rerum gradibus in primo libro dispositis declaratur. Neque potest deus aut in animas multas discerpi, cum summa vnitas diuidi nequeat: aut materia fieri plurium animarum: ne sit vilior animabus, neve summus actus gerat subiecti vicem. Aut ipse in sua forma consistens mutari tam frequenter in nobis: cum sit stabile mobilium centrum à vero in falsum, bono in malum, gaudio in dolorem: atque contra. Denique si deus cunctorum esset anima, vna mens esset in cunctis: quod est in superioribus confutatum. Quoniam verò Themistius asserit vnam fuisse Platonis, Aristotelis, Theophrasti de mente sententiã: si cupimus Peripateticam hanc disputationem felici fine concludere, veritatem ipsam Platonicam Peripateticamque per plures dispersam interpretes, ita colligamus in vnum. Accipiamus ab Auerroe capacem intellectum esse immortalem. Accipiamus ab Alexandro capaces intellectus esse vires quasdã animabus nostris naturaliter insitas, totidẽ numero quot sunt animæ. Concludamus hominum animas immortales esse. Atque hæc est conclusio Platonicorum Christianorumque & Arabũ theologorũ prisci Peripateticis maxime consona.

THEOLOGIÆ PLATONICÆ De immortalitate animorum eodem Ficino authore,

LIBER DECIMVSSEXTVS.

Sequitur secunda quæstio, cur animi terrenis corporibus sint inclusi.

Cap. I.

POstquam primæ quæstioni respondimus, ostendimusque mentis diuinitatem nostris animis conuenire: secundæ respondeamus: ostendamusque cur animi si diuini sunt, terrenis corporibus tam infimis sint inclusi.

Ratio prima, vt cognoscant singula.

ESsentia dei, si modò essentia nominanda est, non vnum quoddam rerum genus est: alioqui res tantum sui generis ageret: sicut aqua, ea quæ humida sunt, non sicca facit: ignis contrà sicca non humida generat. Cum verò cuncta rerum genera per suam essentiam deus efficiat, & quod efficit, super omnia quę fiunt maneat: in nullo rerum genere deus est, sed super omnia genera. Igitur quando suam intuetur essentiam, cunctorum originem & exemplar: cuncta rerum genera contuetur: cunctas quoque species, atque singula. Nam essentia dei, principium medium que & finis est non specialium tantum principiorum, sed etiam singulatiū sub qualibet specie peruagantium. Profecto diuina essentia cum nihil in se habeat materiæ simile, quæ obumbrare solet cognitionem: lux est & perspicacia summa. Idcirco deus per suam essentiam proprie tanquam per lucem efficacem discretricemque singulorum singula perspicit: atque cum essentia dei penitus absoluta sit, non tantum ab omni materia, materieque proprietate, sed etiam ab omni certa conditione, respectuque ad hanc rem creatam aut illam, atque sit infinita: idcirco indifferēter (vt ita dixerim) se habet ad omnia. Igitur aut nihil prēter se cognoscit, aut omnia. Nihil autem cognoscere dictu nefas est, cum & cognoscentiū & cognitorū & cognitionis sit ratio summa. Neque obiiciat nobis Auerrois, vile scere deū si inferiora consideret. Sane quia cognoscit se esse omnium quæ infra se sunt, principium: ideo nouit quid sit inferius esse. igitur qua ratione deficiant, comprehendit. At verò dum rationem ipsam defectus ipsius agnoscit: defectum ipse non patitur. Quòd si deus in ipso imperfectionis fundamento considerando quod ab ipso alieniſſimum est, ipse non fit imperfectior: certe multo minus in aliis vel imperfectiſſimis cogitandis imperfectus e-

uadet. Quid plura? cognitio sui aliorumque, tanquam bona optabilis est. est enim quædã sui ipsius animorũque possessio. Potest autem aliquis cognoscendi modus minus quàm alius optabilis esse. Siquidem modus quo sensus cognoscit externus, est imperfectus. Minus autẽ imperfectus ille, quo sensus internus: minus quoque quo ratio: minime tandem quo mens angelica. Itaque cognitionis ille modus quo deus discernit singula, cum sit gradibus infinitis angelico modo perfectior: imperfectionem certe nullam, immo perfectionem omnem penitus comprehendit. Talis certe est cognitionis diuinæ modus, qui per ipsam perfectionem sit infinitam. Denique sicut nobis finitis præstat finita quędam scire quàm ignorare: sic infinito deo conuenit potius infinita, quàm vel nulla vel finita videre. Cognoscit verò distinctè vbique singula: si modo qui causam causarũ perfecte tenet, & cunctas & singulas causas perfectissime possidet. Atque distincta perspectio tanquã perfectior admodũ, quàm confusa magis admodum est exoptanda. Sed ne longius digrediamur, pergamus ad reliqua. Angelus quoque cuncta dei opera & singula conspicit. Nempe si nostræ mentis obiectũ est esse ipsum verumque commune, atque ideo ad existẽtia omnia veraque mens humana (licet paulatim) se dirigit: par est vt mens angeli quæ nostra præstantior est, omnia capiat: & vt volũt Platonici, simul omnia. Sed quonã respicit angelus vt omnia videat? Nunquid in corpora aciem dirigit? Nequaquam. Quia stabilis est angeli mens, cernitq; cuncta simul: propterea non potest ea discere à corporibus, quę cursu suo sæpius permutata aliàs aliter & alia monstrant. Ac si modus agendi sequitur essendi modum, angelus qui in essendo omnino est à corpore liber, erit quoque liber intelligendo. Neque formabitur à corporibus, qui corporibus est excellentior, & cum ipsis commercium habet nullum. An forte in angelicam essentiam flectet intuitum? Flectet quidem: sed in angelo solum perspiciet angelum. Nam tantum in angelica natura videbit, quantum ipsa se porrigit. Ipsa in genere solũ est angelico. Angelũ igitur videbit ĩ ipsa: reliqua rerũ genera haud clarè discernet. Nẽpe si materia cognitionẽ impedit, essẽtia verò creata nõnihil habet materię simile informeq; & fuscũ: sequitur vt nulla creata mẽs quaten' in

nudam quasi caliginem aspicit, visionis claritatem adipiscatur: perinde ac si luna in se respiceret nondum lumine solis illustris. Ergo sicut oculus colores non cernit nisi per formas ipsas colorum, ita neque mens perspicue rerum videt genera nisi per ipsorum formas: siquidem forma est agendi principium. Essentia angeli solius est angeli forma: atque illa quidem quodammodo fusca. Dei vero essentia, immo veritas bonitasque, omnium est forma, luxque purissima, radix, ratio & exemplar. Per hanc itaque solam tanquam per solem conspici omnia possunt. Nūquid ergo per ipsam dei essentiam angelus cuncta discernet? Non quidem per absolutam dei essentiam absque medio. Quo enim pacto essentia infinita potest tanquam forma finitæ menti nulla præparatione intercedente congruere? oportet tamen mentem ipsam aliquam in se formam habere, per quam agat intelligendo. Quapropter angelus formas & exemplaria rerum à dei essentia suscipit: atque vt oculus per solis lumen colorū omnium effectiuum, colorum eorundem suscipit formas, videtque colores: ita mens angeli per dei lumen rerum omnium effectiuum, earundem rerum accipit species & intelligit. Merito deus prius pleniusque format spiritalem materiam ipsi proximam id est mentes angelicas, quàm remotissimam ab eo mundi materiam. Sed multi sunt gradus mentium, & multo pluresquā corporum: vt Dionysius tradit Areopagita. Voluit enim optimus artifex plures in præstantibus operibus suis gradus statuere, quàm in operibus vilioribus. Sic dei ciuitas erit præclarior, si plures sint in ea nobilium & liberorum gradus, quam mercenariorum atque seruorum. Talis est vtique mentium ad corpora comparatio. Quot autem præcipui sint in angelicis gradibus ordines, satis ex Dionysij mente tum in libro de religione, tū in Pauli raptu differuimus. Quo etiam pacto Platonici in nouem ordines diuidāt, significauimus alias: quoniam videlicet angeli intellectus quidam sunt summum ipsum intelligibile contuentes, in quo essentiam, vitam, intelligentiam contuentur. Sed illic in essentia tum vita tum intelligentia est per essentiæ modum. Rursus in vita sunt reliqua duo similiter per modum vitæ. Item in intelligentia duo similiter reliqua id est vita & essentia per quendam intelligentiæ modum. Il

lic igitur ſummum vnumque intelligibile in tria diuiditur, perque tria deinde multiplicatur in nouem. Eodem quoque ordine intellectus ipſum conſiderantes in ordines nouem diſtribuuntur. Atque hoc pacto angelos ſoli deditos contẽplationi Platonici diuidunt. Eos autem qui mundum quoque gubernant, quidam duodenario ſeptenarioque partiuntur in primis ſecundum duodecim Zodiaci ſigna, ſeptemq; planetas. Deinde his alios quoſdam angelorũ exercitus addunt, pro ſtellarum numero in quauis ſphæra mundi certis officiis incumbentes: totidem quoque dæmonum heroum que turbas angelis obſequentes: ac denique totidem particularium ordines animarum ſeſe numinibus ſupernis accommodantes. Sed mittamus nunc dæmonicos heroicoſque exercitus: ſatis eſt intellexiſſe Platonicos mentes ſupra nos innumeras poſuiſſe: in quibus nominandis non ſolum angelorum, ſed etiam archangelorum & principatuum nomina à noſtris Iamblichus accipit, lumenque diuinum per omnes quaſi per vitra putat ad nos vſq; deſcendere. Quamobrem per innumerabiles pene ſpirituum mediorum gradus radius ille diuinus formator mẽtium ad infimas vſque deuenit mentes, quales ſunt hominũ animæ. Quatuor verò hic conſideranda videntur. Primò quidẽ radius ille diuinus: deinde ſpecies rerum in ipſo, quas & rationes creandarum rerum, ideaſque vocamus: tertio mentes: quarto mentium vires. Radius prout in ſimpliciſſima dei vnitate conſiſtit, vnus eſt prorſus & ſimpliciſſimus, atque vnicam ideam diuino offert oculo, vnam ſcilicet dei eſſentiam, ſed illam quidem per multos eſſendi modos creandis rebus communicabilem. Qui modi apud Platonem illæ ipſæ ideæ ſunt rerũ quæ per tales modos ſunt producendæ. Vna igitur eſſentia dei, vna eſt idea, idearum omnium vicẽ gerens: perque hanc vnicam deus cuncta circunſpicit. Radius ille dum manat ex deo: quo longius à diuina vnitate procedit, eo magis fit multiplex: & qui vnicam dei oculo ideam in primis obtulerat, multas iam ac plures deinceps & plurimas oculis offert angelicis: quemadmodum linea à centro producta, quæ in eo indiuidua erat, quo diſcedit longius, eo in plures partes extenditur. Immo quemadmodum ſolis radius in ſole ipſo vnicam præfert lucis formam, multas in igne, plures in aëre

atque aqua, in terra quàm plurimas: ſicut ſe habet radius ille diuinus, ita & mentes in quas infunditur. Quo enim propinquior mẽs eſt vnitati diuinæ: eo eſt vnita magis & ſimplex. Quo remotior, contrá. Capit autem quęque mens pro natura ſua radium venientem: quapropter ſimplicius ſupremæ mentes illum capiunt, reliquæ multiplicius. Vnde paucæ ideæ à radio in ſublimi mente pinguntur, in ſequente plures, plurimæque deinceps. Quoniam verò quo quid ſimplicius magiſque vnitum eſt, eo eſt & potentius: ideo in altioribus mentibus vis intelligendi perſpicacior viget, hebetior in ſequentibus. Quo fit vt per illas ipſas pauciores ideas nõ pauciora videant mentes ſuperiores, quàm per plures ideas reliquæ: Sicut medicus peritiſſimus futuros in ægrotante, caſus vnico præuidet ſigno, pluribus ſignis eget ad iudicandum imperitus, plurimis quoque imperitiſſimus. Et vnico nutu intelligit ſagax miniſter quid iubeat dominus, tardiores multis indigent verbis. Ergo tum propter recentis radij ſimplicitatem, tum propter ſublimium mentium vnitatem, earumque ipſarum mirabilem perſpicaciam, pauciſſimæ communiſſimęque in arce angelica ſunt ideæ: plures magiſque ſpeciales per ordinem in ſequentibus. Exemplum accipe veritati (vt arbitror) ſimile. Communiſſimum omnium Peripateticis eſſe ipſum videtur. Hoc in duo diuiditur. Alterum eſt per ſe: alterum hæret alteri. Subſtantia illud eſt, hoc accidens. Subſtantia rurſus altera corporalis, incorporalis eſt altera. Similiter accidens vnum eſt qualitas: alterũ quantitas. Corpus item duplex: animatum, inanimatum. Spiritus quo que alij à corporibus ſeparati, alij verò coniuncti. Diuiditur deinceps vnumquodque horum generum vſque ad ſpecies vltimas: denique ſpecies quęlibet in ſingula infinita. Deus per vnam ipſius eſſe vel boni ideam quę ipſa dei natura eſt, intelligit omnia. Primus angelus exempli cauſa duas forte habeat ideas, alteram ſubſtantiæ, alterã accidentis per quas omnia ſubſtantiarum & accidentiũ intelligat genera: provt radius ille diuinus qui in deo per vnam ipſius eſſe vel boni ideam formatus erat, iam in primo angelo in geminas ſeſe diuidit formulas, dum diſcedit ab vno, atque ideis ſubſtantiæ accidentiſque veſtitur. Secundus angelus duplicata rurſus radij varietate quatuor inde ideas accipiat: duas ad gen⁹

ſubſtantiæ pertinentes: duas ad accidentis genus: vnam ſcilicet ideam ſubſtantiæ corporalis, incorporalis ſubſtantiæ alteram. Rurſus vnam accidentis eius quod eſt qualitas, alteram accidentis eius quod eſt quantitas. Per has quatuor ideas, omnia rerum genera quæ ſub communi ſubſtantia & accidente communi comprehenduntur, intelligat. Tertius angelus per duplicatum rurſus radium multipliciterque diuiſum octo ideas ſuſcipiat: per quas totidem intelligat, quot primus atque ſecundus. Vbi apparet ſublimioribus G mentibus vniuerſaliores ideas ineſſe, ſequentibus paulatim minus vniuerſales. Siquidem vna idea in illis tantum ſub ſe continet, tantumque ſignificat, quantum duæ in his ideæ. Semper enim deſcendendo vna geminatur in duas. Atque ita geminetur gradatim, quouſque ordo mentium infimus qualis eſt anima rationalis, tam multiplicem radium diuinum accipiat, quantum ille in ſpiritibus poteſt fieri multiplex. Poteſt autem in illis vſque ad ideas rerum vltimas diuidi: ita vt totidem præ ſe ferat formulas, quot rerum à deo creatarum ſunt ſpecies: vt ſpeciei humanæ ideam habeat vnam, vnam æquinæ: ſimiliterque de aliis. Singulorum verò hominum & equorum figuras ſingulas radius ille non facilè aut cuilibet oſtendit expreſſas. Nam cum ſit penitus ab- H ſolutus: formulas præ ſe fert modò præcipue abſoluto. Sane Platonici mentes ſupernas exiſtimant ſicut ideas rerum materialium immateriales, generabiliumque ingenerabiliter continent: ita & particularium rerũ ideas duntaxat vniuerſales habere.

Cogitemus hominis animam nunc primùm ex deo manantem, neque dum corpus indutam, vt ab occupatione corporis libera intentionem prorſus omnem in mentem propriam dirigat: vbi pro natura ſua duntaxat accipiat radij illius perpetuo ſibi adſtantis & inſpirantis influxum. Quid per huiuſmodi radium naturaliter capiet anima? Tot ideas, quot ſunt rerum ſpecies creatarum: vnam ſpeciei cuiuſque ideam. Per ideam hominis quid intelliget?

Naturam tantum cunctis communem hominibus: ſingulos ſub ea homines non videbit. Idem per ideam equi faciet: & reliquorum. Itaque confuſa relinquetur animæ huius cognitio: cum ipſam lateat diſtincta progreſſio ſpecierum

in singula: eritque naturalis appetitus eius inanis, & inquietus semper affectus: qui nullo vult vero, nullo bono carere. Verum cur nequit hominis anima in vltimis ideis sicut species, ita singula speciebus subiecta plane conspicere, quemadmodum angeli in suis ideis genera vident, speciesque, &
A singula? Quia, vt aliàs diximus, in quolibet rerum ordine ita natura comparatum est, vt actio in summo illius ordinis sit passionis expers, passio in infimo actione priuata in mediis copositio media. Animas quoque nostras esse mentes infimas constitit. Quapropter quantum ad intelligentiã spectat, deus aget solum: angelus aget & capiet: anima capiet per naturam suæ mentis solum, non aget. Deus siquidé ideas effundit aliò: non haurit aliunde. Primus angelus duas (vt ita dixerim) capit ideas, id est duo illa rerum latissima genera, quibus suscipiendis quodammodo patitur. His susceptis ob efficaciam propriam illorum generũ viscera penetrat, speciesque omnes sequentes in eis perspicuè inspicit: fabricatque sibiipsi conceptus proprios quarumlibet specierum: quos etiam deriuat in singula. Atque hæc non passio iam est, sed actio. Idem angelus secundus agit, & alij: ac sem per posterior angelus plures ideas superne accipit patiendo: paucioresque conceptus specierum sibi est fabricaturus agendo. Propterea crescit passio sensim, actio verò decrescit, quousque ad menttem infimam veniatur, quæ nihil agat, sed acceptis ideis alatur, nihil moliatur noui. Cuius intelligentia nihil est aliud, quàm susceptio idearum seipsam minime latens. Et quoniam ideæ vniuersales sunt natura, non
B potest mẽs aliqua illas absque propria actione ad distinctos singularum rerum conceptus deducere. Ideo hominis anima quæ ex ea parte qua mens est, inter mentes est vltima, intelligitque solummodo patiẽdo: vniuersalia in singula nõ distribuit. Verumtamen qua parte est diuina, per centrum suum, quasi dei characterem, habet aliquam actionem qua producit species vel educit, diuidit verò nequaquam. Quinetiam qua parte est anima: quia non est vltima animarum, animalis corporeaque operationis est compos. Cæterũ per diuinam prouidentiam in eo gradu locata est hominis anima, vt sicut succedit proxime mentibus, ita proximè terrena præcedat corpora: qua cognatione ergã inferiora hęc af-

ficitur, eiſque amatorio quodam affectu ſe inſerit. Vnde cor poribus copulata terrenis, terrenorum omnium præſtantiſſimis, regit quidem illa: perque virtutem vitalem vitales illis affert paſſiones intrinſecus: per ſenſum autem iudicat alienas paſſiones illatas illis extrinſecus. Corpus humanum quoniam conſtat quatuor elementis, & in medio mundi locatur: omnium elementorum omniumque rerum circunfluentium impulſus per quinque inſtrumenta ſenſuum patitur. Impulſus huiuſmodi vndique à ſingulis rebus illatos ſigillatim anima diſcernit per ſenſus: eorumque imagines ipſa animali virtute in ſeipſa fingit per phantaſiam, ſeruatque memoriter. Quo fit, vt breui tempore phantaſia ſingularum ferme rerũ ſingulis plena ſit formis. Hinc ratio prouocata, primò quidem ſpecies vniuerſales parit: perque illas intuitu ſimplici communes concipit notiones. Mox verò C ex hoc intuitu rectà iam ab actu intelligendi in ſpeciem intelligibilem, perque hanc in ſimulacrum ſe reflectit: & per ſimulacrum proſpicit indiuiduum, prius quidem vagum indeterminatumque, puta aliquod mel: deinde determinatũ, ſcilicet mel hoc aut illud. Sed poſt huiuſmodi breuiores actus latius in hunc modum percurrere conſueuit: quodnam eſt corpus hoc dulce & flauum, quod offert nunc phantaſia D mihi? Cur dulce? Dulcius ne hoc, an vinum. Tria hic ratio quærit: quæ vt Platonicis videtur, phantaſiam latuerant. Primum, rei illius ſubſtantiam: quando quid hoc eſt interrogat. Secundum, qualitatis illius cauſam, quando cur dulce ſit perquirit. Tertium, ordinem eius ad alia: quando ſciſcitatur num vino ſit dulcius. Poſt hæc reſpondet ſibi ipſi tria. Primum: Mel hoc eſt. Secundum hoc ideo dulce, quoniam humor eius pinguis eſt, & moderate coctus. Tertium: dulcius vino eſt: quia dulcedo eius linguam magis diutiuſque delenit. Hæ rationis humanæ diſcurſiones quoniam phantaſiæ ſequuntur impulſum, particulares ſunt, & per ſingula peruagantur. Quin etiam aggreditur alias quæſtiones. Quid mel? Quid dulcedo? Nunc nõ magis de melle hoc quàm de quouis alio rogat: ſimiliter de dulcedine qualibet. Ac neglecto proprio illo mellis ſimulacro quod attulit phantaſia, de cõ E muni perſcrutatur vniuerſi mellis & dulcedinis ratione. Vniuerſalis hæc quæſtio eſt. Vniuerſalis ſit & reſponſio, ita

Mel est apum succus, gradu secundo calidus: virtute abstergens: sapore dulcissimus: tactu pinguis. Rursus dulcedo est sapor ex moderata humoris aërei concoctione proueniens. Has communes definitiones mellis atque dulcedinis quęsiuit ratio diu, & inuenit tandem. Si quæsiuit diu: non habebat ipsa. Accepit enim aliunde illud ad quod discurrēdo peruenit. Vnde ergo accepit? Non à phātasia. Ea enim si illas habuisset, obtulisset plane statim, vt simulacra obtulit: præsertim cum lux illa communis definitionis quanto est illustrior diuiniorque simulacris, tanto clarius oculis rationis ad ipsam accōmodatis refulgere debuerit. Quapropter à mente ratio illas accipit: quę quoniam menti quam proxima est, eam ipsam vim adipiscitur: per quam neglectis quandoque singularibus quæstionibus ad vniuersales se conferat quæstiones. Et quia quærit communiter definitiones, reportat à mente communes. Quærebatur quid lucri à corpore proueniret. Plurimum proculdubio. Nempe si remanet extra corpus anima cum primum nata est, vniuersalia cognoscet quidem: singula vel virtute propria vel radio diuino per ipsam comprehenso non cernet, quia mēs eius vltra ideas vltimas non descendet, ratio verò in mentis quiescet intuitu. In hoc autem corpore propter sensus ratio consuescit per singula currere: singula applicare communibus: communia in singula deriuare. Per singula currit hunc in modum. Hoc est dulce, & flauum: ergo est mel. Singula communibus applicat, ita, hoc est dulce. Omne dulce est humidum moderate coctum. Ergo hoc est humidum ita coctum. Communia verò sic adhibet singulis. Omne dulce & flauum est mel. Hoc igitur quia tale est, est mel. Sic assuefacta ratio, quando animus fuerit separatus, communes mentis ideas facilè in singulas distribuet notiones: quia ratio sicut hic sua quadam temporali discursione diuinum illud & efficax animæ centrum caputque mentis prouocat vt formulas in mente latentes paulatim educat in lucem, & in rationem vsque traducat: ita illic subito continuoque affectu per diuturnam consuetudinem generato formulas inflāmabit, vt per quasdam rerum singularū scintillas excussę quandoque ex mente coruscent in rationem. Quapropter Plato in epistolis atque legibus, Plotinus quoque in libro de animorum im-

mortalitate concedunt animis separatis inesse nostrarum rerum sensum aliquem atque curam. Quod quidem Plotinus sic accipi vult, vt eatenus animaduertant humana, quatenus supereſt ipsis habitus aliquis vel affectus ad corporea vergens: quo tandem sublato, tanta attentione diuinis incumbant, vt singula quę inter nos contingunt, aut non videant: aut (sicuti solent qui aliquid intentissime cogitant) se videre talia non aduertant. Eadem ferme de rerum humanarum reminiscentia ratio est. Nam Plato alibi recordari cõcedit: alibi lethæum inquit, obliuionis flumen inter vitę huius atque alterius fluere regionem. Recordari enim quandiu erga illa quę hic senserant, afficiũtur: deinde minime. Animas verò quæ labuntur in corpus, eatenus diuinorum obliuiſci, quatenus seſe in corpus immergunt. Cum primũ emergunt & quantum emergunt: tunc primum atque tantum remini sci. Sunt autem animæ multæ, (vt & priſcis & noſtris placet theologis) quæ hæc aut illa, hic aut ibi, non affectu sed prouidentia quadam à deo distributa gubernant. Adde quòd in repub. scribit Plato, animas quæ hic aliquo affectu se nouerant, seſe illic agnoſcere: atque ferme ad se inuicem similiter affici. Auicenna quoque in metaphyſicis ait animas tum beatas tum miseras in altera vita perseuerante ad tempus habitu quodã à sensibilibus contracto, posse imaginari quę hic prius vehementiore affectu imaginabantur. Sed hæc nunc tanquam minus necessaria dimittamus.

Nota de animis separatis ineſſe rerũ sensum

A

B

C

Ratio secunda, vt formæ singulares cum vniuersalibus formis concilientur. Cap. 2.

MIrabilis profecto virtus est hæc humana ratio, animę rationalis propria, per quã sumus homines. Accipit à phantasia singula, à mente communia, & in vnum congregat vtraque: & sicut in homine mortalia cũ immortalibus copulantur, sic in huiusmodi ratione temporalia simulacra speciebus iunguntur æternis. Quod nisi in mundo efficeretur alicubi, restaret formarũ series interrupta. Fieri autem nequit, nisi rationalis animus terreno corpori coniungatur.

D

Ratio tertia, vt tam radius diuinus, quam eius formulæ reflectantur in deum. Cap. 3.

E

FAcit in hoc iterum aliud mirabilius: quoniam diuinus ille radius idearum plenissimus, postquam ad animam vsque descendit, transit per vitalem animæ vim, perque naturam in mundi materiam: in qua fingit extremas quasdam atque vmbratiles similitudines idearum: quemadmodum lumen fingit imagines colorũ in speculo: immo quẽadmodum per lumen vmbrę corporũ designantur in terra. Tales autem similitudines siue vmbræ discedunt ab ipsa diuinitate quamplurimum. Nam ex puris impuræ fiunt, dum à contrariis inquinantur: ex vnitis dissipatæ: ex communibus singulæ: ex stabilibus prorsus instabiles. Si res quæque suam originem repetunt, vnde percutiens terram solis radius, in solem inde reflectitur: quid mirum has quoque vmbratiles similitudines idearum occulto quodã instinctu pristinam puritatem requirere, atque radium ipsum earum factorem postquàm descendit, vicissim ad ascendendum ardenter anniti? Frustráne tantus conatus erit? Minime. Quis succurret? Non animæ bestiarum, quæ solis singularibus simulacris inhiant. Non mentes illæ nostris præstantiores: quæ cum non habeant corpora omnibus omnium corporum subiecta procellis, particulares quaslibet passiones formasque quorumlibet corporum non suscipiunt. Sola restat hominis anima: quæ propter terrenum corpus singulorum corporum singulis quodammodo pulsata tumultibus, assumit quidem ipsa per sensum has à mundi materia infectas similitudines idearum, colligit autem eas per phantasiam, purgat excollitque per rationem: ligat deinde cum vniuersalibus mentis ideis. Ita radius ille cęlestis qui ad ima defluxerat, refluit ad sublimia, dum similitudines idearum quæ fuerant in materia dissipatę, colliguntur in phantasia, & impuræ purgantur in ratione, & singulares tandem in mente euadunt vniuersales. Sic hominis anima iam labefactatum restituit mundum: quoniã eius munere spiritalis olim mundus, qui iam corporalis est factus, purgatur assidue, atque euadit quotidie spiritalis. Radij ab amplo solis orbe demissi in angustum foramen altissimi parietis, conum faciunt

per

per pyramidē: & in ipso foramine obliquantur vsque adeo, vt transuersi traducantur ab ipso: & in suppositum pauimentum cum decidunt, orbem fulgidū configurent, tanto ampliorem, quanto remotius à foramine fuerit pauimentum: vbi solaris globi latitudinem adæquaturi videntur, si æquali spatio deciderint à foramine, atque à sole defluxerant. Hoc autem in nostris oculis assequuntur. Nam qui in pupilla coacti sunt in angustum, & ab ipsa traducti in animum, in ipso animo solis magnitudinem implent: vbi vere de solis magnitudine iudicatur. Ex quo apparet tanto animum distare ab oculis, quanto solaris orbis supereminet oculos. Idcirco F & in cælo secundum AEgyptios & cæleſtis est animus, qui terrenos oculos æque supereminet, atque cælum. Influxus quoque idearum à supernis mentibus demissi in corpora, ex amplissimis angustissimi fiūt, & dū ex vniuersalibus omnino particulares euadunt, à corporibus tandem reflexi in hominis animum pristinam recipiunt amplitudinem. Vnde euidenter ostendunt, humanam mentem ita ferme à corporibus esse remotam, sicut & mentes superiores. Ideoque cū æquè à mortalibus seiuncta sit, ac diuinæ mentes: æquè immortalem existere: præsertim cum formas ab æternitate ad tēpus partesque tēporis vsque prolapsas æternitati restituat.

Quarta ratio, vt anima fiat beatior. Cap. 4.

CONfert præterea descensus animę in corpus ad animę ipsius beatitudinē. Siquis enim hebetior ingenio sit, G ac semper corpore validus: quanti facienda sit bona valetudo corporis, ignorabit. Aegrotet oportet quandoque, vt ea comparatione saltem precium sanitatis agnoscat: & recuperata iterum sanitate suauius perfruatur. Anima hominis mentibus omnibus obtusior comparatione indiget ad plenissimum rerum maximarum iudicium. Ergo mundanis agitata procellis, quàm quietus dulcisque sit in deo portus: & hic rectius vaticinabitur, & illic discernet acutius: intentius adhærebit, fruetur & dulcius. Quamquidem rationem Plotinus non mediocriter probare videtur: maxime verò Porphyrius: qui animam inquit sæpius mala hæc expertam tandem omnino hærere parenti, nunquam ad hæc

Notæ

vlterius reditura. Forsitan & ipse deus instituit diuina gaudia superioribus quidem mentium gradibus natura obtingere, ordini verò inferiori laboribus comparari: vt essent & qui nascendo beati fierent, & qui se viuendo beatos efficerent: ne aut sublimes spiritus pluris quàm sint æstimentur, cum aliunde beatitudinem naneiscantur: aut inferiores spiritus contemnantur, cum ipsimet sibi sint beatitudinis auctores. Quid si angeli, vtpote qui sunt remotiores à tempo-
I re, statim vt orti sunt, per subitam quandam in deum conuersionem, momento beatitudinem promerentur: nos autem longiori circuitu felicitatem similem adipiscimur? Et quod naturæ deest: industrię nostrę rependitur. Ac dum honesti piiq́ue laboris tolerãtia cum imbecillitate nostræ originis compensatur: quodammodo excellentiam æquantes angelicã, æquamus & præmia. Ita quatuor in bono gradus reperiuntur. Deus à se tantum bonum habet suum: corporea ab alio tantum: angelus & animus non modo ab alio, quia à deo: verum etiam à se, quia sibimet bonum præstant: sed angelus actu æterno, animus temporali. Neque mirari debemus animum posse non modo ad extremum digredi malum, sicut miseri: sed etiam ad summum progredi bonum, sicut angeli. Primus enim liberq́ue motus nusquam nisi in infinito habet terminum.

Quinta ratio, vt vires animæ inferiores ad effectum progrediantur. Cap. 5.

K Vires animæ inferiores

Conducit insuper hęc habitatio non ad rationem mẽtemq́ue solum, sicut exposuimus: verum etiã ad tres illas inferiores animæ vires, phantasiam, sensum, & nutriendi virtutem: quas animæ inesse oportet nõ minus quã mentem & rationem si modò inter angelos ac bestias obtinet medium. Inanis quidem & inquieta est vis illa quæ nunquam prodit in actum. Harum trium virium absque corpore non est actus, aut certe non incipit sine corpore, sine corpore inquam terreno operationes suas tum singulas tum
A integras non exequuntur. Adde quòd Plotinus ait animam per actiones perspicue vires suas naturamq́ue perspicere: ac nisi omnes edantur, se suaq́ue perfecte non cognituram.

Quoniam verò omnino mobiles temporalesque sunt earũ actus atque effectus, par est vt ad aliquod tempus agant: vt ad tempus operetur, quod agit temporaliter, temporalia: id circo datur eiusmodi corpus ad tempus. Sed quoniam operatio mentis atque eius pediſſequæ rationis continua esse B potest ad obiecta perpetua, merito in perpetuum operantur tribus aliis viribus quandoque vacantibus. At quam ob causam adeo breuis hic est animę habitatio? Respondet Plotinus, vt citius depoſita ſarcina proficiſcatur ad meliora. Breuis ætas ſufficit ad munera hæc explenda, quorum huc gratia venit. Quo autem modo conueniens est animo sempiterno, vt modo deſcendat in terras, modo aſcendat, & quaſi ludens modo in corpore ſit, modo ſit extra corpus? Forſitan, vt Plotinus exiſtimat, nõ opus est vt ad hæc officia moueatur loco ac tempore animus per deſcenſum atque aſcenſum. Vt enim ſuper locum tempuſque (quæ ſunt corporis paſſiones) natus ex deo est: ita extra loci temporiſque limites permanet: nõ aliter ex deo pẽdens, quàm ex ſole lumen totũ vbique per aërem. Hoc Plotinum arbitror ab Aegyptiis didiciſſe, qui animam opinãtur immenſę pſentię dei ſecundum eſſentiam ſuam participem eſſe: quandoquidem ſecundum virtutem operationemque fit particeps immenſæ intelligentiæ voluntatiſque diuinæ per interminabilem interminabilis veritatis intuitum, & bonitatis affectum. C

Quare ſecundum eos non eſſet dicendum vt modo hic ſedeat, modo tranſeat illuc: ſed potius vt nunc det vitam terræ, poſtea non det: ſicut lumen non mutatum loco nunc oculum apertum illuminat, pòſt clauſum minime.

Sed hoc ipſi viderint. Quorſum hic ludus in tribuenda corpori vita & auferenda?

Satis, vt arbitror, diximus. Dat enim vitam, vt illa expleat munera quæ narrauimus. Aufert, ne diutius à melioribus vacet muneribus propter viliorum operum miniſteria.

Atque vt ſtellæ ad explendum officium ſibi à deo iniunctum oriuntur oculis noſtris & occidunt, ſpiritus quoque permulti fabricatis ſæpe nouis corporibus, modo oculis ſe noſtris obiiciunt, modo ſubtrahunt: ſic hominum animæ aliàs in corporibus apparent, aliàs deliteſcunt. Hic tri- D plex oſtenſionis apparet gradus. Animæ ſtellarum oculis

hominum sese monstrant semper atque continue, licet alis aliis. Animæ sequentium spirituum semper, non tamen cotinue. Semper: quoniam omnibus seculis id agunt. Non continue: quoniam intermittunt. Animæ nostrę neque semper, neque continue. Quòd si non est contra naturam, vt à sublimibus corporibus aliquid descendat momentis singulis ad inferiora, rursusque ascendat, vt radij syderum, atque flammæ: non est etiam contra naturam aliquod è sublimibus spiritibus huc quasi descendere quotidie atque ascendere. Item consentaneum videtur Platonicis, vt quemadmodum angelicæ vitæ semper à corporibus separatæ sunt, brutæ verò nunquam separatæ: sic mediæ duæ sint: tum animæ feliciores, quę semper partim separatæ, partim coniunctæ sint absque actionis vllius impedimento: tum etiam minus felices: quæ aliquando segregatæ sint, aliquando verò coniunctæ: coniunctæ inquam elementali corpori, quod intellectualem quodammodo impedit actionem. Nam ætherеum corpus apud Platonicos semper habent: apud Christianos autem tale quoddam corpus tandē semper habebunt. Mitto quòd Platonici non nostras solum, sed multorum quoque dæmonum animas propria quandoque mutare corpora putant. Profecto diuinam bonitatem tum effundere se in alia, tum alia ad se conuertere arbitrantur. Inde animas habere vt corpora regant: inde vt se ad incorporea conferant: & quę perfecte vtrunque simul facere possunt, corpora non mutare: quæ verò aliter sese habent, merito permutare. Oritur hinc illa vulgariū diffidentia. Quid hoc? Defuncti non redeunt: non videntur: non agunt quicquam: Redire quidē sub aliis figuris Platonici putant. Sed revera quid opus est redeat ad pugnam veteranus & emeritus miles? Si secundū naturam esset reditus ad pugnam: redirent vtique omnes. Si est contra naturam: noli alicuius reditum quærere. Contra naturam certe est reditus superuacuus, si fuit secundum prouidentiæ leges abire hinc illos qui munus suum impleuerant. Accendit sphæra ignis sæpe flammam in aëre: flamma paulo pòst redit in sphæram. Noli quærere crebriorem illius flammæ descensum. Naturalis sibi est perpetuus ille cum sphęra circuitus: contra naturam est descendere rursus. Ac licet animus per naturam essentiæ tertiæ Iani bifrontis

instar vtrunque respiciat, corporeum scilicet & incorporeum: tamen quia sublimioribus mentibus amplior prouidẽtia, inferioribus angustior conuenit: & animus noster illarũ omnium infimus est: angustissima sibi conuenit prouidentia: vnde & ad breue tempus regit cæleste corpus, & ad breue tempus terrenum. Et quando corporeum simul incorporeumque mediocriter respicit: æquè exercet vtrunque essentiæ tertiæ munus. Quod in hac vita contingit. Quãdo verò post hanc vitam vel propter puritatem incorporeis incumbit attentior: tunc prospicit corporea negligentius: vel propter impuritatem corporibus mergitur infimis, tunc humanæ gubernationis auctoritate priuatur. Quippe cum humana vita inter diuinã ferinamque sit media: animus dum agit mediam, extremam quoque attingit vtranque. Dum declinat ad alteram extremarum: (quod quidem & nunc incipit facere, & explet postea cum decesserit) mediã attingit paulum, extremarum alteram minime. At cur non videntur animæ defunctorum? Deum, angelos, aërem non vides: ob hoc tamen esse non negas. Cur non agunt quicquam? Agit omnia deus: agunt angeli: actiones illorum ita non animaduertis, sicut non vides illos. Quid prohibet animas à terrenorũ corporum vinculis iam solutas mouere corpus æthereum, vel aëreum nostris oculis inuisibile? Quid prohibet eas rationem phãtasiamque nostram cogitationibus, visionibus, signis quotidie commonere: nos autem hæc nonnunquam vnde veniant ignorare? Sæpe enim inuisibilium motiones inuisibiles sunt. Auenzoar Albumaron medicus Arabs scribit se à medico nuper defuncto per somnum accepisse optimum oculo suo ægrotanti remedium. Multa generis eiusdem quotidie nobis eueniunt. Plato in libro legum nono tradit, eorum qui occisi sunt animas sæpe interfectores hostiliter insequi. Vnde fortè contingit, vt occisi hominis vulnus, etiam iacente cadauere, in eum qui vulnerauerat, si modo ille comminus instet vulnus ipsum inspiciens, sanguinẽ rursus eiiciat. quod quidem euenire nonnunquam Lucretius affirmauit, & iudices obseruarunt. Confirmat Platonis sententiam Posidonius Stoicus ex eo quòd duo quidam Arcades familiares cum Megaram venissent, alter ad cauponem diuertit: alter ad hospitem. Qui vt cœnati quieuerunt,

nocte visus est in somnis ei qui erat in hospitio, ille alter orare vt subueniret, quòd sibi à caupone interitus pararetur. Hic primò perterritus somno surrexit: deinde cum se collegisset, idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuit. Tum ei dormienti ille idem visus est rogare, vt quoniam sibi viuo non subuenisset, mortem suam saltem ne inultam esse pateretur: se interfectum à caupone, in plaustrũ esse coniectum, & supra stercus iniectum: peteret vt mane ad portam adesset prius quàm plaustrũ ex oppido exiret. Hoc ergo insomnio is commotus, mane bubulco prẽsto ad portam affuit. Quẽsuit ex eo quid esset in plaustro. Ille perterritus fugit. Mortuus erutus est. Caupo re patefacta pœnas dedit. Beneficij quoque memores esse animas defunctorũ, ex hoc coniiciunt Stoicorum nonnulli, quòd Simonides cũ ignotum quendam proiectum mortuum vidisset, eumque humauisset, haberetque in animo nauem conscendere: moneri visus est ne id faceret, ab eo quem sepultura affecerat. Si nauigasset: cum naufragio periturum. Rediit Simonides: cæteri naufragium fecerunt. Hæc omnia docent aliquid in nos agere animas defunctorum.

Ratio sexta, vt mundus ornetur, colatur deus. Cap. 6.

A Sed vt disputationem superiorem fine congruo concludamus, voluit diuinus artifex mundi opus sibi quàm simil limum facere. Tale est autem, si vbique sit ratione plenissimum. Profecto vt in ipso ratio est & vniformis simul & omniformis, sic in opificio suo animam vnam rationalẽ esse voluit, atque multas: vnius scilicet sphęrę vnam multasque multarum. Et quia sphæra quælibet suum imitatur totum, ideo multas etiã in sphęra qualibet collocauit: ita vt sicut sphæra sphæram, sic anima animas contineret. Tot verò saltẽ esse animas statuit in supremo, quot sunt stellæ: quæ cum sphæram imitentur suam, singulæ quoque circa centrum proprium reuoluuntur: propriorũque motuum proprios sunt sortitæ motores. Probabile enim est illas vltra sphæræ vitam proprias quoque vitas habere, si modo præstantiora corpora sunt quàm animalium terrenorum, quæ proprias nacta sunt vitas. Mitto quòd singulæ cælestiũ ani-

mæ & proprium circa intelligibilia intellectualem habent motum: & communem circa corporea animalem vnà cum vniuersali sphæræ anima: geminosque hos animarū motus sequuntur gemini motus in stellis: proprius simul, atque cō munis. Sic verò sphæræ minores perfectè imitantur maiores, quòd rationales similiter multas continent animas: quę & communem in fato, & propriam in seipsis habent conditionem. In omni igitur mundi sphæra vltra communē sphæræ cuiusque animam viuentia multa instituit rationalia: vt aliàs disputauimus. Quare oportuit in media quoque mundi sede talia quędam esse, vt esset in membris omnibus rationaliū turba quàm plurima, quæ hoc ornet colatque dei templum: atque deum artificem canat & laudet. Id agunt in altioribus sphæris mētes aliæ: id agunt humanę mentes in terra. Neque pectus hoc mortale futurum est, quod assiduè æternū dei resonat nomen. Nemo verò ob hoc diffidat esse multos in planetarum sphæris habitatores, quòd vnicus in qualibet earū planeta suspiciatur. Immo verò quia descēdēdo à summo semper, vt Platonici putant, numeralis habitātiū crescit turba: ideo in summo cælo ipsi stellarū numero dux vnus, id est ipsa sphæræ anima sufficit. Sed quoniam in singulis planetarū circulis habitāt plures q̄ in summo, atque inferiores: idcirco pluribus opus est ducib⁹. Quocirca duos in singulis duces id est animā sphæræ & planetæ animā illic deus instituit. Habitatores autē eiusmodi animalia vocant angelica, dæmonica, heroica deinceps atque humana ex anima rationali & corpore sphæræ suæ conguè constituta: quæ tamē nō videātur: quia vel minus lucis vel minus solidi habent q̄ stellæ atq; planetæ. Neq; id quidē mirū: cū nec sphęrę etiam in quibus sunt, videantur. Sequi verò eos & natura & motu & denominatione planetā suum, sicut planeta sphęræ animā, & sicut sphæra animā vniuersi. Denique concludunt si in extremis vtriq; mūdi sphęris rationales sunt multi: merito & in mediis esse multos. Nos autē quasi vicissim cōcludimus, si deus diuinis mentibus circūfusas ornauit sphæras: iure & mediā diuinis mētibus exornauit. Neq; spernēda est habitatio terræ, quę medius chorus est templi diuini, & tantarū sphærarū stabile fundamentū. Neq; paruifaciendū est quòd circa eā cæterę voluuntur sphęræ tanquam cardinem.

Quid quòd cælestium omnium radij in eã confluentes mi-
centur hic, virtutemque mira vnione mirabilem conseq̃ũ
tur? Quid quòd facies terræ viridis, instar cæli varia, perspi-
cuis corporibus tribus inuoluitur, aqua, aëreque & igne: ac
repercussa syderum radiis eos congregat in splendorẽ? Ideo
si in luna constitutus globum hunc inde prospiceres, talis ti
bi forsitan videretur, qualis tibi nunc à terra luna videtur:
putaresque eos qui hic habitant esse cælestes, stellamque a-
D liquam habitare. Idcirco Pythagorici terræ globum aqua
& aërẽ suoque igni quasi velaminibus suis circunuolutum
sphæram mundivnam ac stellam quandam nominauerunt.
Et Plato terram vocat deam antiquissimam deorum om-
nium qui sint intra cœlum. Addit ingentes terræ regiones
habitari nostris admodum altiores, vbi lapides, metalla, plã
tæ, animalia sint nostris mirũ immodum prestãtiora atque
pulchriora: vbi homines diutissimè viuant, modicisque ali-
mentis, cum preciosissima sint, odoribusque feliciter nutri-
antur. Mitto quòd Diodorus Pliniusque narrant alicubi ho
E mines solo etiam odore nutriri. Illud certe mirabile, quod
Olympiodorus Platonicus scribit: Aristotelem vidisse ho-
minem qui dormiret nunquam: soloque aëre radiis solis ex
posito viueret. Hæc illis ferme similia, quòd in diuinis hor-
tis quasi campis Elysiis homines sola arboris vitæ gustatio-
ne immortales viuere potuissent. Sed vt ad institutum ordi-
F nem reuertamur, Timæus Moysen imitans, inquit deum
in principio igneum cælum terramque creasse, quasi præci-
pua mundi membra: atque vt duo hæc aptius inter se vinci
ret, aërem mox aquamque interiecisse: quasi non sui, sed il-
lorum gratia sint inuenta. Quod si liceret paulo latius (vt
sæpe solemus) cum antiquis nostris confabulari: referrem
equidem præcipuam propriamque naturam ignis lucẽ esse
potius quàm calorem: primò, quia illa diuinior est. Secun-
dò, quia illa citiꝰ agit. Tertiò, latius se diffundit. Quartò, nõ
sicut calor abeunte igne, quasi cæteris quoque communis,
quodãmodo in calefacto relinquitur: sed tanquã igni ma-
ximè propria, nullique permixta, suum vbique sequitur ig-
nem. Quintò, quia ignis quo magis alienæ soliditati mi-
scetur, eo feruet magis lucetve minus. Contrà verò quate-
nus in puritatem propriam restituitur, eatenus vrit minus,

lucetve magis. Quorsum hæc? vt intelligamus cęlum esse ignem, cuius proprium sit actu quidem lucere, virtute verò calere: vt non immerito dici possit cæleſtem ignem esse lumen cuius calefactoria virtus nulli per se noxia sit, sed blanda omnibus atque salutaris. Vnde & æthereus sub luna ignis quodammodo cæleſtem secutus, aërem proximum nõ consumit. Quod autem virtus quæ in supremo igni tantũ salutaris est & blanda, penes ignem inferiorem à superiori specie differentem mordax (vt ita loquar) euadat, hinc efficitur, vel quòd asperitati terrenæ miscetur: (vnde in solidiori ficciorique materia vehementius vrit) vel quòd reflexione quadam cogitur: & quasi vim patiens, vim etiam infert. Ideo in liberiori aëre tangenti vbique blanditur: sed inter concaua percussa percutit: atque speculo concauo violentius repercussa, violentius & ipsa repercutit. Quanuis autẽ totum cælum per ignem potissimum describatur: tamen cætera quoque elementa, sed modo cæleſti, subiungunt. Igitur in cælo vbique prævalet ignis: sed alibi vnà cum quadam cę leſtis terræ soliditate. quod patet in manifeſtioribus ſtellis: quæ quoniam soliditate quadam obsistunt radiis oculorũ, ideo licet remotissimę sint, tamen perspicue discernuntur. Alibi verò ignis subiuncta quadam cæleſtis aquæ proprietate viget in orbe præcipue lacteo: ideoque ibi ſtellæ, quantum fert aquæ natura, videntur. Denique passim ignis addita aërea quadam perspicuitate regnat. Quo efficitur, vt in sphæris plurimum dum pro sui aëriſque natura non obsistit oculis, non videatur. Quòd autem quædam elementorum naturæ in cælo sint, omnes astrologi confitentur. Hinc cam pi apud poëtas Elyſij. Hinc & illud, Beati mites: quia ipſi possidebunt terram. Hinc & Dauid & Moyses aquas per cæleſtia fundunt. Iterum quorsum hæc? Vt concludamus, ſi elementa quodam cæleſti modo in cęlo reperiuntur, posse vicissim in elementis quoque elementali quadam conditione cæleſtia similiter reperiri. Maxime verò in terræ globo: quod alterum præter cęlum mundi est fundamentũ: in quo licet terra prævaleat, sicut in cælo ignis: tamen perinde atque in cęlo aqua aër igniſque adiungitur. Denique super lunam ignis, infra verò terra vbique regnat. Atque etiam prope ipsum mundi centrum per terreños hiatus flumina, ignis

& aëris & aquæ vndique fluunt. Quamobrem nemini mirum videri debet & cæleſtes animas ad terrena demitti, & A viciſſim peregrinos habitatores terræ ad cæleſtia quandoque remitti. Denique qualiſcunque terra ſit, huius homo eſt dominus. Eſt vtique deus in terris. Neque eò minus diuinus putandus eſt hominis animus, quia corpore fragili circundetur, ſed ideo diuiniſſimus: quoniam etiam in fece terrena, ſi modò terra ſit vilis, contra tum loci naturam, tũ corporis ſarcinam, tam diuina opera peragit, vt dum inferiora gubernat, à ſuperioribus non diſcedat. Platonici omnes, qui B bus conſentit Dionyſius Areopagita, naturale diuinarũ mẽtium officium eſſe cenſent, vt maneant in natura ſua, vt pro uidendo agendoque procedant: vt ſe ſuamque originem agnoſcendo conuertantur ipſæ, ſequentiaque conuertant. Igitur anima tanquam diuina tria hæc pro viribus explet: atque ad hanc inferiorum gubernationem non tam amatorio affectu allicitur propter affinitatẽ, quàm ingenito quodam prouidentiæ ſtudio propter naturæ præſtantiam. Nam præſtantiſſima quęque intimę perfectionis exuberantia ſeſe latiſſime propagant. Atque vt Plotinus ait, ipſum bonum effuſo ſplendore procreat intellectum. Intellectus quoque C dum explicatur, animam exprimit rationalem. Anima ipſa ſe propagans, vitam efficit formamque corpoream. Hinc Dionyſius Areopagita. Certè diuina vnitas cunctis vnita, in uicem vnit cuncta, dũ ea quæ inter ſe ſunt æqualia, propter qualitatis ſimilitudinem in vnum congregat mutua quadã conſenſione: inferiora verò propter indigentiam ad ſuperiora conuertit fruendi cupiditate: ſuperiora propter abundantiam ad inferiora deflectit ſtudio prouidẽdi, quò diuinam prouidentiam imitentur. Animas autem rationales di D uinam prouidentiam modis quatuor imitari Platonici diſputant. In primo quidem gradu animam mũdi collocant: in qua vniuerſalis circa mundum ſub deo ſit prouidẽtia, per quam omnibus omnia largiatur. In ſecũdo vero duodecim ſphærarum animas, in quibus vniuerſalis particularis proui dentia ſit: per quam videlicet mundanis omnibus nonnulla diſtribuant. In tertio animas tũ ſtellarũ tũ numinũ quorũlibet in quauis ſphæra mundi regnantiũ. Apud quos eſſe cẽ ſent prouidentiã particularẽ vniuerſalẽ: qua ſcilicet nõnullis

mũdi mẽbris, quę ipsis congruũt singula tribuãt. In quarto denique particulares animas: illas videlicet quę ab intelligibili ad sensibile, vicissimq; recurrũt. Quarũ esse prouidẽtiã particularẽ adeo putant, vt aliqua iã tantũ aliquibus impartiant: præterea multis vitarũ cursibus impleãt: quę & superiores paucioribus periodis agũt, & prima vnico circuitu cõplent. Sanè Plotinus Proculusq; disputant, quẽadmodum vnus mundi circuitus multos cõplectitur, Saturnios, Iouios, Martios, Solares, alioſque deinceps: sic vnum animæ munda E
nę per species suas circuitum intimum, multos animarum particularium continere: quippe cum sublimior anima longiorem circa intelligibilia orbem peragat, inferior breuiorem. In his equidem recitãdis prolixior esse volui, quoniam Platonici per hęc potissimum tam ea quę in hoc capitulo sunt, quã quę in capitulo prẽcedente tanguntur, explanari confirmariq́ue existimant. Sed talia quędam ipsi viderint. Mihi verò narrauisse sufficiat.

Tertia quæstio, quam ob causam animi si diuini sunt, perturbationibus afficiuntur. Cap. 7.

QVærebatur tertio, quam ob causam animi si diuini F
sunt, perturbationibus sunt subiecti. Sed nemo id vnquam admiraretur, si quandoque considerarẽmus nulli menti corpus fuisse tributũ onerosiusquàm humanæ. Profecto mentes sphęrarum, syderum, atque dęmonum sublimiorum, simplicibus præsunt corporibus, quæ sua quadam similium partium vnitate vsque adeo constant, vt non effluat sui quicquam: ideoque nec influat noui quicquã oportet. Naturali rursus agilitate ita vergunt ad motum, vt leuissimo illarum mentium nutu viuant & moueantur. Contrà corpus humanum ex elementis quatuor pugnantibus est compositum, & aquæ terræque pondere retardatur. Quapropter partium suarum tum dissensione penè quolibet momento dissoluitur, tum pondere decidit, fitque ad vitam ineptius, pigriusque ad motum. Propter ipsam quoque interiorem dissensionem in qua humores inuicem se expellunt, effluit aliquid semper è corpore: ac rursus oportet vt influat.

Quare ad corpus huiusmodi conciliandum, mouendum, in
staurandum, impensissima opus est animæ nostræ attentio-
G ne. Huc tendit Platonicum illud. Sublimia corpora ad subli
mes accedunt animas: inferiores animę accedunt ad corpo-
Nota ra: quia videlicet illa illis facillime cedunt: hæ verò his dif-
ficillime. Quod si sublimiorum illarum mentiũ aliqua cor-
poris nostri claustris ad decenniũ clauderetur, forsitan non
multo minus quàm noster animus fatigaretur onere, & cu
ra solicitaretur: ac illius diuinitati diffideremus, vt modo
H nostræ diffidimus. At dicet aliquis mundi animam corpus
Mundi habere ex quatuor compositum elementis aduersantibus
anima inuicẽ: neque tamen ea cura fatigari, vt nostro corpore no-
fatigatur stram. Sic est planè. Sed ipsa elementa quæ corporis mun-
vt nostro dani sunt membra, non elementorum aliorum partes sunt,
cum sed tota & integra elementa non sunt extra loca naturalia:
sed in suis quæque dispositа regionibus. Non sunt confusa
inuicẽ vndique: sed propriis sedibus sunt discreta. Non sunt
externis subiecta corporibus. Nullum enim corpus extra
mundũ est. Contra verò corporis nostri ignis non totus est
ignis, sed pars aliqua amplioris. Sic reliqua tria. Idcirco im-
perfecta sunt huius corporis elementa. Sunt etiam extra lo-
ca ipsorum propria: propterea ignis & aër qui sunt in nobis,
semper hinc fugiunt ad sublimia: aqua terraque ad infima
decidunt. Difficillimum verò est imperfecta perficere, con-
ciliare pugnantia, extra locum naturalem corpora detinere.
Sunt etiam in nobis quatuor illa permixta in qualibet par-
ticula corporis: quo fit vt pugna passim ferueat vehementi-
or: in mundo autem alicubi discernuntur quodammodo, pa
catiusq; quiescunt. Multa quoque & ingenita extra nos sunt
quæ nobis vndique imminentia corpus affligunt: quibus o-
neribus & laboribus neque anima mundi premitur, neque
etiam elementorum animæ: quarum corporibus quicquid
accedit aut decedit, vix atomi vnius momentum habet. Tẽ-
perata quoque est vndique restitutio: neque vsquam natu-
ralis dissonat harmonia: harmonia inquam sphærarum salu
ti conducens. Sed neque illæ, quanuis diuinissimæ possunt
Sphærarum ignis et aquæ mundum vsque adeo sphærarum impetum cohibere, quin & elemen-
sæpe perdunt torum partes & composita corpora se inuicem deuorent at
que perdant, & illuuiones ignis & aquæ mundum sæpe per-

turbent. Atqui qualitates eiusmodi repugnantes nõ possent à cælo aliquo pacto produci atque duci, nisi in eo earum virtutes essent. Neque in cælo essent, nisi in motoribus conditoreque cælorum essent. Sed in deo vna forma sunt, ratione dũtaxat distinctæ: in angelis verò formis insuper distinguũtur: in animabus motu: insuper ac tempore: in cælo etiam loco simulque virtute: sub cælo denique effectu atque repugnantia. Quorsum hæc? vt intelligamus sphærarum elementalium animas haud tantam habere potentiam, vt qualitates quæ in cælo inter se non pugnant, ita moderentur atque concilient, vt sub cælo nõ puguent inuicẽ, & se interimant. Sunt qui dicant cælestem substantiam præstantia sua illas conciliare: materiam verò quæ sub elementis est, deformis, instabilis, inefficax, neque illas simul capere posse, neque cõciliare. Vtcunque sit: apparet elementorum animas, si animas habent, illas omnino simul pacare non posse: quod neque etiam mundi anima potest: vt non mirũ sit animas nostras in contemperandis humoribus adeo laborare, & in regione dissonantiæ dissonare. Omnino autem assignata superioribus animabus est tam facilior quam felicior gubernatio. Quod si noster animus mundani corporis gubernaculis præesset vt illæ: eadem fortasse qua illæ facilitate disponeret. Sed erant etiam in particulas terræ mentes aliquæ mittendæ diuinæ: ne mundi rex minus in terræ partibus quàm in cælis elementisque totis celebraretur. hoc nostris obtigit animis. Scribit Hippocrates, mutationes quæ & repentinæ sunt, & maxime ad oppositum: maximos diuturnosq; morbos inferre. Plato verò in libro de repu. septimo, animam in corpus labentem repente à summa luce in extremas tenebras ruere arbitratur: vt non mirum sit eam diutissime cæcutire atque turbari. Auget turbationem eius (vt disputat Proculus in Timæo) quòd ab vnitate in multitudinem dissonantem, à statu in mutationẽ omnis ferme quietis expertem delabitur: vnde distrahitur semper, & quasi affecta vertigine titubat & vacillat. Neque eam permittit facilè à tot fluctibus tantisque procellis emergere sua illa vitalis vmbra naturaliter corpori tradita, ergo quam ceu prolem amore vehemente afficitur: atque illa quotidie patiente, ipsa quoque suo modo compatitur. Forte verò quamdiu

anima seipsam nequaquam animaduertit, nihil aliud se putat esse quàm vmbram palam in flumine corporis apparen
B tem, quemadmodum Plato in septimo de repu. docet. Neque aliter turbata hac vmbra, ipsa quoque se turbat, quàm si pueri rudes cum videant vmbras suas in aqua confundi: grauiter lamententur. Talem verò in animabus ordine Platonici ponunt: alias videlicet in generationem, id est generabile corpus nunquam descendere, quales sint animæ vel diuinæ, vel proximæ: alias descendere quidem in generationem, & à meliori vita in minus bonam: ita tamen, vt inde nequaquam inficiantur, malumve aliquod subeant: quales inter dæmones heroesque connumerant: alias descendere tã simul, atque quodammodo vitiari, sed purgari posse iterum seque rursus ad meliora transferre. Addunt in summis animabus neque secundum essentiam neque secundum actionem vitium reperiri: sed in infimis animarum vmbris secundum vtrunque. In nostris autem vitiari quidem actionem posse, essentiam verò nequaquam. Plerique putant humanæ vitæ difficultatem hinc insuper augeri, quòd motus & habitus animæ quatenus intellectualis rationalisque est,
C circuitus esse debeat. Similis quoque ætherei vehiculi motus atque figura. In corpore verò composito anima vegetando, sentiendo, progrediendo rectum quodammodo subit motum, dimisso circuitu. Vehiculum quoque motum figuramque suam mutare compellitur. Quòd etsi secundũ substantiam non destruitur, quia vt quidam putant, materia caret: tamen secundum figuram motumque turbatur. Quæ tunc demum recipiet, cum primum animus in caput suum id est mentem erectus in habitum suum prorsus restituetur. Quem tã diu amisisse videtur omnino, quandiu per intemperantiam caput id est mentem figit humi: pedes autẽ, id est inferiores animæ vires extollit in altũ: quo quidẽ habitu nihil aut deformius aut laboriosius potest excogitari.
D Sed cur non est datũ nobis aëreum corpus aliquod, in quo terram coleremus, & liberius specularemur cælestia? Quoniam aëri sui adsunt spiritus: defuissent hoc modo terrę. Ac si corpora simplicia ratione nõ carent, debent aliqua rursus cõposita terrenaque corpora ratione pollere: vt mundus hic corporeus ita totus sit rationalis, sicut spiritalis ille mũdus,

ad cuius exemplar hic est factus, totus est ratio. Voluit autē pater ille optimus sacerdotes suos qui in sphæris superioribus eum cantant, manere ibi semper eosdem: quoniam propter loci felicitatem sine labore illic agunt vitam. In terris verò sacerdotes suos diuturnas moras trahere noluit: quoniam non debetur labor perpetuus aut longus iis qui sedulo deum laudant. Ideo demittit huc eos quotidie, atque reuocat: vt per successionem in terris fiat semper, quod fit per eandem vitam semper in cælis. Mitto quòd multi etiam in aëre animas dæmonū heroumque putant corpora quanuis tardius, tamen aliquando in melius permutare. Verū habeat, dicet quispiā, noster animus corpus onerosius quàm mentes aliæ: atque ideo solicitetur quandoque, & magis quàm aliæ à speculando prohibeatur: cur autem fragilius corpus habet quàm bestiæ? Non quia fragilius habet corpus, ideò putādus est minus esse diuinus: immo quia est diuinior, corpus habere fragilius. Disputauimus aliàs, corpus nostrū esse terrenorum omnium temperatissimū, cæloque simillimū: vt cœlestis animi muneribus pacatius ministerium præbeat. Hanc verò tēperantiā necessario sequitur imbecillitas. Cōplexio in qua nimis excedit calor, vix à calore & frigore leditur. Nā calor ingens remissiores calores exuperat, vt eius cōparatione vix appareant: & frigoris impetū frangit. Ac si in aliqua cōplexione frigus excellat: nō quælibet frigiditas extrinsecus iniecta percipitur, & æstus facilè toleratur. Similiter vbi humiditas aut siccitas pualet. Vbi vero hæ quatuor qualitates mediocres sunt, & cōsona tēperatione miscētur: quæcūque noua qualitas aduenit, excedere cogit aliquā ipsarū quatuor qualitatū: qua excedēte, prioris cōplexionis cōsonantia perit, & naturalis habitus dissipatur. Ergo quia necessaria fuit homini complexio terrenorum omnium temperatissima, hæc verò quibuslibet offensiunculis læditur: consequens fuit vt imbecilla esset corporis humani natura. Huic tamen imbecillitati subuenit diligens artium nostrarum industria: qua fit vt temperantia nostra contra mundi procellas diutius perseueret. Sic enim adæquauit omnia diuinus artifex, vt in bestiis cū imbecillitate animæ vires dotesve corporis, in nobis autē cum corporis imbecillitate vires animi compensaret: atque ita significaret bestiarum

animas morti corporis deputatas esse, nostras autem vitæ mentis perpetuæ dedicatas: quas tamen oporteat semper extra patriam laborare. Nam temperata complexio quæ speciei humanæ maxime naturalis est, vt diximus: ob innumerabiles causas tum ab initio in multis, tum quotidie in singulis vndique dissonare compellitur. Ideoque continuat & impensissima attentione animæ opus est, etiam si minime aduertamus, ad temperationem ipsam naturæ restituendã. Durissimus hic perpetuusque vegetatricis potentiæ labor: non solum & remittit admodum & intermittit mentis intentionem, vnde quasi mente non vtimur: sed etiam multis nos clam perturbationibus afficit, & quasi somniantes exagitat. Nempe dum in qualitatibus his aut illis contemperandis obnixius operatur, ipsa interim ad hæc congruis suis seminalibus rationibus vtens suscitat sensim in superiore sensu imagines affectusque ad qualitates illas maxime pertinentes. Igitur in tractanda bile latenter insurgit ita, vel ad iracundiam procliuitas. In agitando sanguine, lætitia vana. In pituita tædium & pigritia. In atra bile timor & mœror. Sæpe verò adeo imagines affectusque huiusmodi inualescunt, vt vacãte omnino circa talia ratione sequatur insania. Præterea in multis dum crassiores spiritus tenuare molitur, hebetissimos arguit. Dum in aliis laxiores spiritus congregare studet: contemplationis assiduitati memoriæque ineptos ostendit. Quod siquando spirituum siccitatem colligere animum dicimus, sic accipi volumus, non vt agat in animum, sed vt animus in congregandis spiritibus non laboret, vnde cogatur à contemplatione diuerti. Denique sicut sensus exterior dum circa molesta versatur offenditur: sic & interior plurimum intrinsecas spirituum offensiones percipiens à variis illatas humoribus atque causis, molestas imagines affectionesque suscitat.

H De causis onerosæ gubernationis iam satis. De vitiis autem animi etsi nonnihil diximus, aliquid insuper est dicendum. Anima quoniam in medio mentium corporumque confinio creata est: non solum diuinis inhiat, verum etiam naturali prouidentia & amore materiæ iũgitur: atque in ea per vmbratilem quandam vitæ suæ communionem

nem animatum corpus disponit: deinde ipsum tanquam opus suum & prolem propriam diligit. Amor animam naturalis corpori iunxit: amor eam naturalis in corpore detinet. Amor idem quotidie ipsam ad cultum corporis prouocat. Mitto quòd Plato in legibus probat, Plotinusque comprobat, animam cum antecedat corpus, eique dominetur: non tam à corpore corporeum affectum habere, quàm per affectum eiusmodi suum sese in corpus immergere. Quæ quidem sententia Zoroastri & quodammodo Moysi conuenit dicentibus mala corporis à culpis animæ proficisci. Sed vtcunque sit: anima quidem corpus amat: onerosi autem & fragilis natura corporis postulat vt vitalis animæ virtus sumo nixu sustentet ipsum & moueat: atque vt sensus & phantasia, quę prodesse corpori possunt, quęve obesse, assidue circunspiciant, ac pro corpore quasi animæ filio cupiant, timeant, lætentur, & doleant. A prima origine tres eiusmoid vires huiusmodi opus aggrediuntur tanta quidem intentione propter recentis corporis fabricam, vt nulla penè sit animæ attentio ad rationem priusquam adulto corpore & purgatis sensibus remittat operis huius intentio. Verum cum primum ratio expergiscitur: summa cum difficultate imperiũ phantasiæ diuturno vsu in anima confirmatũ debilitat: quippe cum arduum sit vel naturæ vel habitui repugnare. Hic autem tam contra confirmatum vltra naturam habitum, quàm contra naturalem affectum est pugnandũ. Id tamen diligentiori disciplina tandem assequitur. Sed interim ipsa etiam ratio propter naturalem cognationem prouidentiãque tres illas inferiores diligit vires quasi germanas aut filias. Ideo sæpe illis obsequitur. Illæ corporis naturaliter agunt curam. Igitur & ratio per illas amore declinat ad corpus. Ex diuturna declinatione habitũ sibiipsi contrahit procliuius inclinandi. Habitum huiusmodi, vitium, immo etiã quendam (vt ita dixerim) interitum appellamus: quoniam sicut in multis fieri solet animalium speciebus, postquam vis inferior in corpore fabricando naturalibus se circum filis inuoluerit, sæpe vis superior cœptum opus solidiori paulatim contexit tela: atque sub durissima tandem textura se clam includens, ipsa se perdit: non prius in lucem resurrectura, quàm textura concreta frangatur. Quamobrem non vi-

tiatur animus diuinus à corpore, neque cogitur: sed ipse amore animati corporis (quod & opus suum, & instrumentum est) ad ipsum è suo statu sponte se deiicit, vt ad se illud extollat. Neque desunt inter Platonicos qui dicant, præsertim Hermias, quosdã esse dæmones generationis fautores, qui inclinationẽ animæ ad corpus naturaliter augeant. Certe Plato in libro de pulchro, quasi sicut Moyses, inquit dæmonem quendam ab initio voluptatem plurimis malis immiscuisse. Mitto quòd in epistolis ait dæmonem bona publica turbauisse. Sed de his in sequentibus. Redeamus interim ad animæ prouidentiam: Cum omnium diuinarũ mentium proprium sit quòd superiora intueantur, quodque inferioribus prouideant: idem quoque animæ nostræ est proprium, quæ non modo corpus suum, sed etiam terrenorum omnium, & ipsius terræ corpus curat & colit. Sed hæc prouidentia quanto grauior est, quia res curat fragiliores, ineptioresque ad ordinem obseruandum: tanto magis distrahit à superioribus speculandis: neque tamen omnino. In omni enim ætate per intellectum omne verũ inquirimus: per voluntatem omne bonũ amamus: per operationes deum qui omne reuera bonum est, colimus. Tria hæc honestatis officia significant, animam etiam in tanta maris huius tempestate cælestia semper suspicere: quibus suspiciendis vehemẽtiore illorũ amore quotidie capitur. Amore huiusmodi feruescent, deferuet paulatim corporis amor per quẽ vitiatus fuerat animus: & vitij maculæ abolentur. Quapropter animus nunquam cogitur aliunde: sed amore se mergit in corpus: amore emergit è corpore. Huc tendit diuinũ illud: Qui amat animam suam in hoc mundo, perdit eam. Qui hic odit: in vita æterna recipit eam. Qualis autem in hoc pelago fiat videaturque, sic in decimo de repub. Socrates exprimit. Quemadmodum si quis marinum Glaucũ longo iam tempore vndis attritum atque distortum, præterea petris, alga, ostreis obsitum viderit, non marinum, sed siluestre potius animal opinabitur: sic nos dum animam terrenis affectibus & habitibus distractam circunfusamque videmus, terrenũ quiddam potius quàm cæleste nos videre putamus. Verum si nudauerimus eam, considerauerimusque puram, atque diuinorũ amore iam ex hoc pelago emergentẽ: proculdubio

cognoſcemus animã propterea ꝙ diuinis ęterniſq; cognata ſit, talia quædã appetere: & cũ primũ pura euaſerit, tangere: cũque iis in ſerena luce verſari: eaque conſuetudine diuinã prorſus euadere. Hactenus Socrates. Quãdo igitur viciari animã dicimus: nõ tã amittere ſua q̃ aliena id eſt inferiora in ſe admittere intelligi volumus. Huiuſmodi autẽ vitiũ naturã non perdit, ſed occupat. Sed ne quis noſtrũ animũ ob id eſſe corporeũ opinetur, quòd corporeis quotidie cauſis inficivideatur: operæpreciũ eſt audire diuinũ Paulũ apoſtolũ clamantẽ, nõ eſſe nobis colluctationẽ aduerſus carnẽ & ſanguinẽ: ſed aduerſus multas dæmonũ turbas, quæ in hoc caliginoſo aëre inter nos verſantur. Hos autẽ priſci theologi, quod Origenes Auguſtinuſque confirmant, aëreo corpore indutos, motu agiles, perſpicaces ſenſu, mirabili rerũ ſciẽtia præditos arbitrantur: aëreiſque corporibus ſuis aëreo ſpiritui noſtro penitus illabi: atque ſicut quilibet homines per indicia externa quodammodo, ac peritiſſimi quique præcipue intrinſecos augurantur affectus: ita ſagaciſſimos dęmones non per externa ſolum indicia, ſed etiã per ipſos noſtrorũ ſpirituũ motus, qui à phantaſia ſæpius incitãtur, attentiores quotidie notiones acrioreſque affectus, vnde ꝓprie ſpiritus ipſi mouẽtur, aucupari. Hinc ergo fieri, vt qua via quẽque perturbare facilius valeant, rectiſſime calleant: atque ipſi perturbatione quadam affecti nos quotidie turbent. Perturbationis huius motum ita potiſſimum fieri arbitramur. Mouent ſane aëreum in nobis ſpiritũ aërei dæmones: quo quidem quaſi vibrato & humores mouentur in corpore, & in phantaſia imagines excitantur. Sed quonam pacto? Nempe in ſanguineo corpore ſanguinem, imagineſque quodãmodo ſimiles ſæpius cõmouentes, ad inanes animũ voluptates alliciunt. In cholerico verò bile conuenientibuſque bili imaginibus irritatis, iras & prœlia ſuſcitant. Sed in phlegmatico dum pituitã augent, congruaque ſimulacra ignauia & torpore nos occupant. Denique cũ in melancholicis atrã incitant bilem, timorem mœroremque incutiunt: phantaſiam falſis territant vmbris: animum opinionibus ſæpe falſis illudunt. Id totum poſſe à dæmonibus fieri, præſertim atræ bilis incitamento, Serapion & Auicenna ex antiquorũ philoſophorum ſententia narrant: atque ipſi non negant.

Non enim consentaneum est, diuinam mentem à sensibus aliter quàm ad idem dæmonibus contendentibus, adeo falli atque impugnari. Sed eiusmodi inuidorum ambitiosorũque dæmonum violentiam expugnari Platonici per philosophiã & sacrificia posse putant: quod Orphici nobis hymni demonstrant. Christus autem verus medicus animorum ieiunio atque oratione hoc fieri præcipit. Si dei ipsius oraculum philosophice liceret exponere, ieiunium interpretare abstinentiam ab his rebus quæ talem aut talem vel augent humorem, vel imaginem affectumque mouent. Orationẽ vero exponerẽ tam vehementem in deum cõuersionem, vt & animus stimulos dæmonum non aduertat, & dæmones expugnare mentem deo deditam se posse diffidant. Sed disputationem iam concludamus. Nemo igitur dicat animam hominis ob hoc minus esse diuinam, quòd in curando corpore solicitetur, quod vitietur. Multo enim durior mẽti nostræ prouincia quàm reliquis mentibus assignatur. Neque vitiatur à corpore anima, sed ipsa nimium corpus amando se vitiat: ipsa se purgat. Neque putandũ est ex eo deesse nobis diuinitatem, quòd anxij multo magis quàm bestię viui mus. Immo ex hoc maxime diuini sumus, quòd priuati ad tempus habitatione patriaque cælesti, scilicet quandiu dei vicarij sumus in terra, solicitamur continue, etiã si hoc minime aduertamus, cælestis patriæ desiderio: neque vlla terrena oblectamenta consolari in hoc exilio mentem humanam possunt rerum cupidam meliorum.

Quarta quæstio, quare animi à corporibus inuiti discedunt.
Cap. 8.

A QVarta nobis quęstio proposita fuit, quare si cælestes animi sunt, à terris tam inuiti discedunt? Primum quidem non omnes inuiti discedunt. Nam Theramenes, Theodorus Cyrenæus, Cleombrotus, & omnino omnes Hegesię Cyrenaici auditores sponte ac libentissime decedebant. Gymnosophystę quoque Indorum philosophi, & Gethæ Thracię populi, apud quos lugebantur puerperia, natique deflebantur: funera autem festa erant & veluti sacra lusu cantuque celebrabantur. Mitto innumerab iles a-

lios milites,ciues, philosophos, religiosos: mitto primitias christianorum. Mitto quòd non omnes morientes lugent, lugent aut nascentes omnes:& quasi inuiti à lachrymis terrenum hoc iter auspicantur tanquam exiliũ. Deinde in his etiam qui mortem horrent: non tota(vt ita loquar)anima expauescit. Siquidem ea pars nostri quæ discedendo pergit in melius:non modo semel non decedit inuita,sed etiã quotidie sponte discedit. Quid per philosophiam moralem aliud agimus, quàm vt animam ab affectu corporis seiungamus? Quid per philosophiam speculatricem aliud,quàm vt rationem à sensibus seuocemus? Totum hoc philosophiæ studiũ,vt inquit Plato,est meditatio mortis. Siquidẽ mors est animæ à corpore liberatio. Nec terribilis mors est philosophis,atque similibus:quoniam familiaris illis & domestica est: nec latet eos qualis futurus sit post obitum puri animi habitus. Talis enim erit,qualem ferme experiuntur quotidie in summo contemplationis fastigio. Tranquillus videlicet atque serenus:& idearum formulis quasi stellarum radiis circunfusus: & diuini solis splendore coruscans. Hinc propheta Daniel: Fulgebunt docti tanquã splendor firmamenti:& qui multos ad iustitiam erudierint,tanquam stellæ in perpetuas æternitates. At ea pars animæ abit inuita, quæ corpori duntaxat alendo atque tuendo tributa est:quoniam abeundo naturali quodam officio vacat, & amicum deserit suum. Quinetiam ratio in plerisque amat nimium inferiorem hanc animæ partem: quo fit vt quodammodo eius doleat detrimento. Plotinus autem non partem animę vocat propriè,sed simulacrum quoddam animę substãtialis vmbratile. Probat enim hominem esse ipsam rationalem animam:quæ quidem permanens in seipsa,sub se generat animal: neque ex se & corpore proprie animal componit vnum,sed potius ex corpore tali, atque vitali quodam sui simulacro membris infuso. In quo quidem animali sensus illi sint qui externa corpora cum quadã passione percipiunt, phantasia quoque & confusa prorsus & perturbata. In ipsa verò animæ rationalis substantia sit impatibilis vniuersalisque sensus, non ad sensibilia sed ad imagines passionesque quæ in sensibus animalis illius sunt,aspiciens. Sit & ratio,q̃ suscipit mentem. Et quatenus ipsa tum in se regitur,tum in

mẽtem erigitur: ſeparatione proficere atque gaudere. Quatenus autem quodam prouidentiæ munere & formatanimal, & reſpicit iam formatum: commercio quodam cum corpore delectari. Sed pergamus ad reliqua. Nonnulli etiã cruciatũ qui in diſceſſu ſentitur, magis metuunt quàm diſceſſum, quem vel ſuauem fore quaſi ſoporis oppreſſionẽ. Timæus docet, ſi reſolutione quadam fiat propter naturæ maturitatem: non autem ſuffocatione propter incontinẽtiam. Plurimi autem hoc dolent diſceſſu, quoniam non putant ſe ſuis operibus viſionem merciſſe diuinam: vnde efficitur vt diuturnas aut perpetuas mentis tenebras expauescant. Adde quod plurimi vitæ huius blandimenta quibus ab initio irretiuntur, ægre relinquunt. Sunt & qui propriæ diuinitati diffidant: quia diuinum puræ mentis ſplendorẽ inſpexere nunquam, ſed mortalem corporalium ſimulacrorum caliginẽ animæ per ſenſus infuſam. Et qui ſplendorem mentis rationis oculis nondum philoſophia purgatis acriter intuentur: radiis eius reuerberantur, hebeſcuntque, & ambigunt. Nam cum nihil ſit oculis rationis magis præſens quàm ipſa mentis ſubſtantia, non eſt veriſimile eam propter minimam ſui lucem eſſe nobis ignotam, ſed propter maximã. Qui ergo & puram mentem & purgatis oculis rationis inſpiciet: is nõ modo non diffidet, ſed ipſam reuerebitur tanquam numen. Sed licet diffidant nonnulli, plurimi tamen confidunt. Et illi ipſi qui videntur diffidere, ſperant ſimul ſe fore perpetuos. Neque poteſt vnquam ſpes huiuſmodi ex animo noſtro penitus extirpari, vtpote quę ſit nobis naturaliter inſita. Solent illæ ſpecies eſſe fallaces, quæ aut caſu quodam aut vſu à ſenſibus habent originem: qualem profecto non habet æternitatis opinio: cum ſenſus nihil percipiat niſi caducũ: & cogat nos ſuſpicari quandoque, ne forte qui deceſſerunt è vita, nihil ſint amplius poſtquam videntur nuſquam. Itaque immortalitatis ſpes naturalem ſequitur rationis inſtinctum, cum eam ſperet animus non modo non conferentibus ſenſibus, ſed inuitis. Ego certe nihil magis ſoleo admirari quàm quòd noſtrum id quiſque ſperet, quandoquidem ſemper inter caduca verſamur, neque tamen ſperare deſinimus.

Quod quidem ſignificat hanc ſpem naturæ firmitate con-

ſtare. Illud quoque conſiderandum arbitror, quòd videlicet non eſſet mirum, homines etiam ſi euidentiores de immortalitate rationes haberent, quàm de reliquis omnibus, adhuc tamẽ magis hac in re rationibus ipſis diffidere quàm in cæteris. Quod enim amamus multum, ei multum metui mus. Nihil autem magis quàm vitam diligimus ſempiternam, ob eam maxime rationem, quia maxime naturalis eſt nobis. Omnino autem ex ipſo mortis metu coniectari poſſumus aliquem nobis ſenſum ſuperfore poſt mortem. Nam F
ſi animus ideo timet mortem, quia perpetuas odit tenebras: atque à diuerſitate naturæ odium proficiſcitur: perpetua lux eſt animus. Aut ſaltem tenebras ſempiternas non aliter diſcernit quàm per lucem aliquam ſempiternam: hanc abſque immenſa luce contueri non valet. Si lux animæ quæ mens eius eſt, ita ſe habet ad ipſam lucem, ſicut animæ vita ad ipſam vitam: & lux animæ ſuper immenſam lucem reflectitur: neceſſariò animæ vita vitam complectitur infinitam.

Quinetiam quia vita magis cum vita congruit, quàm lux cum vita: ſi lux animæ ſuo modo, id eſt intelligendo vitam attingit immenſam: multo magis animæ vita modo ſuo, id eſt viuendo vitam aſſequitur infinitam.

Porro qui tenebras horret, ſecum ipſe conſultat nunquid ſemper victurus ſit abſque corpore: an defuturus.

Quæ quidem conſultatio ſignificat animum relicto corpore iam tunc ſeſe recipere in ſeipſum. Non enim reflectitur in ſeipſum corpus, neque eleuatur in vitam à corpore ſeparatam. In ea ipſa conſultatione diiudicat quanto præſtantior ſit vita ſempiterna à mortali corpore libera, quàm aut vita præſens, aut vitæ priuatio: exoptatque liberam & æternam. Iudicare autem ita & exoptare non poſſet, niſi talem vitam in ſeipſo prius experiretur. Si vita libera longe diuerſa eſt à ſeruili, & tamen animus corpore clauſus experitur ipſam, exercetque: quanto magis ſolutus à corpore eam poteſt implere? Præterea in eadem deliberatione diſceptat mens, nũ queat aliquid per ſe depoſito corpore agere, necne. Ac ſi queat, non diffidit ſeorſum à corpore ſe victuram, vbi iam nunc quanuis cum corpore ducat vitam, agit tamen ſine ipſo nonnihil, quando iudicat quid ſit & quale id ipſum quod dicitur ſine corpore operari.

Quis enim per corpus aliquod omne corpus abiiciat? Quis cum corpore hoc secernat corpora omnia? Quis operando cum corpore agat operationẽ illam quę fit sine corpore? Agit autem quodammodo operationem aliquam quæ est sine corpore, qui eam ipsam excogitat & effingit. Excogitatio enim actus est animæ. Quòd si dum est in corpore, agit G aliquid sine corpore: longe magis poterit sine ipso agere extra ipsum. Atqui quod mirum est, vsque adeò inuictus est animus, vt quicunque eius æternitati bellum indicunt, superentur ab ipso. Nam siue Lucretiani ignauè certent, non expugnatur, siue alij strenuè pugnent, quia eiusdem animi armis aculeisq; pugnant fortiter: immo animus ipse pugnat. Ideo animus ipse quando videtur succumbere, tunc maxime superat. Excellit enim quam maxime. Ac si se perimere videatur: videt denique se peremptum. Quividet quicquam adhuc spirat. Ex iis patet qua ratione si mortis metus à tenebrarum horrore proficiscatur, in eo ipso ostendatur immortalitas. Forsitan qui formidat mortem, non tam horret tenebras quàm vel pœnam vel mœstitiam vaticinatur & timet. Quod equidem potius arbitror. Ex quo etiam immortalitas declaratur. Sicut enim nemo cupit illa quæ profutura non sperat, neque prodesse putat nisi percipianturita nemo A metuit quæ nocitura non iudicat, neque arbitratur obesse nisi percipi possint. Cupido enim voluptatem in boni adeptione respicit, aut vitatione mali: metus dolorẽ in mali præsentia, aut absentia boni. Voluptas autem & dolor absque cognitione non fiunt. Ergo qui vitæ statum cupit propter voluptatem qua in tempore vitæ perfunditur: idem quoque statum post mortem metuit propter dolorem quẽ sit in eo tempore percepturus.

THEOLOGIÆ PLATONICÆ
De immortalitate animorum eodem Ficino authore,

LIBER DECIMVSSEPTIMVS.

Quinta quæstio, qualis sit animæ status antequam ad corpus accedat, qualis etiam post discessum. Cap. 1.



Ed iam disputationem quintam aggrediamur, per quam quæstio illa soluatur, quæ interrogabat qualis sit animæ status priusquam accedat ad corpus, qualis etiam cum discesserit. In rebus his quæ ad theologiam pertinent, sex olim summi theologi consenserunt: quorum primus fuisse traditur Zoroaster Magorũ caput: sedes Mercurius trismegistus, princeps sacerdotum Aegyptiorũ. Mercurio successit Orpheus. Orphei sacris initiatus fuit Aglaophemus. Aglaophemo successit in theologia Pythagoras: Pythagoræ Plato, qui vniuersam eorum sapientiam suis literis comprehendit, auxit, illustrauit. Quoniam verò ij omnes sacra diuinorum mysteria, ne prophanis communia fierent, poëticis vmbraculis obtegebant: factum est vt successores eorum alij aliter theologiam interpretarentur. Hinc turba Platonicorum interpretum in sex Academias se diuisit: quarum tres Atticæ fuerunt, reliquæ peregrinæ. Atticarũ vetus sub Xenocrate floruit, media sub Archesila, sub Carneade noua, peregrinarum AEgyptia sub Ammonio, Romana sub Plotino, sub Proculo Lycia. Verum cum sex fuerint scholæ Platonicorum, tres illæ Atticæ simul atque Aegyptia, quæcunque de animarum circuitu scripta sunt à Platone, aliter quàm verba sonarent accipiebant: duæ verò sequentes ipsam verborum faciem curiosius obseruarunt. Quo autem modo hæ duæ Platonica exponant mysteria, diligenter recenseamus.

Expositio Platonis de anima secũdum duas Academias vltimas.

De compositione animæ. Cap. 2.

PLato in Parmenide quidem deum vocat infinitum, in Philebo verò nominat terminum. Infinitũ scilicet, quia nullum aliunde accipit terminum. Terminum autem quia formis quasi mensuris passim distributis omnia termi nat. Hinc Platonici disputant: quatenus deus tanquam infi-

nitus omnem à se excludit terminum, eatenus ferme ex eo quasi vmbram pendere potentiam quandam quasi materia lem, termini cuiuslibet indigam, informemque natura sua, & vt ita loquar, indefinitã. At verò quatenus deus tanquam terminus vmbram suam respicit tanquam speculum, eatenus in vmbra iam velut imaginem resultare: infinitatẽque ipsam id est materiam communissimam formis ordinatissime terminari. Idem rursus ita confirmant. Si in deo semper est vniuersi faciendi potestas, merito semper extra deum vniuersi (vt ita loquar) fiendi est potentia. Non enim facere ille semper omnia posset, vt opinãtur, nisi semper fieri omnia possent. Potentia eiusmodi, materiam cõmunissimam id est vim formarum omnium æqualiter receptricem nominant: quæ natura sua neque ad ipsum esse vergat, alioqui superno formatore non indigeret: neque ad non esse, alioquin formatori non obediret: sed ad esse pariter atque non esse: item ad formas tales aut tales quasi medium quoddam æque se habeat, atque formatore determinetur. Sit quoque in omnibus vna non numero, non specie, non genere, sed analogia & proportione quadam potius, scilicet quoniam ab vno dependet: atque vnius dei infinitatem vtcunque potest modo quodam vmbratili repræsentat: quemadmodum & actus quodammodo vnus in omnibus nominatur: quoniã ab vno terminatore, & vnius terminationẽ imaginariè refert. Atque actus huiusmodi potentiam superat, propterea quòd à deo manat non fugiente vlterius sed iam respiciente materiã. Huiusmodi potentia in spiritibus nonnihil corporis habere videtur: siquidem in mentibus habet corporũ rationes: in animabus insuper motiones, in vtrisque formabilem facultatem. Rursus in corporibus incorporei non nihil videtur habere: quia & dum antecedit quantitatem, in diuisibilis apparet: & semper vires quasdam quodammodo incorporeas sustinet. Ex hac infinitate, ex hoc termino id est potentia receptrice formabilique, atque actu formali constare sub deo omnia putãt. Quod Maur⁹ Auicebrõ in libro fontis vitæ forte significat, atque theologi nostri breuiter ita confirmant, si creatura & quælibet & vniuersa esse sortitur à deo, certe ex se non est, atque ab illo destituta iã vltrà non esset. Quapropter esse potest atque non esse. Igitur non

Deus est summus actus. materia est summa potentia

F

G

est ipsum esse suũ, immo ad ipsum potẽtia est. Nihil verò ad seipsum est potẽtia, vel suscipit semetipsum. Semper enim agẽs dũ agit: quod potẽtia tale est, efficit actu tale. Quãobrẽ creatura ꝓducitur nõ ex eo ꝙ potẽtię potẽtia imprimatur: alioqui nondũ quicquã ederetur in actũ. Neque ex eo ꝙ actꝰ actui infundatur, vel idẽ sibiipsi cõcilietur: alioqui quod ꝓducitur, esset antequã esset. Sed in ipsa ꝓductione ꝓprie actus potentiæ adhibetur. Atq; hæc ipsa duo in creatura necessario distinguũtur. Alioquin esse ipsum creaturæ quia in seipso subsisteret, esset penitus infinitũ. Cũ igitur esse ab essentia differat: nũquid fit ab essentia? Minime. Nihil enim tanquã efficiẽs potest sibimet esse tribuere: itaq; aliũde accipit esse. Hinc ergo ꝓut capit, potẽtia est: quod verò capitur, actus cognominatur. Quare quicquid ꝓducitur, ex potẽtia & actu, id est essentia & esse cõponitur. Essentiã quidẽ potẽtiãq; ad infinitatẽ: esse verò & actũ ad terminũ Platonici referũt. Proinde in Sophista & Parmenide & Timæo quinq; rerũ numerãtur genera ex quibus ꝑter primũ omnia cõponuntur scilicet essentia, idẽ, alterũ, & status, & motus. Essentia quidẽ manifeste significat rationẽ rei cuiusque formalẽ: inquit quoq; esse tanquã actũ essentię ꝓpriũ. Idẽ verò dicitur, quoniã quodlibet & secũ in primis, & cũ aliis congruit. Rurſ̃ additur alterũ: quia quandã tũ intra se tũ ad alia differentiã habet. Præterea status: quippe cũ aliquandiu suã retineat vnitatẽ. Denique motus hoc in loco exitũ quendã ex potentia in actũ siue essendo siue quomodolibet intrisecus extrinsecusve agẽdo significat. Quãobrẽ diuinę infinitati ac diuino termino hinc rerũ infinitas, inde rerũ terminus subditur. Deinde ad rerum infinitatẽ tria potissimũ scilicet essentiã, & alterũ, motũq; referimus. Ad ipsum verò rerũ terminũ tria similiter scilicet esse, idẽ ac statũ pariter distribuẽdo reducimus. Quod autẽ in Parmenide quidẽ vnũ & multa, in Timæo verò impartibile & partibile dicitur, sic accipiendum est, vt vnũ & impartibile secundũ terminũ, rursus multitudo & partibile secundũ infinitatẽ ꝓ sua passim genera ꝓpagentur. Quanuis autẽ singula ꝑter primũ ex iis quasi seminibus elementisq; cõponantur, incorporea tamen cõsonantiori seminũ mixtione quàm corpora conflari dicuntur. Quã ob causam illa magis indissoluta permanere putãtur.

Missam in presentia faciam cæterarum rerum commixtionem: & qua ratione ex his generibus animam Pythagorici
A & Platonici misceant, mox exponam, si prius admonuero, ne forte putemus & si animam semper fuisse horum plerique dicunt, eam tamen illos omnino ex se esse putare. Cum enim non totam operationem suam anima per quam semper operatur, simul explicet, sed paulatim, constat eam hanc infinitam semper operandi virtutem haud totam simul habere. Si enim totam simul haberet, ederet quoque totam simul & vnicam. Omnis enim (vt aiunt) potentiæ operatio, vna vnius est. Igitur semper accipit virtutem semper agendi. Propterea nō similiter, sed aliàs aliter agit: vt summatim dici possit, quicquid temporaliter agit, siue corpus siue anima, accipere quidem continue paulatim operādi virtutem, nunquam verò simul totam penitus possidere. Quamobrē
B anima non solum semper esse, sed etiā gigni semper à Platonicis iudicatur, scilicet quatenus vim suā haurit paulatim & formas intrinsecus alias aliter explicat, atque affectus actionesque continuè variat. Igitur quatenus vitalis ipsa sui motus causa est, quodammodo sibimet essentialem intermi natamque suppeditat vitam, atque ita esse censetur: quatenus verò infinito id explicat tēpore, vimque eiusmodi paulatim à superioribus accipit, nimirum gigni perpetuo ab alio iudicatur. Accedit ad hæc, quòd principium rerum summū rebus omnibus adest: adeo vt singula principij pro natura sua vbique participent: alioqui subito euanescerent. Anima verò non adest omnibus. Non enim omnia viuunt. Item primum omnino ipsum vnum esse oportet. Nā si multitudo quædam esset, proculdubio super se causam suę vnionis haberet: quippe cum vnire non multitudinis sit, immo vnitatis officium: esse verò primum multitudinem sparsam
C dictu nefas. Anima tamen omnis est multitudo. Rursus primum super omnem essentiam cogitatur: cum omnis essentia in se multitudinem patiatur, saltem qualem in superioribus numerauimus. Anima verò essentia quædam est, vitalis scilicet atque viuifica. Denique primum neque vsquam, neque vnquam, neque vllo pacto contaminari potest: animæ tamen permultę quandoque, & alicubi, & certo quodāmodo inficiuntur. Quamobrem anima necessario à superiore

principio suo quodam pacto composita habet essentiam. Cæterum in rebus super animam à deo compositis, munera quæ ad terminum spectant, longissimo interuallo opposita genera superant: in rebus verò sequentibus animã contrà contingit. At verò in anima componenda genera generibus æqualius concinnũt. Cum enim anima verissimũ omnium quæ à deo componuntur medium sit: consentaneum est eam media quadã æqualissimaque (quoad fieri potest) ratione esse compositam. Igitur in ea, vt cętera prętermittã, partibile impartibili, alterum eodem motus statu quasi acutum graui harmonicè temperatur. Profecto in his quæ super animam sunt, tria potissimum cogitantur: essentia: vita: intelligentia. In his quoque quæ sunt infra animam, tria vicissim: qualitas: natura: sensus: vt sensus intelligentię, natura vitæ similitudo sit, qualitas denique essentię vltima sit imago. In superioribus quidem secundum essentiam & vitam & intelligentiam impartibile partibile superat: idem quoque excedit alterum, statuque motum: in inferioribus autem omnino contrà contingit. In anima vero, vtpote omnium media, modus per omnia quasi medius obseruatur. Proinde siue eam ad extrema mundi conferas, inter mentes tanquam admodum impartibiles, & qualitates tanquã omnino, id est tẽpore locoque partibiles, media iudicatur. Siue ad sui ipsius extrema scilicet ad mentem hinc suam, atque inde ad vitam corpori immersam, similiter inter indiuiduum & diuiduum media pariter esse censetur. Siue ad ipsum sui ipsius medium scilicet rationem denique conferas: etiam hæc ipsa ratio quando ad intellectum & vniuersalia surgit, dicitur impartibilis: quando verò ad sensus singulaque declinat, partibilis nuncupatur: atque illic identitatem (vt ita loquar) statumque consequitur: hic verò vicissim alteritatem subit & motum. Ac dum in æternis considerandis quodammodo ipsa discurrit, in diuiduo statu diuisibilẽ permiscet motum. Contrà vero dum in temporalibus attingendis quodammodo in seipsa consistit, motũ vicissim diuisibilem in diuiduo quodam statui contemperat. Præterea si cut anima mundi in mouendo quidem cælo quod ἀπλανὶς id est inerraticum dicitur, in eodem ostendit alterum: in planetis vero quodammodo erraticis moderandis, per ipsum

motionis ordinem in altero viciſſim idem ſeruare videtur. Sed hactenus idem ſuperat alterũ. Denique in inferioribus gubernandis idem iam ab altero ſuperari permittit. Similiter hominis anima circa tria quaſi vehicula ſcilicet ętherеũ, aëreum, compoſitum corpus ſe habere videtur. Iam igitur quid ſibi Timæus velit vbi in anima componenda muſicis proportionibus vtitur, ſatis intelligi poteſt. Nihil enim aliud ſibi vult, quàm animam tum ex ipſis rerum generibus, tum ex viribus ſuis ita componi, vt ideæ ſuæ in primis, deinde ſibiipſi, tertio rebus aliis aptiſſime congruat. Solẽt Pythagorici in anima figurãda mathematicis tã figuris quàm numeris vti: quoniam ſicut mathematica, ſic & animę inter naturales diuinaſque formas medium obtinent. Conſtituunt ergo triangulum: in cuius apice locata ſit vnitas: à qua terni vtrinque numeri profluant, hinc pares, inde ſimiliter impares: hac videlicet ratione, vt à parte altera primũ, duo, deinde quatuor, demum octo: altera ex parte primùm tria, deinde nouem, poſtremò ſeptẽ atque viginti. His vero cenſent omnes animæ partes, vires, officia deſignari. Quę enim ſuper animam ſunt: vnita potius quàm numeroſa putãtur. Quæ verò ſub anima, numeroſa quidem, ſed per ſe maxime diſſona. Verum anima primum numeroſa ideo dicitur, quoniam cum proxima ſit multiplicitati corporeæ: iam intelligitur tam motionibus quàm viribus multiplex eſſe.

Deinde verò cum ordinatę motionis generationiſque proximum ſit principium, probabili ratione concluditur numeroſitatem eius eſſe maxime conſonantem: à cuius conſonantia, corporis continuè tum cæleſtis tum elementalis cõſonantia non aliter pendeat, quàm ab ipſa quę in muſici mente harmonia eſt, illa deinceps quę in vocibus & quę in ſonis harmonia ſentitur, & fluere ſolet. Proinde Philolaus cum deum vnitatem more Pythagorico nominaſſet, mox extenſam materiam dualitatem cognominauit, propterea quòd quemadmodum dualitas ipſa prima inter numeros diuiſio eſt: ſic materiæ dimenſio cauſa eſt in primis vt formæ diſtractæ inter ſe repugnanteſque euadant. Itaque animam ab vnitate diuina pẽdentẽ ſeſe in materiã quaſi in dualitatem infundere putant, non aliter quàm triangulus ab angulo ſummo in duos ſimiliter deſinat angulos. Itaque in cor-

pore cõpoſito diſtrahi ſemper & perturbari. Meritò igitur anima triangulo figuratur. Septem verò deinde huic triangulo numerorum terminos adhibent. Nempe cũ videamus rerum generationem ſeptenario planetarum numero gubernari, ſummumque planetarum Saturnum ſeptimo quolibet anno mutationes in vita hominum facere. Lunã quoque planetarum infimã ſeptimo quouis die tũ in ſeipſa, tũ in humoribus mutationem inducere: merito animam motionis generationiſque originem ſeptenario numero deſcribere iudicantur. Sunt etiam qui fœtum in aluo perfici ſeptenariis, & natum extra alium per ætates duci ſimiliter arbitrentur. Afferunt inſuper vtrinque numeros & pares & impares: vt per pares animam ex natura diuidua, per impares ex indiuidua commixtam eſſe declarent. Rurſus numeros lineares ſuperficialeſque & ſolidos addunt: vt appareat animam per longitudinem, latitudinem, profunditatẽ corporis ſeſe facillime fundere. Eligunt autem illos duntaxat numeros, quorum proportionibus mutuis muſica conſonantia conſtat: vt oſtẽdant animam concinne compoſitam, concinne cuncta diſponere atque mouere. Sanè inter quatuor ac tria ſeſquitertia ꝓportio eſt, ex qua naſcitur harmonia quam Græci nominãt diateſſaron. Sed inter tria & duo eſt proportio ſeſquialtera. Hæc procreat harmoniam quam nuncupãt diapente. Præterea inter quatuor atque duo, ſiue quatuor & octo, proportio dupla, quæ diapaſon conficit conſonantiam. Inter vnum verò & tria ſiue tria inter & nouem, ſiue inter nouem atque vigintiſeptem, proportio tripla, à qua melodia diapaſon diapente componitur. Proinde inter quatuor & vnum: ſiue duo inter & octo, quadrupla proportio naſcitur, quæ diſdiapaſon generat harmoniam. Denique inter octo ac nouem fit epogdous, quo conſtat tonus. Sonum verò tono remiſſiorem hemitonum nominant. Quam ob rem omnes quas narrauimus proportiones, arti muſicæ potiſſimum neceſſariæ, ab illis fiunt numeris, qui in figura animæ deſcribuntur: per quos animæ tum naturalis compoſitio tum motio actioque naturalis maximè omnium eſſe tam conſonans quàm numeroſa ſignificetur. Neque deſunt qui ſphærarum quoque cæleſtium magnitudines inter ſe, interuallaque & motus, planeta-

rumque habitus & aspectus proportionibus penè similibus metiantur: spiritum quoque vitalem simili qualitatum suarum temperatione disponant. Missa non absque ratione facio multa, quę multi hac in parte de fictis numerorum figurarumque virtutibus tam leuiter quàm curiosè pertractant.

B Hæc est mysterij Pythagorei & Platonici summa. Mitto q̄ solent intelligentiam, quoniam per simplicem fit intuitum sæpe vnitatem cognominare: scientiam verò dualitatē: quoniam: ex principio probat conclusionem. Sed opinionē trinitatem: quia insuper conclusionis oppositum ambiguitate quadam affert in medium. Sensum postremo quaternitatē: propterea quòd circa composita ex quatuor elementis plurimum versari videtur. Mitto rursus quòd animā ideo currum vocant, quia motus efficit circulares. Quodve in ea lineam ponunt quodammodo rectam, quantum corpora mouet & respicit. Deinde circulum quendam inferiorem, quasi planetarum orbem, quando redit in semetipsam. Circulum quoque superiorem quasi stellarum orbem fixarum, quatenus ad superiora conuertitur. Alas duas scilicet instinctum intellectus ad ipsum verum, atque voluntatis ad ipsum bonum. Aurigam, mentem: caput aurigæ, diuinam vnitatem mente superiorem. Equos superiores scilicet idem: & statū. Equos inferiores, scilicet alterum atque motū. Item æquū, bonum, atque malum scilicet irascendi & concupiscendi naturam. Ira enim propinquior rationi quàm libido esse videtur. Denique (vt summatim dicam) hac ratione Pythagorici & Platonici omnes, rationales animas tum nostras, tum

C nostra superiores, penè similiter esse compositas arbitrantur. Vnde sequi existimant, vt & cælestes animæ in voluendis sphæris inæstimabilem pariant melodiam: & nostrę huiusmodi concentibus mirificè delectentur. Verum inter cęlestes atque nostras quasi longè distantes tres gradus medios interponunt medio modo compositos, qui nostras cum diuinis quodammodo vinciant: atque hos gradus secundū essentiæ, vitæ, intelligentiæ proportionē procedere opinantur. Angelicas enim animas ab intelligibili mundo proxime emicantes, intelligibile lumen sequentibus infundere per modum essentiæ permanentes. Deinde dæmonicas animas per modum interminabilis vitæ atque processus. Postremò

ſtremò heroicas ſecundum mentis conuerſioniſque modũ. Mitto quòd angelicas ſecundum intellectualem virtutem à deo procedere arbitrantur, dęmonicas ſecundum opificiam E atque prouidentem: ideoque fabricare mundana. Heroicas ſecundum conuerſiuam præcipue facultatem: idcirco purgandarum animarum officio fungi. Has omnes harmonice temperatas & harmonica facere, & harmonicis mirabiliter oblectari. Sed de his animarum generibus conuenientius in ſequentibus pertractabimus.

Species & circuitus animarum ſecundum duas ſimiliter academias vltimas. Cap. 3.

QVatuor ſunt animarum genera. Sunt animæ diuinæ id eſt animæ ſphærarum mundi atque ſyderum: quæ F ideo diuinæ dicuntur, quoniam & deo proximę ſunt, & communem mundi prouidentiam agunt in regione perpetua. Sunt animæ profanæ id eſt animæ beſtiarũ propriæ, omnis diuinitatis expertes. Sed has in præſentia dimittamus. Sunt inter hæc extrema, media duo, animę ſcilicet ſemper deum ſequentes: quales ſunt animæ dæmonum, heroumque ſublimium: quæ licet propriè diuinæ non appellentur, nunquam tamen à deo diſcedunt. In primo & hoc animarum genere ſic principia diſpoſita ſunt, vt illic quidem eſſentia, hic verò (vt ita loquar) identitas cętera principia quodammodo ſuperet: Sub iis ſunt animæ quæ quandoque ſequuntur deum, quandoque relinquunt. In his principium, quod ipſum alterum appellatur, alia quodammodo ſuperare videtur. Tales ſunt inferiorum dæmonum heroumque animæ: ſed manifeſtius hominum animæ: quæ cũ ſint mentium omnium infimæ, non eã vim habent, per quã poſſint duo admodũ diuerſa perfecte ſimul implere, id eſt per humanam rationem intueri diuina, ac terrena corpora gubernare. Vtrunque tamen agere eas oportet, poſtquam natæ ſunt ad vtrunque. Quare viciſſim faciunt, quod eodem tempore nequeunt. Vtuntur autem viciſſitudinem tribus præcipuè modis. Primò quidem ab intelligibili mundo ad ſenſibilem, atque econuerſo ſe tranſferunt. Præterea in ipſo intelligibili varias viciſſim contemplationis ſpecies peragunt.

Rursus in sensibili regione diuersas viuendi species mutãt.
G Quas quidẽ vicissitudines Plato tũ sæpe alibi,tũ in Phædro
præcipue describit,atque ibi manifestius,vbi animas inquit
alias aliorum deorum in cælo comites esse,atque in contẽ-
plandis ideis similem pro viribus cum deo suo discursionẽ
mente peragere:tamen super cælum circa diuina,tũ in cælo
circa cælestia,tum sub cælo circa naturalia gradatim consi-
deranda.Et quatenus deos imitari possunt,eatenus apud su-
peros permanere. Item cũ multiplices à causis ad effectus,
atque vicissim circuitus repetant : ait animum qui intuitus
est ideam quę caput circuitus est, in circuitu illo qui per ip-
sam proprie ideam continuatur,non cadere:sed tunc labi cũ
malus equus id est,concupiscendi vis incitata per vim gene
randi,iam suo quodam tempore inualescentem,à contem-
plando diuertit ad generandũ. Deinde vitas dinumerat no-
uem:non quòd tot solum sint,sed quia per septem planetas
ignemque & aërem delabuntur : Demũ transmigrationes
multas per inferiora,reditumque ad superiora describit:vbi
multa ,peculdubio poëtica sunt potius quàm philosophica.
Igitur iam ad ordinem magis philosophicum nos confera-
mus.Profecto Platonici multi putant aliquid esse quod in-
H finitam ex se vitã habet:aliquid quod ex alio: aliquid quod
ex neutro.Rursus quod habet ex alio,aut ad summum, aut
ad imum potius declinare, aut omnino medium possidere.
Nempe deum infinitatem vitę manentem ex seipso penitus
possidere:angelum quoque manentem,sed ex deo susceptã:
animas deinde diuinas nostris superiores infinitam quidem
aliunde habere vitam,sed currentem:currentem tamen cer-
to quodam ordine à speciebus in species discurrendo,defe-
ctus omnis & obliuionis expertẽ. Animas denique nostras
vitam habere similiter infinitam,sed non modo currentem
verum etiam inordinate, atque à meliori habitu in peiorẽ:
vicissimque tum reminiscendo tum obliuiscendo mutabi-
I lem. Animas verò infra nostras nullo modo esse vitæ infini
tę participes. Vbi sectatores Proculi suum illud confirmant
scilicet cælestes animas etiam intelligendo discurrere: quia
inter deos qui intelligibilia & semper & manendo suspiciũt
atque particulares animas quæ illa & aliquando suspiciunt,
& currendo: congruè mediũ obtineant cælestes sublimesq;

animæ:quæ ſemper intuentur quidem, ſed de ſpeciebus in ſpecies tranſeundo. Nos autem alibi ſententiã hac in re Plotini narrauimus. K

Proindè ſic eſſe volunt infinitũ vnũ tam virtute quàm perſeuerantia:deinde infinita multa perſeuerãtia: potius q̃ virtute(perſeuerantia inquam vel ſua omnia ſimul poſſidente, vel de aliis ad alia ſuccedente:ſiue id maiori ſiue minori ordine fiat)denique multa quæ neque virtute ſua neque perſeuerantia aliunde accepta ſint infinita. Talẽ in ſpiritibus ponunt ordinem. In mundo verò ſenſibili polus vtcunque poteſt,primum ordinis illius gradum refert,axis verò ſecundum,ſphæra cæleſtis tertium,elementalis ſphæra quartum: quintum denique,quæ ex elementis quatuor componũtur. Sed digreſſione hac obmiſſa,ad noſtras animas redeamus. Semp quidẽ erit hominisanima,quoniã inhiat ſempiternis. L Semp & fuit,vt aiunt:quoniã haberet quãdoq; finẽ,niſi initio careat. Pythagoræ anima ante ortũ Pythagoræ fuit quãdoq; à terreno corpore libera:poſt incluſa eſt naſcẽte Pythagora. Duæ hic vitę ſunt:vna libera:altera corporalis. Vita illa quę fuit libera,finẽ accepit in vitę corporalis initio. Ergo & initiũ aliquando prius habuerat. Quod enim ceſſat,incepit:itaq; non fuit ante Pythagorã ſemper extra corpus,licet quandoque. Et poſtquam cœpit eſſe in corpore,nõ erit in iis corporibusſemper:quia quod incipit,deſinit. Vnde ſequitur vt innumerabiliter ante Pythagorã anima eius in corpore terreno fuerit,atq; extra:rurſuſq; poſt Pythagorã extra corpus futura ſit viciſſim,atque in corpore. Et ſicut omnes mũdi ſphæræ per animas ſuas variant formas: ac tandẽ recurſus proprios repetunt(quod in quatuor anni temporibus,& quatuor lunæ alternis vicibus intuemur)ſic animæ noſtræ animorũ cæleſtiũ ſimiles varias formas corporũ induuntur: certiſq; curriculis tẽporũ iiſdẽ quibus antea corporibus inuoluuntur: Quas παλιγγενεσίαν, id eſt regenerationẽ Zoroaſter appellat:de qua multa Mercurius cũ filio ſuo Tatio diſputat. Et plato in libro de regno reſurrectionẽ hãc deſcribit futurã in fine mũdanæ reuolutionis iubẽte deo,ac dęmonibus miniſtrantibus. Quod autem per vitã vnã explet mundus,anima noſtra per multas exequitur. Timæus enim Platonis tradit deum mundi opificem ieciſſe in pateram quan- A B

dam cuncta semina rerum, eaque inuicem musicis (vt supra diximus) modulis temperauisse: ex qua temperatione rationales animas tribus creauerit gradibus distributas: ita vt in qualibet anima cuncta inserta sint semina: vt cum sit ex ipsis omnium mixta generibus, omnia per cognationē quan dā facilè posset agnoscere: mouere omnia atque viuificare, omniformemque vitam facilius experiri. Quid aliud dei pateram, quàm essentiam tertiam intelligimus inter diuina & corporalia mediam, scintilis diuinorum micantem corporalium seminibus grauidam? Ex hoc fonte tres præcipuę animarum species manauerunt: diuinæ: deum sequentes sem
C per: aliquando sequentes deum. Primis assignant Pythagorei sapientiam, secundis opinionem rectam, tertiis opinionem ancipitem. Vnde colligitur quod sæpe iam diximus, animam nostram esse quodammodo omnia: ideoque omnium viuentiū progressus in suis visceribus continere. Non tamen omnes explicat sigillatim. Plura enim operātur animæ primæ quàm secundæ: hæ quoque plura quàm tertiæ. Quamobrem licet ad omnes, ad multos tamen vitarū progressus anima hominis instituta videtur. Neque violentia quadā illata extrinsecus, neque discursu consilij de vita transfertur in vitam, sed tali quodam naturali instinctu, quali in hac vita suo quæque tempore prodeunt, dentes, pili, semen: & reliqua. Sicut enim in ipsa vniuersi natura, sic in particularium animarum naturis æterna quadā lege ordinata sunt singula, prodeuntque ita in actum, vt & sibi & vniuersæ naturæ est consentaneum. Certè vna quædam ex cunctis mundani animalis membris sit harmonia, per quam singula singulis & vniuerso vndique consonant. Ergo sicut ipsa mundi anima certis temporibus certa producit: sic & particulares animæ seminibus insitis tempore certo ad certas viuendi species naturaliter inclinantur, atque disponuntur. Ac dū paulatim præteritæ vitæ affectus actusque remittitur, vicissim vitæ sequentis intenditur, conferente singulis passim vniuersi natura. Meminisse verò oportet, quòd quemadmodum docet liber de repub. decimus animæ fato descendunt
D id est, quòd generationem appetant, & tali quodam appetant tempore, ex naturali instinctu prouenit ordini vniuersi coniuncto: sed arbitrio talem vitam eligunt aut talē. Quan-

uis enim vitam corpoream prius naturaliter concupiuerint quàm cogitauerint: tamen talem aut talem vitæ ſpeciē prius cogitant quàm adſciſcant. Plurimum verò inquit eligere ſecundum prioris vitæ conſuetudinem & affectus qui habitus affectuſque ex liberis quondam actibus fuerint procreati. Ideo, inquit, culpa eligentis eſt: non dei. Non vos dæmon ſortitur: ſed vos dæmonem. Virtus enim libera eſt. Poſtquam verò quis vitam dęmonemque elegerit, virtus electam vitam diſponere & componere poteſt potius quàm deponere. Oportet enim curricula certa ſortis impleri.

Quod autem ibidem ſcribitur mundum inter neceſſitatis dęæ genua volui, aliàs expoſuimus. Neceſſitas enim anima mundi ideo dicitur: quoniam fatali eius virtute ducitur vniuerſum. Inter genua inquam id eſt, per virtutem eius inferiorem voluendis ſphæris accōmodatam. Siquidem mente rationeque diuinis incumbit: & ſi inferior virtus vniuerſalis eſt vna, tamen quaſi triplex cognominatur. Lacheſis id eſt ſortitia: quia ſortes ſingulis ſingulas inſerit. Clotho, id eſt reuolutrix: quia inuolutas à principio ſortes vnicuique ſuas certis ordinibus temporibuſque euoluit. Atropos, id eſt inconuertibilis: quia in ſortibus euoluendis immutabili ratione procedit. Ad has omnes deas Plato aſſerit ire animam ad inferiora vergentem: eo videlicet ordine, vt poſtquā & ſortibus in eā lacheſis incidētibus naturaliter elementalē concupiuerit vitam, & propoſitis multiplicibus vitarum exemplis, pro arbitrio certam vitam eiuſque ducem elegerit dæmonem: tunc lacheſis electionem confirmet. Inde ab eodem dæmone ad clotho & atropon neceſſitatemque ducatur. Quis hic non viderit, animam ob ſolam corporis huius affectionem in omnem mox fatorum incidere poteſtatem, poſtremò ad Lethæum obliuiouis flumen, in hoc videlicet corpus, vnde diuinorum ſtatim obliuiſcatur? Proinde ſignificat animam quæ prius ex eo flumine biberit id eſt, quæ affectu vehementiore ſibi corpus adſciuerit, obliuiſci magis ſuperiorum, atque tardius reminiſci: contràveroque contrà. Sedad diuerſas iam viuendi ſpecies veniamus. Agit quando que angelicam vitam in ęthere apud eam ſtellam cui eſt vel natura vel vſu facta propinquior: cumque illa ſimul incerta vniuerſi gubernatione conſentit atque concurrit. At poteſt

per omnes sphæras gradatim sursum deorsumve discurrens certum tempus in qualibet vitam, gubernationem, contemplationemque agere illi sphæræ stellæque congruam. Agit quandoque dæmonicam vitam in igne similiter: tum heroicam in aëre: humanam in terra, atque ferinam. Ac sæpe dū hominis vitam ducit, sensim ex eius seminibus in naturalē instinctū & phantasiā vita scaturit equina, vel leonina, vel similes. Quod significat affectus & mores qui talium bestiarū proprij, nobis suboriuntur. Depositā denique figura hominis, eius bestiæ subit corpus, cuius se moribus simillimā præstitit, seu inserat se ferino fœtui, fiatque propria ferini corporis anima: vt Plotinus, Numenius, Harpocratius Boetus existimant: seu animæ ferinæ seipsam iungat, atque feræ sit comes: vt placuit Hermię, Syrianoq; & Proculo. Ac postquam de alia bestia migrauit in aliam, explicuitque omnes progressus illos vitæ ferinæ, quibus explicandis pronior fuerat: promit iterum progressus humanos: pòst heroicos: deinde dæmonicos: postremo diuinos. Aliæ verò alibi plus minusve viuunt: quatenus fato vel fortuna vel electione habituque variè disponuntur. Has transmigrationes restitutionesque Plato annis mille, tribus millibus, decē millibus designauit, disputationis exemplique gratia potius, vt inquit Hermias: quam quòd certe dinumerari posse putaret. Horū enim numerorum quilibet non modo plurimus est, sed etiam certa quadā ratione perfectius: vt ostendatur animas ad perfectam purgationem longo quodam sed certo tempore indigere: & quæ vel leuius peccauerunt, vel potius philosophatæ sunt, eas citius in patriā redituras. Neque tamen intelligendum est animam communiter in eundem omino hominem numero redituram, nisi fuerit tandem totus mundi cursus impletus: vt scribitur in libro de regno: quem cursum (vt diximus aliàs) triginta sex annorū millibus impleri astronomi computant. Interea tamen sæpe in idem reuerti anima dicitur, in eandem scilicet vitæ speciem, similemque viuendi modum: à diuino videlicet ad diuinum: ab humano ad humanum: à bruto similiter ad brutalem: quēadmodum & ipse mundi circuitus sæpe interim ad similia redit, donec ad eadem prorsus denique reuertatur. Nē quis autem absurdum putet esse animam in tam diuersas species

se transferre, considerare iubent quàm diuersos affectus & habitus in hoc etiam corpore sæpe animus induat non in aliis solum, sed in eodem etiam homine: plantæ videlicet & bruti, hominisve & angeli. Rursus ne quis miretur nos eorum quę in superiori gessimus vita, in hac minime recordari: animaduertere iubent non solum quàm multum in sene etute infantiæ, sed etiam quàm facile hodie hesternarum rerũ obliuiscamur. Hęc illi: quibus propheticũ illud obiicitur, In circuitu impij ambulant. Quasi dicat illos esse impios iudicãdos, qui eiusmodi animarũ circuitus introducũt.

Quòd Plato rectius exponatur more academiarum quatuor præcedentium, præsertim primæ & quartæ. Cap. 4.

A

ACademiæ verò quatuor iis antiquiores in hoc ab iis discrepabant, inter se congruentes quòd scripta Platonis omnino poetica esse arbitrabantur: sed inter se differebant quòd Carneades Platonem & putauisse & tractauisse omnia opinabatur Scepticorum more velut ambigua, neque vllum in rebus vllis habuisse delectum. Archesilas autem certum quidem nihil habuisse Platonem, verisimile tamen aliquid & ꝓbabile. Xenocrates simul atq; Ammonius illũ aliqua nõ modo tanquã verisimilia tenuisse & ꝓbabilia, verũ etiã tanquã vera certaq; affirmauisse: eaq; esse paucula q̃dã de ꝓuidentia dei, animorũq; immortalitate. Nos ergo Xenocratis & Ammonij vestigia sequẽtes, Platonẽ affirmauisse quædã de anima nõ negamus: sed multa q̃ de circuitu eius ab ipso tractãtur, tanquã poetica aliter intelligimus q̃ verba videãtur significare: præsertim cũ circuitus huiusmodi haud ipse inuenerit, sed narrauerit alienos. Primũ quidẽ ab Aegyptiis sacerdotibus sub purgandarũ animarũ figura confictos, deinde ab Orpheo, Empedocle, Heraclito poeticis dũtaxat carminibus decãtatos. Mitto q̃ Pythagoras animarũ transmigrationes consuetis illis semper confabulationibus suis symbolisque inseruit. Quamobrem ita ad academias vltimas respondebimus. Nituntur autem duobus præcipue fundamentis, ratione propria, & auctoritate Platonica. Quæ de rerum generibus, musicaque animę

B

compositione exponunt,ac rursum quod in argumentatione assumunt,quatuor esse species animarum : admittimus. Rursus quòd anima nostra vix efficere queat vtrunque simul,diuina scilicet videre,& corpora regere, præsertim ineptiora:id quoque damus. Sed non putamus ob hoc necessarium esse, eam sursum atque deorsum vices innumerabiles agere:cum satis vtrunque officium peragat,si dum viuit in terris,modò corporalia curet, modo seipsam deumque colat:& cum hinc abierit,facilius vehiculum suum regat , intentiusque diuinis incumbat. Concedimus insuper animam esse vitarum omnium seminibus grauidam: ideoque posse earum omnium progressiones peragere,eo tamen pacto,vt ea semina secundum humanę animę speciique modum in hac ipsa sint anima: pullulentque ex illis affectus habitusq; cæteris speciebus congrui:nunquam tamen fiat vera de specie in speciem transmigratio. Siue enim anima ita comparetur ad corpus , sicut forma propria ad propriam materiã comparatur: siue vt ars propria ad proprium instrumentũ: non poterit anima quælibet corpus quodlibet ingredi. Nã quis audeat dicere lunæ formam lapidis formare materiã: aut musicam artem figuli instrumenta subire? Merito diuinus Iamblichus transmigrationẽ animæ ab homine in bestias reprobauit. Reprobauit Porphyrius etiam circuitum infinitum:atque in specie humana solum certis seculis perrerare concessit:ac tandem purgatam hominis animam patri semper hærere cælesti asseuerauit,nunquam ad huius vitæ miseriam redituram : quoniam non posset vnquam esse beata,si aut ignoraret se huc redituram esse, cum esset huc aliquando reuersura:aut futura mala præuideret atque metueret. Quod quidem inde confirmatur , quia instabile bonum appetitum implere naturalem nequit, qui æternũ infinitumque proprie & agnoscit & appetit. Rursus animam infinita potentia veritate bonitate fruentem,neque violentia inde diuellit,neque fallacia dimouet,neque voluntas vlla diuertit. Non voluntas dei, cuius proprium est conuertere. Non animæ: quæ cum nihil eligat vnquam nisi ratione boni,non habet quod extra ipsum eligat,in quo totam boni rationem prorsus agnoscit . Neque mutatio vlla vitæ cadit in animam super tempus in æternitate viuentem. Deni-

Reprobat animarũ transm. Gratus C

que dicere animam fine fruentem, inde quãdoque sciungi, perinde se habet ac siquis dixerit vel terram ipso centro, vel ignem ipsa luna proxime perfruentem, vel ferrum immensæ Magnetis moli hærentem inde diuerti. His atque similibus (vt arbitror) rationibus commotus Porphyrius erubuit animam centro suo semel infixam temere inde diuellere. D Proculum quoque Syrianumque & Hermiam puduit cælestem animã in corpora bestiarum præcipitare. Atque vt debita supplicia immanibus rependerent vitiis, obseruari putarunt sacrilegas animas inter animas bestiarum: non tamẽ brutorum corpora regere: quoniã si bruta euaserit anima: non purgabitur inde, sed prorsus inficietur. Non enim purgatio fit, nisi vbi regnat quædam conscientiæ reclamatio. Quod præterea negant animã nisi fuerit semper: non semper esse futuram: quo pacto damnetur, aliàs diximus, & dicemus. Quocirca rationes eorũ nobis non persuadent vt infinitis animarum erroribus ambagibusque, & absurdis specierum confusionibus fidem adhibeamus. Sed ne positionem suam auctoritate Platonica tueantur, meminisse debemus Platonem Pythagoricam sapientiam, quæ à Zoroastre manauerat, ab Archyta, Euryto, Philolao didicisse: & cũ peragrasset orbem, aliasque omnes philosophorum opiniones examinauisset, Pythagoricam denique sectam tanquam verisimiliorem præ cæteris elegisse, quam suis literis illustraret. Propterea Pythagoricos inducit in dialogis suis præcipuis disputantes, Timæum Locrum, Parmenidem Eleatem, atque Zenonem: à quibus Socrates apud Platonem discit quæ in cæteris Platonis dialogis ipse aliis referat. Tria verò præ cæteris signa videntur euidentissima quibus iudicare possimus eum Pythagorica illa nequaquam affirmauisse. Primum, quòd eosdem disputantes inducit, qui quondam talia dixerant. Secundum, quòd fingit Socratem ambiguum quæ audiuerat referentem: qui nihil aliud scire se prædicabat, quam hoc ipsum, quòd nihil sciret. Tertiũ, quòd quæ de rebus huiusmodi scripserat, non confirmauit in senectute. Siquidem in libris de legibus, quos scripsit in senio, in quibus solis ipsa Platonis persona loquitur, nihil asseruit tale. Et in epistola ad regem Dionysium, cum esset admodum senex, inquit nihil se de rebus diuinis vnquam compo-

fuisse:neque esse Platonis opus de iis vllum,neque vnquam fore:quasi non suam mentem aperuerit,sed narrauerit alienam.In epistola quoque ad Syracusanos,quam postea scripsit senior,eadem repetiuit:vbi adiunxit neminẽ extare tunc aut fore in posterum qui mentẽ Platonis de huiusmodi rebus intelligat.Merito:quia non scripsit. Num ergo nihil de diuinis affirmat Plato? Quædam proculdubio: deum scilicet humana curare:atque animæ immortali operũ præmia reddere vel supplicia.Aliud verò affirmat nihil. Paucula enim hæc non in aliis modo dialogis asserit, in quibus aliæ personæ loquuntur:verum etiam in legibus & epistolis,vbi loquitur ipse.Mundum semper fuisse non asserit,sed ipsum generat in Timæo:generat inquam ab initio temporis ordinati, eadem ferme ratione qua primum Moyses, deinde Mercurius,vt expositum fuerunt Seuerus,Atticus,Plutarcus,& alij multi Platonicorũ. Hinc Numenius Pythagoricus exclamauit nihil aliud esse Platonẽ quàm Moysen attica voce loquentem:quanuis Plotinus, Porphyrius, Iamblichus, Proculus perpetuam mundi generationem ibi à Platone accipi velint. Quod si forte ita illud ita exponendum est, Timæi Pythagorici sententia erit potius quàm Platonis.Siquidem Plato ipse in Epinomide inquit astra aut immortalia fore,aut adeò longæua, vt vita sua illis sufficiat: atque longiore non egeant.Id illi consonat in Timæo, videlicet astra per se dissolubilia fore, quia videlicet ab initio composita sunt:nisi componentis voluntate seruentur.Rursus in libro legum sexto,inquit humanum genus aut fuisse semper, aut multis ante seculis ortum.Vbi videtur initium quàm æternitatem eligere maluisse. Aristoteles quoque vbi de quæstionum natura disputat: inquit quæstionem de æternitate mundi esse neutram:quasi dicat non tam sententiã demonstrabilem, quàm opinionem quodammodo ad vtrunque probabilem.Animas autem Plato in legibus esse ante corpora ita fortasse vult, vt naturæ dignitati id potius quàm tempori tribuatur.Quanquam per aliquam temporis morulam animas antecedere corpora etiam Christianorum aliqui opinantur.Animas hominum transire in bestias in legibus non confirmat. In nono autem libro inquit secundũ fabulas sacerdotũ ire eas in alios homines.Et in septimo de-

clarat quomodo exponendum sit siquando dicantur corporib⁹ aliis se inferere. Vbi tradit eũ qui necessarias doctrinas ignoret, nunquã fore inter alios homines deũ, aut dęmonẽ, aut heroẽ. Quasi per cõparationẽ ad alios homines & hæc dicantur & illa quę nonnunquã de ferinis corporibus fabulatur: quanquam in Phędro non dicit animam hominis in bestiæ corpus transire, sed in ferinam vitam: & in Timęo in naturam ferinã, non in corpus ferę. In vltimo de repub. Therſitæ animam non in simiæ corpus, sed in simiã. In quibus intelligitur habitus vitæque potius q̃ speciei vel corporis permutatio. Præterea in Phedone postquã narrauit poetarum more transitum animarũ in beluas propter supplicia peccatorũ, subiũxit nõ esse prudẽtis viti talia cõfirmare: sed id solũ asseuerari posse prudẽter, q̃ pœnas aliquas pendunt flagitiorũ. Addit purgatas per legitimã philosophiã animas apud deũ in æternũ sine corporibus esse victuras: quod quidem in Epinomide confirmat, dicens pium animum à corpore separatũ reliquũ tẽpus in rerũ omniũ pulcherrimarũ contẽplatione versari. In Gorgia quoq; & Theæteto, & decimo libro de iusto, ppetua describit supplicia impiorũ ob multa peccata q̃ expiari nõ possint, taliaq; supplicia iustitiæ exẽpliq; potius q̃ curationis gratia fuisse asserit instituta: vbi re ꝓbat errores illos inexplicabiles animarũ. Per hæc patet Platonẽ Christianorũ more sempiternũ bonũ malumve significauisse. Quod verò purgatoriũ appellant Christiani, ibi Platonem intellexisse, vbi purgaturus animã sæpius per inferiora reuoluit: videlicet non tam per corpora, quàm per vitas & cõmercia bestiarũ. Denique purgatã cælo restituit. In libro nono de iusto figurat hominis animã hunc in modum. Est aliqua congeries capitũ pluriũ beluarum quasi in globum coacta ferinum. ex hac multiplici capitum ferinorum congerie pullulat quasi stipes aliquis ex radicibus: qui stipes hinc leo est, inde draco. huic stipiti homo aliquis superponitur clauam manu tenens, qua bestias verberat sæuientes. Demũ corporis humani pellis omnia illa circundat, ꝓquam animal vnũ videatur esse, quod est multiplex animal. Congerię pluriũ bestiarũ esse vult insatiabilẽ concupiscẽtię partẽ. Stipitẽ leone & dracone cõpositũ, iracundiæ vim: quę leo dicitur, cum suffragatur rationi: draco cum refragatur.

Homo est ratio. Post hęc iubet Plato vt interiorem illũ hominem nutriamus potius quàm bestias illas: ne propter famem deficiente homine, solæ in nobis supersint bestiæ. Per hæc admonemur vt ad transitum animarũ accipiamus non in varias species, sed in habitus. Erit itaque arbor apud Platonem, qui nutritioni deditus, die noctęque torpebit. Miluus, qui raptu viuet per concupiscentiam. Leo, qui egregie militabit. Draco, qui crudeliter in genus hominum sæuiet. Homo, qui ratione ciuili viuet. Heros, qui naturalia perscrutabitur. Dęmon, qui mathematica. Angelus, qui diuina. Talis enim fit animus, qualem induitur habitum. Talis inquam in corpore: talis & extra corpus. Eadem in Phædro Socrates comprobat, dicens. Ego itaque considero vtrum ipse sim bestia Typhone multiplicior, siue diuinius animal. Et postea in libro eodem, in anima aurigam ponit, & gemi
nos equos: bonum, atque malum: rationem scilicet irascendique & concupiscendi potentiam. Vbi apparet in ipsis ani-
D mæ viribus & hominem & beluas esse. Eodem modo Parmenides Pythagoræus in libro de natura animam figurauerat. Timæus quoque Pythagoræus nobilissimus migrationem in bestias inquit induci falso ad terrorem hominũ impiorum. Sed rem omnẽ ita Pythagoras ipse significauit.

ἢν δ' ἀπολείψας σῶμα, εἰς αἰθὲρ ἐλεύθερον ἔλθῃς.

ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς, ἄμβροτος, οὐκέτι θνητός.

Id est, si deposito corpore liberum ascenderis ætherem, eris immortalis deus. Immortalis, non vltrà mortalis. Quasi dicat: Ita deus immortalis efficieris, vt omnino futurus sis
E procul à morte, nunquam amplius ad mortalia reuersurus. Orpheus quoque in ipso Mercurij terrestris hymno de Mercurio inquit.

κωκυτοῦ ναίων ἀνυπόστροφον οἶκον ἀνάγκης.

id est Cocyti habitans irremeabilem viam necessitatis. In iis verbis pœnas apud inferos ponit æternas: regressumque illum multiplicem à vita in vitã penitus aufert. Sed neque
F etiam omnes Aegyptij sacerdotes transitus animarum de specie in speciem fieri reuera existimant: immo verò de ferino vel heroico animę habitu intelligi volunt, quando hominem fieri bestiam aut heroem asserunt: quoniam apud

eos homo solus est animus. Quod aperuit Mercuri⁹ Aegyptiorum pontifex maximus: qui cum talem quandam migrationem ritu poëtico descripsisset, adiunxit legem diuinam non permittere migrationem animorum nostrorum in corpora beluarum. Pœnas quoque sempiternas tribuit impiis animis in mundi huius infimis elementis: atque manifestè asserit impiorum animas æterno supplicio per immortalẽ sententiã subiugari. Agit quoque deo gratias, quòd bonos viros æternitati consecrauerit. Item dicit mentem vsque adeo coniungi deo, vt nunquam vlterius implicetur erroribus. Denique Zoroaster priscę illius inuentor theologiæ, sic inquit,

σὸν γαὰρ ἀγγεῖον θῆρες χθονὸς οἰκήσουσιν.

id est tuum vas bestiæ terræ habitant. Quòd si intra nos bestię sunt, intra quoque, non extra de homine in bestiam, ac de bestia transimus in bestiam. Neque desunt qui trasmigrationem in bestias sic exponant, vt animarum quæ brutis similem duxerunt vitam, aliæ inter alias bestiarũ turbas versentur. Quod quidem Platoni admodum consentaneũ Olympiodorus iudicat, propterea quòd Plato animas purgatissimas inter deos versari censuerit, impuras autem sępe inter sepulchra reuolui: quarum vmbris perterreri aliquando soleamus: quippe cum corporei nonnihil circa se sicut & in se traxerint. Quo fieri Plato vult, vt videri quandoque possint. Simile huic est quod scribit iunior Plinius infamem Athenis fuisse domum, in qua & strepitus audiebatur, & simulacrum borridi senis aspiciebatur. Atque Athenodorum Tarsensem philosophum conducta domo vidisse simulacrũ illud, eóque duce comperisse in area domus sub terra ossa inserta catenis. Ea sicut mos erat sepelisse. Domum deinde illam eo strepitu liberatã. Subdit se pluribus hæc affirmantibus credere. Nihil igitur mirũ est, impuras animas si inter hæc, similiter quoq; inter bruta versari. Ex omnibus iis concludimus Platonẽ ea solũ de rebus diuinis affirmauisse, quę in epistolis ac legibus cõprobauit (in iis autẽ circuitus animarũ infiniti non approbantur) atq; ea quæ solũ in cæteris tanquam priscorũ inuenta recensuit, probabilia potius habuisse quam certa. Ac siquis ea etiam Platonem affirmauisse contenderit, nos quoque affirmare forsitan disputatio

nis gratia concedemus: verum longè aliter quàm verba designent, exponenda esse censebimus: quemadmodum declaratum est paulò ante tum Platonis verbis, tum theologorum veterum testimoniis.

THEOLOGIÆ PLATONICÆ
De immortalitate animorum eodem Ficino authore,

LIBER DECIMVSOCTAVVS.

Quòd Plato non prohibet fidē adhibere theologiæ Hebræorū Christianorum Arabumq; communi, mundum fuisse creatum.
Cap. 1.

A

PLato igitur nihil prohibere videtur fidem adhibere theologiæ Hebræorum Christianorum Arabumque cōmuni, cœpisse mundum quandoque: angelos ab initio creatos: Animas hominū immortales creari quotidie. Ad hæc cogimur auctoritate diuina. Ad hæc rationibus huiusmodi ducimur. Mundi moles per se esse non potest, ita, vt non pendeat aliunde: sed in esse se suo stabiliat: alioquin seipsam quodammodo faceret. Facere autē aliquid, non ad corpus pertinet: quod quicquid agere videtur, p virtutem quandam exequitur incorpoream in subiecto iacentem: immo ad essentiam ipsam spectat penitus incorpoream in seipsa manentem, virtutisque illius originem. Præterea corporea moles seipsam continere non potest. Siquidem continere nisi aliquid agendo nequit: præsertim cum continere sine vnione non valeat. Vnire autem, non ad naturam diuisibilem, quæ & ipsa indiget vnione, sed ad vim tandem penitus indiuiduam spectare videtur. Rursus moles eadem per se operari moueriq; non potest: quia si nequit sibi esse dare, multo minus præstare poterit actionem. Ac vicissim si

posset seipsam agere, posset etiam agere per seipsam. Quod autem per se operari non valeat, hinc etiam patet, quòd se mouere non potest: vt in libro sexto probauimus. Ostendimus insuper alibi, perpetuo ordinatissimoque mundi motui virtute infinita opus esse: quam finita determinataque natura corporis ex se habere non potest. Ideoque mundus tanquam ex se erraticus dissolubilisque, aliunde indissolubilem ordinem mutuatur. Sed vndenam mutuatur? Profecto si mundus neque per se subsistere: neque se cõtinere, neque p se agere mouerive potest, necessariò à causa per se existente seq; continẽte dependet: causa inquã prorsus indiuisibili: ne illa similiter vel sit per aliud scilicet per partes, partiũve cõgregatorẽ: vel cõtineatur ab alio scilicet ab vnitate partes inuicem connectente: vel sit insufficiens, cũ partibus egeat: vel admixtum habeat non esse, cum compositum ex partibus nulla sit partium. Proinde cum mundus ex dissimilibus sit compositus: oportet compositionis huiusmodi causam perscrutari. Non enim seipsum componit corpus: quod neque actionis neque vnionis principium est. Neque dicendũ est partes mundi suo quodam motu in compositionẽ huiusmodi confluxisse non enim corpora per se mouentur. Neque tanquam ad id & aliũde cõpulsas, & inuicẽ cõpellentes. Quid enim est quod impellit? & quid impellit primo? Rursus nefas est impulsionibus carẽtibus ordine, ordinẽ cõmittere tã mirandum. Quonam pacto ex ordinatis inordinatisque ordo tantus & ornatus efficitur: quippe cũ soleat semper agens causam effectu esse præstantior? Præterea si mundi partes esse cõpositionis huius materiales dixeris causas: de causa efficiente quæremus. Sin autem efficientes, iterum perquiremus quonam pacto ex rebus ratione carentibus rationale opus efficiatur. Quapropter si mundus neque ex se neque casu compositus est: certe compositionis causam habet certam. Neque afferat quisquam solam habere finalem causam. Habet enim eam: cum ad bonum tanquam ad finem recte feratur. Cum vero ad id frustra non moueatur, aliquid certe boni ab illo consequitur. Accipit autem secundum essentiam: quandoquidem secundum essentiam appetit atque mouetur. Igitur ab eodem accipit esse, à quo essentialem accipit bonitatem.

Itaque causa illa tam efficiens est, quàm finis. Est & exemplar. Si enim mundus certa ratione fertur ad bonum, certe deus illum certa ratione tanquam exemplari ad bonum illud continue dirigit. Atverò cum ad finem ducere, bonumque petere, sit voluntatis officium: nimirum deus voluntate mouet mundum: quem similiter & voluntate cõposuit. Idem ita insuper confirmatur. Quod fortuitum & contingens dicitur, solet eo quod ordinatũ est, determinatisve constat causis, posterius esse. Igitur non potest ordo mũdi priore casu aliquo contigisse. Ac si multas mundanorum effectuum causas aliquis afferat: nisi omnes sub vna conciliet, non poterit, quam ob causam mundus licet ex diuersis constet, sit & vnus & vnitus, afferre: & qua ratione vnum totum sit melius partibus multis, nisi vnam inueniat causam & cõmunem, & præstantiorem causis multis, cuius virtute omnes in vnum congrediantur. Quamobrem vna est vniuersi vnionisque ipsius causa, ad quam coordinata sunt omnia. Si hæc esset rationis expers: homines qui ratione vtuntur, seque ipsos cognoscunt, prima causa præstãtiores essent: atque opus humanum opere diuino perfectius redderetur. Igitur deus infinitam bonitatem suã rationaliter nouit per omnia propagabilem: vnde placuit sua sibi bonitas per singula propaganda: quippe cum boni proprium sit vt placeat: ac summi boni, vt summopere placeat. Quo quidem rationalis voluntatis affectu rationaliter atque optime omnia tũ proceata sunt, tum continue disponuntur. Ratione voluntateque diuina disponi mundum, in oraculis Chaldæorũ quæ recitat Proculus, iis verbis significatur: Intellectus patris emanans perfecto consilio ideas omniformes intelligit, quæ quidem ab vno fonte omnes prodierunt. A patre enim erat voluntasque finisq;. Distributæ verò sunt intellectuali quodã igne: atque in alias quasdã intellectuales deinde diuisæ. Rex enim multiformi mundo intellectualem figuram indeficientem præposuit: cuius secundus mundus est vestigiũ: properans vnà cum forma: & mundus apparens omniformibus dotatus ideis. Fons vnus, ex quo erumpunt diuisæ aliæ innumerabiles circa mundi corpora producentes. Quæ circuitu quodam ritè assimilatæ ferantur vndique conuersæ: sed alibi aliæ intelligentiæ à fonte paterno tanquam ab igne

igne scintillæ puigili circa primordiales ideas. Prima enim à patre idea effluxit, atque fons voluntarius. Hactenus oraculum, in quo de patre, filio, spiritu, ideis, angelis, dispositione voluntaria mundi mentio fit. Sed nos iam ad institutum ordinem reuertamur. Elementa & plantæ quicquid agunt, necessaria quadam naturæ suæ operantur affectione. Ea vna est duntaxat. Vnum igitur quiddã quælibet operantur. Bruta præterea operantur per appetitum: qui prout modis per sensum variis lacessitur, aggreditur varia. Et sicut elementa & plantæ innata necessitate agunt, ita bruta necessitate operantur illata. Rationalis anima per voluntatẽ agit: quæ quidem ad opus mouetur non à rerum formis vt appetitus: sed à notionibus & consiliis intellectus. Hęc libera operatio est merito perfectiori conuenions animali. Talis quædam præcęteris esse debet operatio dei. Quapropter Plato in Timęo inquit voluntatem dei beneficam, originem rerum certissimam extitisse: Mercurius quoque mundum diuina voluntate constare, quam cuncti comitentur effectus. Orpheus vbi de summo Ioue loquitur, sic inquit.

πάντα γὰρ κρύψας, ἄυδις φάος ἐσπολυήδες
ἐξ ἱερῆς κραδίης ἀνενίγκατο μίρμερα ἔργων.

id est Cum abscondisset omnia deinceps in lumẽ gratum, emisit ex sacro corde operans cogitata, & mirabilia. In iis verbis Orpheus aperte declarat mundum à voluntate diuina initium temporis habuisse.

Natura & appetitio nunquam opus aliquod nouum aggrediuntur, nisi quando natura varie afficitur, & appetitio varie lacessitur: intellectus autem atque voluntas etiam in homine nouum opus inchoant sæpe absque propria nouitate. Mane statuit Plato vespere accersire Xenocratẽ. Stat futuræ vocationis firma sententia, donec ea hora Xenocratẽ vocet. Mutatio quidẽ fit non in mente & voluntate, sed ore Platonis membrisque Xenocratis. Erat semper in mundi architecto machina mundana præscripta, ac momentum inchoationis eius in architecti voluntate signatũ. Eo ipso momento quod præsignauerat, inchoata est machina, nulla intercedente dei mutatione. Compleuerat ab æuo deus substantialem mundum intra se totum. Permisit vmbratilem mundum inde tunc emanare, quando fuit melius. Melius

fuit, quando statuit bonitatis diuinæ voluntas, per quam bona sunt omnia. Nos siquidem res quia bonæ sunt volumus. Hæ vero ideo bonæ sunt, quia vult eas deus. Et quo pacto esse, & quando vult fieri, eo solum pacto & momento sunt bonæ. Similiter ideo res intelligimus verè, quoniam ita vt reuera sunt intelligimus. Contrà vero ita reuera sunt ideo, quoniam eas ita deus intelligit. Sic ergo à diuina intelligentia rerum veritas, à diuina voluntate rerum bonitas proficiscitur. Vbi causa prima rerum, ibi ratio rerum summa. Quapropter ita rationaliter debebant fieri, vt intelligebat deus, atque videbat. Temporaliter, id est, ab initio temporis emanare ab ipso debere deus intelligebat atque dolebat hanc vmbram, cuius natura in motu temporeque versatur. Et vmbræ mundanæ motus ab initio temporali ad finem produci debebat & debet: cuius tempus momentis singulis in principio simul est atque fine. Neque perquirendū est cur illo momento potius quàm priori inceperit inde hic mundus effluere. Nam si mille annis ante incepisset, etiam quæremus cur non prius. Initium tamen aliquando habere debebat. Adde quòd phantasię est ista fallacia. Nō sunt ante
A primū mundi momentū vlla tēporis momēta quibus antè creari debuerit. Quicquid cogitatur ante mundum, vnicum & stabile est æternitatis punctum. Omnis momentorum temporalium discursio cum mundo cœpit, mundo currente. Similiter neque inuestigandum est quamobrem hic potius quam illic situs sit mundus. Phantasiæ est ista fallacia. Non est corporalis locus extra mundum. Tempus totum
B cursum, totū mundi metitur. Totus corporalis locus, mundi amplitudine prorsus impletur. Atque vt Timæus Platonis ostendit, par tempus est cursui: locus æqualis est amplitudini. Fallitur qui corporeum locum cogitat extra mundum. Fallitur qui ante mundum tempora fingit. Falletur & qui crediderit diuinæ perfectioni accedere aliquid vel decedere, manante illinc mundo vel non manante: qui multo minus est ad deū, quàm ad corpus sit corporis vmbra. Corpori autem ex vmbra neque accedit aliquid vnquam: neque decedit. Profecto spiritalis ille mundus, mundi huius exemplar, primumque dei opus: vita æqualis est architecto. Fuit semper cum illo, eritque semper. Mundus autem cor-

poralis,quod secundum est opus dei:discedit iam ab opifice ex parte vna:quia non fuit semper.Retinet alteram:quia sit semper futurus.Composita verò corpora, quæ tertia dei opera sunt,omnem partem eternitatis amittunt.Rationabile est mundum deo non æquari secundum vitam,postquam secundum substantiam non æquatur. Neque esse vndique infinitum:vt diuinæ cedat infinitati. Decet etiam sicut res omnes duos habent actus, internum scilicet atque externum:& ille est vita æqualis agenti,hic verò posterior:ita ipsum quoque rerum opificem fœtum vita æqualem intra se continere,partum vero extra se posteriorem producere: vt non minus æternitas quàm perfectiones aliæ deficiat in effectu. Atque hic mundus sicut à deo infinito finitus virtute magnitudineque producitur,sic verisimile videtur vt ab æterno deo fiat nouus,& initio circunscriptus. Et sicut mundo assignatur certus situs, quia ita hic est, vt non per immensum sit spacium: ita illi quasi certum assignetur tempus:quia ita in hoc est tempore, vt non antè fuerit per immensum: ac si deus vniuersi substantiam infinitis perfectionis excedit gradibus, multo magis vniuersi durationem infinitis gradibus durationis excedat.

Præstantior enim in re qualibet est substantia quàm duratio. Quisquis autem considerat partes mundi quæ sunt infra lunam,de hoc esse in illud mutari, atque econuerso: ac partes eiusdem quæ supra lunam sunt,de esse tali in esse tale transire vicissim:& quia mutatur vbique, ideo indigas imperfectaque esse: rursusque vniuersum ipsum ex subiecto aliquo formaque constare, & subiectum quia naturaliter antecedit formam, posse & subire formam talem & non subire:item constare mundū non modo ex partibus quantitatis,sed ex partibus etiam inter se pugnantibus: denique vniuersum corpus nullo modo per se esse, sed omnino per aliud,quia per omnem causam, scilicet efficientem, finem, formam,materiam:ideoque secundum se penitus vacillare: quisquis inquam quatuor hæc considerat, is planè coniicere potest vniuersam mundi molem natura sua fore de esse in non esse mutabilē.Talis non foret,nisi de non esse quandoque transisset in esse.

Hinc ferme Democritij,Cyrenaici,Stoici,Cynici fateri co

facti sunt mundum initium temporis habuisse. Aegyptij primum mundi diem ita illuxisse aiunt, vt Ariesin medio esset
E cælo, Cancer exoriretur, Luna in cancro: Sol in leone: Mercurius in virgine: Venus in libra: in scorpio Mars: Iupiter in sagittario: Saturnus in capricorno: singulosque planetas eorum signorum dominos esse aiunt, in quibus dum nasceretur mundus, fuisse creduntur. Chaldæi nascente mundo solem in ariete fuisse putant. Vtrique mundum natum existimant fuisse aliquando: & Arietem: siue quòd in eo sol esset, siue quòd ipse medium percurreret cælum, signorum caput appellant. Ideo ab ingressu solis in arietem præcipue totius anni fortunam astronomi iudicant: quasi inde penè omnia
F pendeant. Mitto quòd Aegyptij solum leonem soli, solum lunæ cancrum assignauerunt: reliquis verò Planetis præter illa signa quibus tunc inhærebant, reliqua quinque sic adiunxerunt, vt à fine prioris ordinis ordo secũdus inciperet. Sic enim aquarius qui capricorno succedit, Saturno qui vltimus fuerat, traditur: pisces deinde Ioui, qui Saturno proximus fuerat: Marti aries: Veneri taurus: gemini verò Mercurio. Sed his obmissis ad propositum reuertamur. Proculus demonstrat mundum quoniam extensam & compositam habet essentiam, ideoque ex se distractam atque dissipabi-
G lem, idcirco solum per indiuiduam quandam virtutem à diuina vnitate infusam connecti. Rursus quia naturali appetitu semper ad bonum ordinate mouetur, ideo naturam talis appetitus motusque, originem à diuina mente bonitateque accepisse. Hanc verò virtutem per quam connectitur atque mouetur, oportere infinitam esse, per quam absque fine cõnecti mouerique possit. Quam ex se, cum sit finitus, habere non valeat, sed ab infinitate diuina semper accipiat: haud simul totam: (non enim capit) sed pro sua potius temporali natura scilicet quasi guttatim momentis singulis hauriat. Hanc ostendit non aliter quàm momenta defluere subito, rursusque cum momentis momentaneam similiter hauriri: semperque hoc pacto, vt narrauimus alias, mundum corporalem fluere fierique: sed esse revera nunquam, quasi vmbrã eminentis arboris in torrente: quæ & cum videatur arbor, non est arbor: & cum diu eadẽ appareat: permanere, tamen continue renouantis vndis cõtinue renouatur. Cuinam igi-

tur mirum videri debeat mundū ab initio ex non esse processisse semel in esse? cum apud quosdam adeo vmbratilis instabilisque sit, vt momentis singulis ab esse in non esse vicissimque pertranseat? Sed hæc proculus ipse viderit. Plato in libro de mundi generatione ostendit mundū diuiuæ bonitatis gratia fuisse creatum. Non autē ad hoc est opus huiusmodi constitutum, vt deū qui ipsa bonitas est, faciat meliorem: sed vt diuinam referat bonitatem. Sicut neque parentes ob aliam causam filios generant, quàm vt eorum imago videatur in filiis. Præcipue vero mundus refert dei opificis bonitatem, si non modo quàm munifica sit, sed etiā quàm excellens, ostendat. Quam munifica sit, ostendit prouvt semper à deo seruatur incolumis, qui sibiipsi relictus dissolueretur, vt in Timæo inquit Plato. Quam excellens, testatur provt esse cœpit aliquando: per quam inchoationem clare perspicitur quòd mundus nō à seipso sed à deo est. Quod infinito interuallo deus excedit mundum: qui in infinitum erat (vt ita dixerim) ante mundū: quòd infinita virtute mundum produxit ex nihilo: quòd libertate voluntatis agit: non necessitate naturæ. Talem mundanæ generationis originē planius Trismegistus Mercurius docuit. Neque mirum videri debet hunc talia cognouisse, si homo idem Mercurius fuit atque Moyses, quod Artapanus historicus coniecturis multis ostendit.

Angelos & animos non semper fuisse. Cap. 2.

ORdinem in corporibus posuimus: ponamus ordinem in spiritibus. Est spiritus ille supremus, qui fuit semper & erit. Is est deus. Sunt & spiritus infimi bestiarum: qui nec semper fuere, nec erunt. Medij sint oportet duo qui dam spiritus inter extrema adeo discrepantia: qui partem primi illius spiritus habeant, partem spirituum infimorum. Quo igitur pacto hos medios componemus? Nunquid dicemus eos fuisse semper, sed quandoque desinere? Minime. Quod enim fuit semper: id per infinitam virtutem vixit in infinitum. Infinita virtus nunquam minuitur. Quare si fuerunt semper: semper & erūt. Atque partes in duratione sunt deo: nō medij spiritus. Ergo vt in pseuerantia medij sint: o-

portet eos cœpisse quandoque, desinere nunquam. Qui & si ex nihilo facti sunt, non tamen vertentur in nihilum. Ipsum enim quod dicimus nihilum, in eorum creatione neque materia neque effector ipsorum est ex quibus fiant, sed terminus forsitan vnde fiat Neque etiam terminus est reuera: sed dicitur. Non ergo coguntur ipsius nihili sequi naturam, per quam in nihilum reuertantur: quam quidem naturam ante reiecerant cum primum in esse prodirent. Immo naturam illam suæ causæ seruant, vnde essentiam acceperunt: vt per eandem infinitam virtutem in ipso esse seruentur procul à nihilo, per quam ex nihilo emerserunt in esse, posthabito ni
C hilo. Haud absurdum est, quod ab infinito principio atque infinito fine, id est deo proxime procreatur, cogitare finem
Nota non habiturum: cum multa etiam quæ ab initio ac termino quodam finito procedunt, rite considerentur absque fine ꝓcedere. Sic enim ab vnitate numerus, sic à puncto mathematica linea, sic à præsenti momento futurum tempus absque fine, nihilo prohibente progredi cogitatur. Aliquid
D verò creatum fore semper, præsertim animam, non religio solum, sed etiam Auicenna & Alganteles tanquam philosophi probant. Itaque angeli vnum quidem medium obtinent inter deum & beluas: alterum medium statim post angelos sortitæ sunt hominum animæ: quæ cum angelo conueniunt, quòd semper erunt: differunt, quòd non fuerunt saltem per omne tempus vt angeli: qui ab initio rerum orti naturali ordine ante cæli cursum, cuius comes est tempus, licet non fuerint per omnem ęternitatem, tamen per omne fuere tempus. Animæ nostræ post temporis ortum natæ cedunt angelis, neque tamen sunt temporales. Nam deus per id ipsum æternitatis suæ punctum, quod semper est idem, & vniuersum supereminet, complectiturque temporis ambitum quo angelos procreauit, animas quoque hominum ꝓcreat. Igitur supra tẽporis passiones fiunt hominum animę, quanuis fiant post temporis ortum. Animæ verò brutorum & post ortum temporis, & sub temporis passionibus generantur: quia non fiunt à deo per æternitatem dei proximè, sed per cælorum conuersiones, animarumque virtutes: quo fit vt non viuant semper. Nam & mutationi temporis sunt obnoxiæ, quæ per cæli motum sunt factæ sub tempore. Et

siquid habent præclari: id totum defluit iugiter ab ipso tertiæ essentiæ fonte: cuius ipsæ non riuuli sunt, sed vmbræ. Id- E nota
circo Platonici eas esse putant idola quædam animæ mun- de animis
di, vel animæ sphæræ illius quam habitant: mediasque inter brutorum
essentiam tertiam disponunt & corporũ qualitates: ad hanc
tamen essentiam reducunt eas vt vmbras. Hinc Plotinus in F
quit: quemadmodum ab vno vultu multæ per specula multa diffiduntur imagines: sic ab anima sphęrę in corpora brutorum multa animæ vnius simulacra multa, corpora inquã brutorum, quibus humanæ non insunt animæ. Vbi enim hæ sunt, ibi potentia irrationalis rationalem animæ nostræ substantiam sequitur velut vmbra.

Animæ creantur quotidie. *Cap.* 3.

VErum cur nouæ quotidie animæ creantur à deo? An
non poterat deus mundo constructo creare simul ani G
mas cunctas, quemadmodum cunctos in mundi ex- nota
ordio angelos procreauit? Non decuit. Nam si diu à vinculis
corporum solutæ vixissent, sincerè iudicauissent quanto pre
cioſior sit vita soluta quàm alia, nec ingredi vnquã corpora
voluissent, videlicet quatenus intellectuales sunt. Neq; deus
vel angelus volũt liberã voluntatẽ animæ cogere. Nõ enim
aliter mens q̃ persuasione mouetur. Immo neq; etiã singula
queq; corpora anima cognouisset quę posset eligere: cũ de- nota
sit illi ante sensus cognitio singulorũ. Itaq; careret diuinis sa
cerdotibus sacrisq; hymnis pars hæc media tẽpli diuini. O-
portet tamẽ in singulis huius tẽpli circulis ꝓprios duci cho
ros sacerdotũ deo canentiũ. Cõsonat præterea rationi, vt si-
cut sphærarũ animi siue angeli non fuerãt ꝑ moras aliquas
tẽporũ ante sphæras ꝓprias ꝓcreati, sic neq; animæ nostræ
ante corpora ꝓpria. Itẽ anima est forma actusque corporis.
Actus autẽ q̃uis in vniuerso secundũ naturæ ordinẽ prior q̃ H
potẽtia sit: in eodẽ tamen subiecto secundũ tẽpus est poste-
rior: quoniã à potẽtia in actũ motus efficitur. Quapropter
prius fuit semẽ quod est potẽtia viuũ, q̃ anima quæ vitalis
est act⁹. Ad hæc cuiq; formæ naturale hoc est, vt materię ꝓ-
priæ vniatur. Alioqn quod ex materia formaq; cõponitur,
esset cõgeries aliqua ꝑter naturã. Prius autẽ rei cuiq; tribui- I
tur quod ipsi cõuenit secundũ naturã, q̃ quod prꝑter naturã.

Quod enim secundum naturam conuenit, per se ineſt cuique: quod præter naturam aduenit, ex aliquo contingente. Animæ igitur qua ratione anima eſt, prius cõuenit vt coniũcta corpori ſit, q̃ ſeparata. Quomodo igitur vixit ante corpus? Adde quòd ſi ſuperior mens quælibet (vt quidam putãt) & vna eſt in ſpecie vna, & immortalis: forma verò quælibet corporalis & multiplex ſit in eadem ſpecie, & mortalis hominis anima quę illis mentibus ſuccedit, præcedit has formas: ſic vtrarunque particeps erit, vt ſit vel vnica anima in vna hominum ſpecie, atque mortalis: vel immortalis & multiplex. Primum fieri nequit. Si enim anima vnica totius ſpeciei animarum gerat vicem, innumerabiles animas quæ fieri ſub illa ſpecie poſſunt, ſuis viribus cõplectetur. Sic immenſæ quodammodo virtutis erit, & immortalis: præſertim quia rerum ſpecies ſempiternæ ſunt: & quod totã capit ſpeciem, eſt ſempiternum. Rurſus quia nullam haberet cum his corporeis rebus communionem: eſſet procul admodum ab interitu. Immo ſi talis eſſet: meram ſpeciei ſuæ ſeruaret ſimplicitatem. Ea ſpecies eſt à caduco corpore ſegregata. Igitur in puritate propria remaneret à corporibus mortalibus aliena: neque præſtaret his vitam. Ex iis conſtat hominis animam non poſſe eſſe vnicam in cunctis hominibus: rurſus non poſſe eſſe vnicam ſimul atque mortalem. Itaque erit immortalis & multiplex. Immortalitate imitabitur mẽtes, multitudine formas penitus corporales.

E Erit forte id rerum ordini conſentaneum, vt primum gradum teneant ideales ipſæ rerum ſpecies, ſecundũ verò quæ ſpecies capiunt. Atque ex iis quę capiunt, primùm quæ totam pro facultate creaturæ ſuam capiunt ſpeciẽ atque ſemper. Secundum verò, quę non totam, ſed tamen ſemper. Tertium, quæ neque totam, neque ſemper: quemadmodum in ſummo ponimus exemplar luminum id eſt ſolem: in ſecundo ſtellas, quarum quælibet totum inde ſuum ſemperque accipit lumen: in tertio lunam, quæ ſemper quidem accipit, ſed non totum: & ſi pati videtur eclipſim, tamen ſubito recipit: ſimiliter aërem & aquam. In quarto illa ex elementis compoſita quæ perſpicua quodammodo & nitida ſunt, talia cupiunt quidem, ſed neque ſemper, neque totum: vt oppoſita prętermittam, quæ nullo modo in ſe lumen admit-

tunt. At vna hęc animę ſpecies vnde multiplicem accipit numerum? Forte non ex eo quòd imitatur mentes. Ex eo igitur quòd formas imitatur corporeas. Quales hæ ſunt? Incipiunt cum corpore, & cum corpore deſinunt. Anima noſtra ſi talis ſit omnino, vt incipiat ſimul & deſinat, non imitatur eas: ſed generis eſt eiuſdem. Atque illa ſi neutrũ horum habet, non imitatur, non congruit, non hæret illis: non viuificat. Ergo habebit alterutrum: vel incipiet cum corpore tantum, vel tantum cum corpore deſinet. Deſinere non poteſt cum corpore mens, quæ ad immortalem veritatem bonitatemque dirigitur tanquam finem. Agit enim omnia huius gratia. Sicut autem de rerum initio habemus ab efficiente cauſa coniecturam, ſic de rerum perſeuerantia coniecturam ſumere ſolemus à fine. Si igitur mens ad ſempiternum finem propriè naturali quadam cognatione dirigitur: ſempiternæ perſeuerantiæ eſt capax. Proprius enim finis proprio reſpondet agenti: perſeuerantia rei ad finem directę inter vtrunque tenet medium. Mens igitur cum proprium finem habeat ſempiternum, habet quoque agens proprium ſempiternum: atque idcirco vtrinque vitam perſeuerantiãque perpetuam. Si non deſinit cum corpore, incipit ſaltem cum corpore: multiplex profecto fit anima hominis in multis corporibus. Quod quidem ſignificatur ex opinionibus hominũ affectibuſque contrariis. Talis verò non fit ex ſpecie ſua per quam eſt vna: ſed (vt quidam putant) quodãmodo ex corporibus: immo ex deo animarum corporumque conciliatore. Non quia in corpore fit diuiſa. Non quia ex materia ſit vt corpus. Non quia naſcatur ex corpore. Vnde igitur, niſi quia diuina voluntate comes fit corporis? Quando deus ſimul initium præbet vtriſque, non tamen præbet principium idem. Igitur neque naturam eandem, neque exitum ſimilem: ſed initium, vt diximus, idem. Vnde & numerum tradit eundem. Hinc affectus animę ad naturam corporis augetur, quia corporis initium comitatur. Atque in huius creatione mutatio quæ vna videtur, eſt triplex. Mutatio quidem animæ ex nihilo ad eſſe per deum ſolum facta, creatio eſt. Mutatio vero corporis non viuentis ad vitam ipſam ab anima capiendam, formatio quidem corporis, animalis autem generatio nuncupatur. Creationis terminus ad quem

A

B

dirigitur anima in seipsa est, diuinæ solũ æternitati respondens: quę terminus est à quo creatio prouenit. Formationis autem terminus ad quem fit, est anima non tam in seipsa permanens, quàm in corpore. Terminus vero à quo fit, videtur esse natura. Denique generationis terminus ad quem est animal ex anima corporeque compositum. Terminus autem à quo, ferme similiter est natura. Natura inquã non particularis tantum, sed etiam vniuersalis: in cuius virtute particularis corpus ad animam præparat. Vniuersalis verò natura, virtus quędam dicitur siue instrumentũ animę mundi. Ideo Plato in Philebo dixit. Si mundus anima careret, vn
C dénam nos haberemus? Non quia ab anima mundi fit anima in seipsa: sed quia per eius operã fit in corpore. Animas enim nostras ab eodẽ deo & ex eodẽ fonte quo & superiores omnes fieri Timæus ostendit. Hinc illud quoque ostenditur quod Timæus inquit, rationalem videlicet animam à solo deo esse: irrationalem vero vitam sub ea corpori mancipatam à diis cælestibus deo iubente pendere: quia scilicet & corpus ad ipsam præparant: & animam nostram ad eam corpori infundendam corroborant. Sed hæc tanquam hic supuacua dimittamus. Sint igitur, dicet aliquis, animæ mul-
D tæ: incipiant etiam cum corporibus: hoc auresnon offendit: hic tamen vnus restat scrupulus, quonam pacto conueniat deo, singulis momentis ad libidinem concumbentium animas singulas procreare. Non malum est concubitus, quoniam ad bonum est naturaliter institutus, sed defectus moderationis in animis concumbentium. Non fit ex priuatione moderationis, sed ex concubitu corporis generatio. Huic generationi deus distribuit animas non ad libidinẽ coeuntium, sed ad prędcriptam prouidentiæ legem: quæ & numerum & tempora concumbentium ab initio rerum videt in æuo. In æuo iamdudum concipit animas. Cur ergo deus animas parit quotidie? Quia non simul sed per successionem erant corpora generanda. Adde quòd continue illuminat angelos: & sicut nunquam desistit mentes superiores formare, ita nunquam cessat mentes infimas procreare. Perpetua illic formatio fit: hic perpetua procreatio. Procreatio, in quam tandiu assidua, quandiu sol dei vicarius continue superiora illuminat corpora: & continue generat infima. De-

cet immensam dei potentiam, ita semper sese potentē ostendere mentium oculis, vt videant deū in infimo gradu mentium propter vltimū mundi locū continue aliquid ex nihilo procreantē: vt hoc effectu continuo infinitā omnino dei potentiā clarius agnoscant in infinitū creationis actū infinitè si placuerit peragentem. Venerentur eam illuminantem in E cælis. Admirentur (vt ita loquar) in terra creantem. Excellentior sane operatio est creatio q̄ illustratio. Illa igitur magis quàm hæc cōuenit deo: hæc cōtinua fit à deo. Illa igitur ꝑ dei arbitrio fit continua. Cælos mouent ministri dei. Hoc motu sequentia generantur, dū species quælibet rerū in terris aliquid agit: & in agendo ministra fit cæli. An deus ipse solus agit nihil quandiu cætera omnia aliquid operantur? Absit vt primus actus agat nihil, agentibus aliis. At inquies eum agere satis, dum agentia non deserit reliqua, sed vim illis operandi suppeditat. Non satis est istud. Nēpe hinc propria causarum aliarum sequuntur opera, atque imagines illarum fiunt in mundo, non dei: cur nolit & deus assidue opera propria, propriasque imagines facere, plurima semper sine medio procreando? Igitur cum creatio, propria dei operatio sit: generatio autem externa, operatio propria aliorū: non cessabit deus creare aliquid quādiu alia non cessabunt aliquid generare. Centrū mundi verū deus est, vt in libro de F amore disseruimus: quia vnus, simplex, stabilis est, & in omnibus: atque alia quælibet omnino plura, cōposita, mobilia, circa ipsum per naturalem ipsius appetitum perpetuò reuoluuntur. Ita centrum deus est omnium: quia sic est in omnibus, vt cuique rei interior sit quàm ipsamet sibi. Est etiam circunferentia mundi: quia extra cuncta existens ita supereminet vniuersa, vt cuiusque rei summum apicem dignitate excellat immensa. Item quanto est omnium (si dictu fas est) minimus quantitate: tanto virtute est maximus omniū. Vt est centrum quidem, est in omnibus: vt circunferentia vero, est extra omnia. In omnibus inquam non inclusus, quia est & circunferentia. Extra omnia quoque non exclusus: qa est & centrū. Quid ergo deus est? Vt ita dixerim, circulus spiritalis, cuius centrū est vbiq;, circūferētia nusquā. At enim si centrū id diuinū in aliqua mūdi parte imaginariam aliquā aut perspicuam operationis sedē habeat, potissimum

in rerum medio dominatur, tanquam rex in medio ciuitatis, cor ferme in medio corporis, sol in medio planetarum. In sole igitur, id est in tertia mediaque rerum essentia deus posuit tabernaculum suum. Tabernaculum inquam virtutis suæ frequentius demonstrandæ. Quæ sedes familiaris est deo, non tam quòd species animæ est, quàm quòd diuinæ ciuitatis est medium, ærarium publicum, & consona vrbanarum partium moderatio. Animam hominis esse rerum medium sæpe iam declarauimus. In hac igitur regione præcipua dei operatio frequentius præualebit. Talis creatio est. Creat igitur assidue animas hominum. Profecto quia stabile centrum est, creat continue. Quia circunferentia est, quæ mundi ambit circunferentiam, creat eas (vt Platonici dicerent) quodammodo in circunferentia mundi. Rursus quia centrum, ideo est summa rerum. Quia summa, ideo singula fundit: tum sigillatim singula semel ab initio rerum: tum cuncta summatim quotidie: prout creando animam quę rerum medium est, effundit è sinu proprio vniuersa, quę summatim confunduntur in medio.

Vnde anima descendit in corpus. Cap. 4.

A VNdénam descendit in corpus anima? Reuera cum deus extra locum, adsit omni loco, & anima non clauda tur loco, momentoque & creetur & adsit: neque dicēdum proprie est eam descendere: neque vnde descendat est quærendum. Sic enim ab ipso deo manans adest corpori (vt
B ita dixerim) sicut à solis lumine radius oculo. Sed delectat interdum vnà cum priscis confabulari. Igitur si Zoroastri & Mercurio credimus, ex amplo demittitur ambitu mundi. Atque vt illorum sententiam ordine referam, infima mens supremo corpori primum adhæret: neque hæret solummodo, sed infunditur: quo tanquam medio crassioribus corporibus copulatur. Spiritus simplex immortalisque non aliter composito mortalique corpori, quàm per corpus simplex & immortale coniungitur. Neque id quidem iniuria: quoniā anima per suam essentiam corpori præstat vitam. Essentia eius, vita est sempiterna. Sempiterna vita cui primum hæret, hæretin sempiternum: præsertim quoniam essentia animæ

immutabilis est: quo fit vt immutabiliter proximum sibi corpus viuificet. Siquidem perpetuæ vitæ proprius actus est viuificatio sempiterna. Tale quiddã opinari poterit aliquis Aristotelem cogitauisse in secundo de generatione animalium libro: vbi cum probauisset intellectualem animam esse à corpore separabilem, propterea quòd cum operatione sua non communicat operatio corporalis: paulo post subdidit huic animæ conuenire corpus aliquod quod sit à genituræ corpore separabile. Ex quo etiam apparet quod contra Auerroem in superioribus quærebamus scilicet intellectualem animam esse formam corpus viuificantem: præsertim quia cum Aristoteles ibidem probauisset ex tribus animabus, scilicet vegetali, sensuali, intellectuali, hanc solam esse, & ab extrinseco & à corpore separabilem, quia huius tantum operatio per se absque instrumento possit exerceri: subiunxit has omnes scilicet tres animas pariter esse in semine secundum potentiam. At verò siquis hęc consideret diligenter, inueniet non posse potentiã vllã his esse cõmunem, per quam corpus pari ad tres animas modo in potentia sit, nisi facultatem quandam qua ab intellectuali anima similiter atque ab aliis vitam motumque accipiat. Sed iam ad corpus animæ proximum redeamus. Hoc vocant magi vehiculum animę: ętthereum scilicet corpusculum acceptum ab ę- there, immortale animæ indumentum: naturali quidem figura rotundum propter ętheris regionem, sed in humanam effigiem sese transferens, quando corpus humanum ingreditur: atque in priorem se restituens cum egreditur. Quod ob eam causam Magi necessarium arbitrantur, quoniam angeli tales sunt, vt & virtute separabiles, & actu separati sint à corporibus: irrationales animæ neque virtute separabiles, neque actu. Ex quo sequitur: rationales animas tanquam medias tales esse debere, vt virtute quidem semper separabiles sint, quia si illis subtrahantur corpora, non peribunt: actu autem sint semper coniunctæ: qui familiare corpus nanciscuntur ex æthere, quod seruant per immortalitatem propriam immortale: quod Plato currum tum deorũ tum animarum vocat in Phædro, vehiculũ in Timæo: quo vtantur animæ sphærarum cælestesque purissimo, dæmonum animæ minus puro, nostræ quoque minus propter ter

Corpus animæ proximum

Nota

D

reni corporis mixtionē. Quā ob causā ita p̄cipit Zoroaſter.
μὴ πνεῦμα μολύνῃς, μὴ δὲ βαθύνῃς τὸ ἐπίπεδον.
id eſt ne fœdes ſpiritum, neque in profundū exaugeas quod eſt planum. Spiritum planumq́ue appellat ipſum vehiculū: non quia corpus non ſit atque profundum, ſed quia propter tenuiſſimam & ſplendidam puritatem ſit quaſi non corpus. Præcipit ergo ne propter nimiū corporis elementalis affectum cogas ipſum etiam poſt hanc vitam ſordidum atque
E graue ſuperfore caliginis elementalis adiunctione, quam animæ vmbram priſci theologi nuncuparunt. Neque tamen volunt rationalē animæ partē proximo hęrere vehiculo, ſed rationalem ipſam animam, quantum & rationalis eſt, & comes cęleſtium animarum, edere actum viuificū in vehiculū quod animæ idolū ſæpe iā appellauīmus: quā ſpeciē animæ mortalē in libro de mundi generatione Plato nuncupat: nō quia moriatur aliquando: ſed quia ſubtracto vehiculo rueret, vt quidā putant. Sicut enim lunæ ſplēdor in nube ꝓmit ex ſeipſo pallorem, ſic anima in corpore cæleſti emittit idolū quaſi ſtella crinita comā. Quod euaneſceret, ſi euaneſceret corpus illud: ſicut pallor extinguitur nubibus diſſipatis.
F Quia tamē nunquā vehiculū ſubtrahetur Zoroaſter inquit.
ἔστι καὶ εἰδώλῳ μερὶς ἐς τόπον ἀμφιφάνσα.
id eſt. Eſt idolo quoque locus in regione perſpicua. Quia ſcilicet cum vehiculo ſimul & anima rationali recurret in cælum. Plotinus autem ipſum eſſe putat ſimpliciter mortalē,
G etiam ſi ipſi vehiculum ſubtrahatur. Similiterq́ue ait ſolis lumen in aëre, immo præſens aëri, haud extinctum iri etiam ſi aër tollatur è medio: Ex ſolo enim ſole pendere tanquam perennem ipſius actum, neque eſſe paſſionem aëris, qualitatemq́ue aëri propriam. Siquidem momento adeſt atque abeſt: neque ipſius quicquā ſublato ſole reſtat in aëre. Neque ſolū adeſt aëri, ſed ſimiliter omni perſpicuo, etiam ſi contrariæ inter ſe naturæ perſpicua ſint: quaſi nō à certa natura ſubiecti dependeat. Neque aliquo modo à perſpicuo, qua ratione perſpicuum eſt, dependet: ſed tantum illi adeſt, quia non impeditur illi adeſſe, ſicut adeſſe opaco impediri videtur. Sol enim hunc actū emittit ſemper: nō dimittit: nō immittit. Sorte vero cōtingit ſubeſſe quod capiat: immo ꝙ capere videatur. Actus hic ſolē viciſſim ꝓpetuo comitatur.

Similiter se habet & vultus ad speculũ,& ad corpus anima. Hæc Plotinus. In esse autem idolo huic opinantur phantasiam quãdam irrationalem atque confusam:sensus præterea tales,vt per totum vehiculum videatur pariter atque audiatur : quibus sensibus propriè homines quàm pauciſſimi vtantur & raro. Sentiri verò per illos sæpe concentus cælorum mirabiles,vocesque & corpora dæmonũ,quotiens aliquis ad tempus terreno corpore derelicto sese in corpus suum cæleste receperit.Ideo Tatius Mercurij filius cum esset paternis sacris expiationibusque purgatus, illico exclamauit esse se tunc in corpus immortale transiatum , ac intueri mirabilia,& audire.Quod & ipse Mercuri⁹ narrat sibi quo que paulo ante in abstractione animi contigisse.Olympiodorus quoque Platonicus tradit Apollonum Tyaneum hac ratione solitũ ex vrbe Roma quæ fiebant in Aegypto prospicere.Mitto quòd Platonici multi putant animam tribus vti vehiculis : primo quidem immateriali & simplici id est cælesti:secundo materiali & simplici id est aëreo:tertio materiali atque composito id est ex elementis quatuor constituto.Et primo quidem dare vitam irrationalẽ,sed immortalem : secundo verò vitam irrationalem , sed longæuam: quæ videlicet cõposito corpore aliquando dissoluto ad certum tempus superſit in simplici corpore:tertio denique vitam & irrationalem,& vnà cũ dissoluto corpore dissoluendam . Præterea in prima vita cõmunicata vehiculo sensum esse communem atque impatibilem: in secunda patibilem & communem id est per vehiculum vniuersum sensum pariter vniuersum : denique in tertia sensum diuisum pariter atque patibilem.

H I K L

Qua parte cæli animæ creantur,qua ve descendunt. Cap. 5.

QVa parte cæli animæ procreantur,quanquã stultũ est quærere sitũ in his quæ situ aliquo nõ clauduntur: & sicut vbicunq; sol fulget,ibi mittitur radi⁹:sic vbicũq; de⁹ adest,mittitur animus:delectat tamen cũ antiquis interdũ poëtice ludere.Igitur alias inquit Timęus apud alias stel las à mundi opifice seminari:quarum fiant in vita comites animæ.Quod ita Platonici intelligi volunt, vt non singulæ

animæ, sed animarum legiones singulis stellis accommodentur. Addit deum animas suis imposuisse vehiculis: ac vniuersi naturam legesque fatales edocuisse. Qua parte cæli descendunt? Cancro præcipue, vt aiunt Platonici: vicissimq; per Capricornum cancro oppositum ascendere putant. Atque hinc illam hominum, hanc deorum portam appellant. Nemo vero adeo falli debet, vt descensum ascensumve hic accipiat secundum situm: sed quia Luna cancri domina, generationi proxima est: Saturnus verò dominus capricorni remotissimus ideo per cancrum, id est lunarem vegetalemque instinctum descendere animas dicunt: per capricornum
A vero, id est per saturnium intellectualemque instinctum ascendere. Saturnum enim prisci mentem vocant, qua sola superiora petuntur. Accedit ad hæc, quòd capricorni saturniique sicca virtus dum spiritus ad intima contrahit atque colligit, ad contemplandum assidue prouocat: lunaris autẽ humor spargit atque dilatat: & animum circa sensibilia distrahit. In ipso autem descensu animus accipit & à Saturni numine per se, & à Saturni lumine per corpus æthereum atque idolum, adminicula quædam siue incitamenta ad con-
B templationem aptius exequendam: ab Iouis numine atque lumine similiter ad vitæ ciuilis gubernationem: à Marte similiter ad magnanimitatẽ propter iniurias propulsandas: à Sole ad phantasiæ & sensuum claritatem: à Venere ad charitatem: à Mercurio ad interpretationem atque eloquentiam: à luna ad generandum. Et quanuis inde singula dentur bona, possunt tamen in mixtione terrena ad malum degenerare. Descensus huiusmodi ita ferme subito potest fieri, vt radij descensus à sole: qui quanuis subito demittatur in terram, variis tamen in ipso casu nubium vestitur coloribus.
C Nonnulli verò putant animas in qualibet sphæra ad certũ tempus vitã agere sphæræ illi conuenientem. Sortiri enim à sphæris singulis vehicula propria, ac tandem post multa secula ad elementa descendere, atque in igni & aëre demoni cam, in terra humanam brutalemve vitam agere. Item similibus gradibus tandem ad superna redire. Hæc illi. Nos autem in omnibus quæ scribimus, eatenus affirmari à nobis aliisque volumus, quatenus Christianorum theologorum concilio videatur.

Quando

Quando infunditur anima corpori: & quò dum in corpore vivit, ducitur. Cap. 6.

QVando infunditur anima corpori? Postquam in aluo mulieris ipsum semen quod à toto viri corpore antè defluxerat, traxeratque secum formatricem vim ab anima viri, per hanc ipsam vim diebus circiter quinque & quadraginta sic est affectum, vt sex primis diebus lac euaserit, nouem sequentibus sanguis, duodecim aliis caro, decem & octo reliquis fuerit figuratum: tunc anima creatur atque infunditur. Qui animas ante ingressum vixisse putant, eas dæmonem vitæ ducē naturaliter elegisse dicunt in ipso descensus initio prius quàm corpus ingrederentur. Alij vero postquam electione vti cœperint, eligendo mores interim dæmonem vitæ ducem latenter eligere. Sæpe etiam eundē dæmonem à pluribus eligi. Posse enim animas multas genio vno id est vno ingenij duce dæmone vti. Qui antè eligere opinantur, ex illa potissimum turba dæmonum accipere volunt, quæ eidem accommodetur stellæ cui & anima ab ipso mundi opifice fuerit assignata. Tot enim esse dæmonum heroumque legiones, quot stellæ sunt numero. Atque ex tali quadam turba illum sortiri præ cæteris, qui cum illa electa vita maxime conuenit & figura cæli, quæ eo ipso electionis descensus momento componitur: maximamque his de causis in hominum ingeniis fortunisque differentiam prouenire, qui verò post ortum pro aduersitate morum diuersos animas adipisci genios aiunt, permutari quoque duces eiusmodi concedunt moribus permutatis: pluscq; consilio tribuere quàm vel fato vel fortunæ videntur. Verum vtcunque sit, perpetua indigemus custodia numinum. Quod quidem Plato cum in symposio, Protagora, Politico, Critia dicat, sic probat in legibus, videlicet quoniam inter falsa bona & innumerabilia mala versamur: vnde perpetua fallacia & perturbatio nascitur. Ideoque tanquam oues mira diuinorum pastorum custodia semper egemus. Addit, cum nos proprium quidem vitium perdat, propria verò virtus velut exigua seruare non possit: ideo sola superorum virtute custodum (quorum virtutis imago quædam exigua sit nostra virtus) nos posse seruari: præsertim cum sicut alibi dicit Her

mia exponente, malefici dæmones assidue nos pro viribus ad inferiora detorqueant. Sed alij sunt custodes illi qui nos eligunt: alij dæmones quos nos eligimus.

Qua parte corporis anima ingreditur qua egreditur, & quo duce progreditur. Cap. 7.

G ANima qua parte corporis ingreditur, qua egreditur? Anima, quę est medium rerum, iussu dei (qui est mundi centrum) in punctum cordis mediū (quod est centrū corporis) primùm infunditur. Inde per vniuersa sui corporis membra se fundit, quando currum suum naturali iungit calori, per calorem spiritui corporis. Per hunc, spiritum immergit humoribus: membris inserit per humores. Denique per morbum solutis iis mediis, statim cum suo illo curru se (vt ita dixerim) colligit, refluitque in cor: vnde primū effluxerat. Cordis extincto calore, quod proprium erat illius vehiculi susceptaculum, cor deserit tandem suo illam vehiculo comitante: sicut oculo clauso lumen solis quod illi influxerat, effluit integrum, suo ipsum comitante calore. At que vt probat Plotinus, non extinguitur, sed solem suū per-
H petuo sequitur. Mitto in præsentia, quòd egredientes animas genij dæmonesque sui ad communem iudicem omnes ducunt: sed lata sententia priora abeunt dæmones malasque violentus & malus dæmon trahit: bonas autem deus tranquille perducit. Hęc in Phedone.

De statu animæ puræ præcipuè secundum Platonicos Cap. 8.

I VBinam est anima pura decedens corpore mortuo? Vbi est lumen solis purum oculo clauso. At lumen in solem reflectitur. In ætherem quoque reflectitur animæ currus æthereus, onere terreno depositō. Ad ætherem aspirat anima nata quondam in æthere, vt inquit Pythagoras: præcipue si viuendi & cogitandi habitum æthereis mentibus similem mente conceperit. Ita enim animus habitu mouetur & agit, sicut natura formis. Quod quidem patet in his qui postquam artis habitum contraxerunt, sine consilio & attentione (vt natura solet) quasi naturaliter operantur.

Remanere vero in anima ſeparata habitus tũ morum tũ disciplinarũ tam bonos quàm malos, Plato in Phedone Gorgiaque aſſerit: & ratio illa probat, qua dicitur habitũ ita in naturã cõuerti, vt talis ab illo, qualis à natura ꝓueniat inclinatio. quod maximè impletur in animis ab hac mutabilitate ſeiunctis.

Sed cur animæ quoq; elementorũ, earũq; currus, ad cæleſtẽ habitationẽ non annitũtur? Quoniã, vt Platonicorũ potius quàm mea opinione reſpondeã, officiũ illis à deo aſſignatũ eſt vt ibi ſint ſemp. Animę cedunt voluntati diuinę. Currus quoq; cedũt deſiderio animarũ. Animæ illæ ex hoc officio pręſtantius officiũ non amittunt. Currus orbicularem motum circa ſuas animas ſeruant non impeditum. Et ſicut cælis naturale eſt illic circa ſuas animas verti: ita hic his vehiculis circa ſuas. At anima noſtra rite functa hĩc munere ſibi ad tempus iniuncto, ætheris eam plagam ſibi præ cæteris eligit, cui naſcendo fuerat aſſignata. Ad illud confugit aſtrũ atque numen, vt Plato inquit, cui viuendo ſe ſimilem reddidit. Sed hæc illi viderint. Proinde ſicut in terris conſiderando à ſingulis ad cõmunes naturaliũ ſpecies, à ſpeciebus ad rationes diuinas tanquã naturaliũ cauſas ꝓcedebat: ſic in cęlo viciſſim à rationibus diuinis id eſt ideis ad ſpecies naturales perfecte, ab his ad ſingula quodãmodo ſe conuertit. Ac q̃ diligẽter hic inſpiciebat ſingula, tã ibi eadẽ ꝓſpicit negligenter. Rurſus q̃ obſcurè diuina proſpiciebat, tã perſpicuè ibi perſpicit eadem. Et quę hic ſingulatim ꝑ inſtrumenta in externo videbat lumine: illic ſecundũ ſpeciẽ per ſe in lumine videt intrinſeco. Profecto quantum olim conuertebatur ad ſenſum, tantum cõuertitur tunc ad mentem, cuius oculo diuinum fulget lumen. Quod quidem etſi intrinſecũ mentibus dici poteſt, tamen multo magis ab ipſo deo, quam infuſus oculo radius à ſole pendet ſemper atque ſeruatur: plenuſq; formarũ adeſt, ſicuti colorũ ſolis lumen. Formaſq; ipſas, & cũcta ꝑ formas eatenus oſtẽdit mẽtibus, quatenus in ipſum puræ ardenteſq; cõuertũtur. Tot vero ſaltẽ iis omnino cõuerſis patefacit, quot rerũ ſpecies facit in mundo. Nõ enim decet minus formare mentẽ, q̃ mundi materiã. Neq; minus tribuere menti, q̃ naturaliter appetat, optat autẽ ordinem vniuerſi comprehendere, quo & ipſa comprehenſa

est:quem diuturna iam admiratione quæsiuit.In quo & ipsa prouidentiæ cuiusdam sortitur officium.Singula verò & infima tantum in lumine prospicit, siue præterita illa fuerint,siue præsentia,siue futura:quantum ad illa vel prouidentia quadam vel affectu dirigitur. Sanè quemadmodum senes puerorum ludos,philosophi studia plebeiorum,vigilantes somnia dormientium aut negligunt aut rident: nisi aliter nonnunquam necessitas postulauerit:ita & multo magis segregatæ mentes nostra hæc singula & contingentia negligunt,nisi quantum ab ipso omniū patre(cuius natura prouidentia ipsa est:cuius agere est prouidere : cuius officium est omnibus prouidere) prouidētia illis quædam fuerit demandata. Tales Plotinus animas tum ex antiquorum sententia tum ex propria ratione probat curare suos: & sæpe
A publice vaticiniis cæterisq; beneficiis generi humano prodesse. Sed cum harum prouidentia voluntati diuinæ consentiat, non perturbatione ex rebus nostris vlla tanguntur, sed facilè hæc & tranquillè gubernant.

B SEd nequis diffidat animam separatam ad tantum posse lumen attolli,propterea quòd eam in corpore videamus tanta caligine circunfusam,comparare Platonici iubent intellectum quidem visui, intelligibile vero visibili. Visus nunquam lucem ipsam in ipso sole plenissimam comprehendit.Illa enim huius semper excedit proportionem.Interdum etiam neque lumen in coloribus impeditus cataracta videt.Aliquando vapore quodam offusus vel rubro vel croceo, & obscure & aliter quam sit iudicat. Alias autem vel propter contractionem ad interiorem imaginationem, externa non videtur aspicere,vel propter distractionem simul ad obiecta inter se longe distantia,vix cernit alterutrum.Ac si paulo attentius ad alterum vergit: interim remissius vel nullo modo vergit ad alterum.Similiter intellectus humanus immensam ipsam diuini luminis plenitudinem in absoluta dei natura exuberantem nunquam penitus cōprehendit: quippe cum illa nimium capacitatem mentis exuperet. Præterea idem dei lumen vel in rerum creatarum ideis quasi determinatum,vel in angelis iam contractum clare perspicere quidem potest aliquando:videlicet cum ferme ita fuerit à corporis contagione semotus vt illa. Elementali verò,

vt nunc, coniunctus corpori, quasi cataracta quadam adeò eius ad illa proportio impeditur, vt ideales rationes angelicasque substantias longe admodū à materia segregatas omnino comprehendere nequeat. Proinde quotiens pro viribus quasdā earū proprietates excogitat, totiens, quia phantasiæ coniunctus est, nimirum phantasię simulacris, quasi vaporibus nebulisq; eas adeo prospicit inuolutas, vt vel obscure admodum, vel aliter quàm sint, videre cogatur. Postremò etiam si parumper quoad potest phantasiæ discutiat nubes, interea tamen quia & ad difficile regendi corporis ministerium est contractus, & ad sensibilium imaginum occursum continue impendentem, simul atque ad intelligibiliū C intuitum est distractus: idcirco supernos influxus vix quidē suspicit, & quasi nec prospicit, atque (vt Platonici opinātur) tanquam per repentinam quandam coruscationem subitò vanescentem. Quamobrem nemini mirum videri debet q̄ hic neque claritatem diuinorum percipiamus, neque suauitatem ipsam quæ illic gustatur ex illis, ipsi vnquam vel paulum degustemus. Nempe mens ob informem materiam & à mente & à diuinis alienissimam, non aliter quàm lingua propter pituitam paralytica, diuinorum saporum veritatē voluptatemque gustare non potest. Sed tunc demum salutarem nectarei liquoris recipiet gustum, cum Lethęi fluminis lethales humores penitus expurgauerit: atque insuper diuinum fontem non naturali tantum siti, quæ ex seipsa molesta est, appetierit: sed etiam quodā moralis piæque sitis habitu ipsum præ cæteris, immo solum elegerit appetendum. D Quo autē gustu saporibus his vescatur, alibi disputauimus. Huc tendit Platonicum illud in Phædro, animas quæ ex Lethęa emerserint aqua, altius euolare: ibique primò cęlestem vnà cum diis cæleſtibus, deinde supercæleſtem cum supercæleſtibus circuitum agere: eo scilicet ordine, vt aliæ cum aliis ibi numinibus circunuagentur, circuitusque huiusmodi alternis vicibus repetant. Hoc autem nihil aliud sibi vult, quàm solutas ab elementalibus corporibus animas in cæleſtibus iam vehiculis in figuram propriam, circularem scilicet restitutis, cæleſtem colere regionem: atque alias vnà cū ſtellis, cælicoliſque aliis, quibus vel natura vel habitu magis familiares sunt, tum in certa quadam mundi gubernatione

congruere,tum per rerum ſpecies ſimiliter ratione diſcurre re.Rurſus cum diis ſupercæleſtibus,id eſt angelis in ipſo id earum intuitu & quaſi quodam circuitu ſubito conſentire: & vnà cum vtriſque feliciter vtrunque peragere. Addit eiſ-
Ambroſia nectar
dem vnà cum ſuperis illic alimentis ſcilicet ambroſia & nectare veſci.Ambroſiam quidem eſſe cenſet perſpicuum ſua uemque veritatis intuitum:nectar vero excellentem facillimamque prouidentiam.Hic panditur & vetus illud arcanũ
E
Cœtus arcanum
à Platone in libro de regno præ cæteris celebratum,præſentem mundi circuitum ab oriente ad occidentem eſſe Iouiũ atque fatalem: verum fore quandoque alterum huic oppoſitum ſub Saturno ab occidente viciſſim ad orientẽ, in quo ſponte naſcentur homines,atque à ſenio procedent in iuuẽtutem:alimentaque illis vltro æterno ſub vere ad votũ ſuppeditabuntur. Iouem(vt arbitror)animam mundi vocant:
Præſidem animam mundi
cuius lege fatali manifeſtus hic manifeſti mundi ordo diſponitur.Præterea vitam animorum in corporibus elementalibus Iouiam eſſe vult,ſenſibus actionique deditam.Saturnum vero ſupremum inter angelos intellectum:cuius radiis illuſtrentur vltra angelos animæ, accendanturque, & ad intellectualem vitam continuè pro viribus erigantur. Quæ quotiens ad vitam eiuſmodi conuertuntur, eatenus ſub regno Saturno dicuntur viuere,quatenus intelligentia viuũt. Proinde in ea vita ideo ſponte dicuntur regenerari, quia electione propria in melius reformantur. Rurſus in dies reF
Iuuenescere
iuueneſcere id eſt in dies, ſi modò ibi dies dinumerantur, magis magiſque floreſcere. Hinc illud apoſtoli Pauli: Homo interior renouatur in dies. Denique illis alimenta ſponte affatim ſub perpetuo vere ſuppeditari:quia non per ſenſus,operoſamque diſciplinam,ſed per lumen intimum,ſummaque cum vitæ tranquillitate atque voluptate miris veritatis ipſius ſpectaculis perfruuntur.Eiuſmodi vitæ odor qui
G
dem mente pro viribus ſeparata ſentitur:ſapor verò mente penitus ſeparata guſtatur.Addit his in Sympoſio, purgatas animas quæ diuinam præ cęteris pulchritudinem amauerunt, tandem in ipſum diuinæ pulchritudinis pelagus ſeſe prorſus immergere:diuinoſque ibi liquores nõ tantum bibere,ſed etiam in alios iam ex ſeipſis effundere. Summum verò beatitudinis concludit in Epinomide,vbi ait animum

purgatissimum omni tum mutabilitate firmata, tum multiplicitate collecta, sese in propriam vnitatem intellectu superiorem omnino conferre: perque hanc in vnitatem diuinam intelligibili mundo superiorem iam transferre : deoque potius viuere, quàm seipso: cui certe mira quadam super intelligentiam ratione sit coniunctus. Hunc verò nodũ effici Plato vult diuina quadam luce: quæquidem non aliter in mente refulgeat, quàm si amore dei prorsus accensa transformetur in deum. Quo fit vt diuinum amorem in H
Phædro omnibus diuinis furoris gradibus animique bonis longissime prępoſuerit. Hic vero potissimum Platonica latent mysteria, paucis quæ subdam, à nobis breuiter comprehensa. Nempe segregatæ mentes cum primùm in se conuertuntur per radium naturalem sibique proprium, tanquã animalia quæ nocte vident, pauca quædã, & illa quidẽ quasi sub nube vident: quatenus scilicet earum natura ea sub determinata specie rerumque formulis quasi informibus repræsentat. Deinde vero per radium proprium in lumen cõmune cunctis mentium sublimium speciebus sese conuertentes, iam per ipsum quasi per diurnum lumen perspicue cuncta ab ipso luminis huius auctore creata conspiciunt.
Lucem vero ipsam luminis huius originem, quam naturaliter appetunt, ideoque nec frustra desiderant, assequi suspiciendo non possunt: quoniam & per externum à deo lumen quatenus externum est, lucem deo intimam omnino penetrare, & amplissimum dei angustissimo suo comprehendere nequeunt. Siquidem lumen ipsum quanuis in deo amplũ, tamen in mentibus euadit angustum. Verũ lucem licet obscure perspectã, tamen ardenter amãdo, ipsius interim calore penitus accenduntur: atque accensæ, quod amoris est ꝓpriũ, trãsformãtur in lucẽ. Qua deniq; roboratæ, ob amorẽ iã cõsequũtur, quod ꝑ aspectũ vix eminus sequi potuerãt: vt lux iã ipsa amore facillime fiant, quam prosequi oculis ante moliebantur. Tanta vis est amoris, tanta facillitas, tãta felicitas, immo vero (vt rectius loquar) tanta vis est lucis amatæ. Mens enim amando lucẽ non tam sese accẽdit & transfert, quàm à luce blande alliciente, vehementer percutiente penitus penetrante & accẽditur & transfertur & lucet. Cum vero tota perceptionis fruitionisque efficacia quæ in sensi-

bus est externis, sit & multo magis in phantasia, rursusque longe potentior sit in mente, expedita præsertim: ac præterea sensibilium rerum oblectamentorumque rationes exactissimæ sint in deo: sequitur vt mens dum expedita potitur deo, summa quæque & sincerissima omnium oblectamenta sensuum suo quodam miroque modo plenissime sentiat: neque solum imaginaria circa deum delectatione quasi videndo audiendoque & odorando (hæc enim implere non potest) sed etiam substantiali quadam gustui tactuique per simili voluptate permulceatur. Gustum verò tactumve inquam non contigui cuiusdã, vt fit in sensibus, sed penetrantis penitus atque penetrati: penetrati inquã à toto immensoque bono, totum secum immensumque gaudium inferente.

Nouem gradus in patria.

A PRoinde nouem beatorum gradus non solũ apud Christianos, sed etiam apud Platonicos, tum in angelis, tum in animis disponuntur, ob eam (vt arbitror) rationem, quòd nouem præcipue modis diuina illic perficit contemplatio. Sanè quemadmodum nos ex rerum potentia, ordine, commoditate, potẽtiam, sapientiam, bonitatem dei qua possumus sagacitate venamur, sic illi vicissim ex diuina bonitate potentia, sapiẽtia tanquam ex finali efficiente exemplari causa vniuersi, hæc tria similiter in rebus agnoscunt, ea videlicet ratione, vt alij diuinam bonitatem potissimum in seipsa considerent, alij ad res ipsas præcipue referant, alij præcipuè res ad ipsam velut ad finem: singuli tamen cuncta contueantur. Sic ergo triplex diuinæ bonitatis impletur intuitus, per quem tres primi beatorum ordines distinguũtur. Tribus quoque modis similiter potentia, totidemque sapientia cogitatur. Hinc sex insuper ordines beatorum connu-
B merantur. His nouem felicium gradibus apud Platonicos octo cælorum plagæ, ac nona super cęlum excogitata regio congrue accommodari videntur. Apud Orphicos autem octo cæli: atque sub luna æthereus ignis. Apud Christianos circuli sub empyreo nouem. Quilibet enim ad illam potissimum regionem habitu quodam simili quasi naturali leuitate feruntur, cuius habitatoribus angelis sese in vita præci-

pue ſimiles reddiderunt. Similiter quoque Chriſtiani reprobos animos in nouem reproborum dæmonum gradus quibus ſe viuendo fecere ſimiles, ipſa ſimilitudine quaſi pondere naturali putant præcipitari. Sed de his alias. Quod verò nouem ſint in beatitudine gradus, hęc quoque (vt arbitror) ratio comprobat. Nempe diuiuam potentiam timemus: ſapientiam quærimus: diligimus bonitatem. Solus quidem bonitatis amor animam tranſformat in deum. Idcirco amor abſque inquiſitione atque timore animam patriæ reddit: contrà vero nequaquam. Sed iam gradus ipſos quibus in cælum aſcenditur, ordine diſponamus. In primo ſint qui potiſſimum bonitatem amant, deinde potentiam timent, poſtremò ſapientiã quærunt. In ſecundo, qui in primis diligunt bonitatem, circa vero reliqua duo ſe pariter habent. In tertio, qui ſimiliter erga bonum in primis afficiuntur, deinde ſapientiam perſcrutantur, poſtremò timent potentiam. In quarto, qui circa tria æque ſe habent. In quinto, qui bonum primo amant, deinde potentiam extimeſcũt. In ſexto, qui ſimiliter bonum diligunt: ſequenti verò gradu appetunt ſapientiam. In ſeptimo, qui abſolute bonũ & ſimpliciter amant. In octauo, quos potentia primum, ſecundo bonitas, tertio ſapientia mouet. In nono, apud quos ſapientia primo, ſecundo bonitas, tertio potentia poteſt. Myſterium eiuſmodi in euangelio ibi ſignificatum arbitror, vbi diuinum oraculũ ſectatores ſuos nouies beatos appellat: propterea quòd nouem gradibus meritorum, duce deo, cæli nouem ad nouem contemplationis ordines beatè petuntur. Sed ecce iam beata euãgelij ſancti commemoratio nos admonere videtur, vt philoſophicis dimiſſis ambagibus, breuiori tramite beatitudinem ea quęramus via, qua Chriſtiani ducunt theologi, ac Thomas Aquinas in primis, Chriſtianæ ſplendor theologiæ.

De ſtatu animæ puræ præcipuè ſecundum Chriſtianos theologos.

CReata mens quælibet reſpiciendo vel in ſuam eſſentiam, quæ ibi differt ab eſſe, & in certa ſpecie eſt à deo infinitè diſtante, vel in lumen ſibimet proprium, vel in quoduis lumen in ea determinatum, ſubſtantiam diui-

nam intelligere nequit: quæ cum infinita sit, certe quid ipsa
E sit, per finitum aliquid repręsentari non potest. Solum verò
per ea quę diximus, mentes & deũ esse cognoscunt, & quid
non sit potius quàm quid sit, & qua ratione vel ipse ad alia,
vel alia referantur ad ipsum. Id Plato in Parmenide probat.
Idem Dionysius Areopagita in mystica theologia comprobat, cõcludens mentes in summo naturalis cognitionis gradu coniungi deo velut ignoto, quasi oculum sub solis lumine caligantem. In eiusmodi vero cognitione naturale desiderium non impletur. Quicquid enim in specie quadam est imperfectum, speciei ipsius optat perfectionem. Talis autẽ cognitio in ipsa cognitionis specie imperfecta censetur. Solem⁹ enim in nullo cognitionis modo quiescere prius q̃ qd
sit res ipsa secundũ substantiã cognouerimus. Prętera ratio
ni naturalis est cõtinua p rationes discursio quousq; ad sum
mã peruenias rationẽ: quę quoniã infinita sit, ideo sola ratio
nis discursum ex se absq; fine frustra p̃agaturũ sistere pos-
sit. Siquidẽ vltra finitũ quodlibet mẽs semp aliquid vlterius
machinatur. Quod quidẽ in numeris & lineis & figuris pro
portionibusque apparet. Quo fit, vt in sola dei substantia,
quæ sola infinita est, conquiescere valeat. Idque inde proue
nire censendum, q̃ naturalis tũ intelligentiæ perspicacia, tũ
voluntatis ardor, radius quidam est ab ipsa diuina luce pro-
xime per ipsius lumen infusus: in eandemque resilit natu-
F raliter: neque moueri cessat prius quàm in suum se solẽ de-
nique restituerit. Proinde quo quid naturali est fini pro-
pinquius, eo vehementius aduentat ad finem. Quod in ele-
mentorum motibus est manifestum. Segregatæ verò men-
tes per naturalẽ cognitionẽ ꝓpinquiores deo euadũt quàm
coniunctæ. Igitur cum nostræ naturalis cognitionis suæ ter
minis contentæ non sint, certe multo minus illæ. Quoniã
vero naturalis speciei cuiusliber appetitus ab vniuersali na-
tura directus omnino inanis esse non debet, oportet mẽtes
omnes posse diuinã videre substantiã: sine qua nihil perfe-
cte vident. At cum videre illam in specie aliqua creata non
possint, opus tamen sit forma per quam videant, forma in-
quam diuinæ substantiæ propria, qua illam non imaginariè
sed propriè cernant: necesse est eas diuinæ substantiæ adeo
copulari, vt ipsam iam inspiciant per seipsam. Simile quid-

dam apparet in visu: qui colores quidem per ipsorum imagines sub lumine cernit: lumen vero per aliud præcipue q̃ G
per lumen videre non potest. Sed ne quis absurdum putet deum intellectui coniungere, velut formam meminisse oportet perfectionem mentis consistere circa verum. Verum autem & ens & intelligibile, idem. Quicquid aut in hoc ipso genere ex essentia atque esse componitur, tanquam ens verumque potius quàm tanquam esse veritasve se habet: neque potest aliorum in eodem genere esse forma: cum iam forma in se sua ad suam quasi materiam sit contracta. Itaq; nulla creata mens mentium reliquarum forma fieri potest: immo solus deus ad genus mentiũ vbique se habet vt forma: qui solus est ipsum esse, & simplicissima veritas: vt forma inquam, non tanquam pars cõpositi, sed operandi principium, quo mens potius vt deus iam, quàm vt mens operetur: sicut ignitum aurum vt ignis agit potius quàm vt aurũ, quale Apocalypsis Ioannis iubet emendum.

Quo pacto mens deo coniungitur.

AD hoc autem vt mens diuinam induatur substantiam A
quasi formam, non propria virtute ducitur, sed diuina trahitur actione. Siquidem natura inferior proprietatẽ formamque superioris absque superioris ipsius actione consequi nequit. Quod in elementis est manifestum, in quibus aër non aliter quàm agente igne ignis euadit. Præterea nihil potest ad excellentiorem actionẽ aliquando perduci, nisi prius in eo virtus corroboretur. Quòd si ad consuetam actionis speciem, sed tamen aliquanto vehementiorem est perducendum: satis vtique erit si modo solita virtus augeatur: vtpote si aër qui naturaliter vno calefacit gradu, duobus aliquando sit gradibus calefacturus, sufficiet naturalis sui caloris aliquantũ intendere qualitatẽ. Veruntamen si aër actionem specie genereque superiorem sit sibi vẽdicaturus, videlicet si illuminaturus fuerit, quod corporis est ætherei propriũ, nouã ab ipso æthere formã iam sortiatur oportet. Quorsum hæc? Vt intelligamus mentẽ non posse ad diuinã substantiam per ipsammet perspiciendam attolli per solum naturalis virtutis & luminis augmentum: cum eiusmodi

operatio ab ipsa naturali mentis operatione plus quàm genere differat: sed opus esse noua quadam virtute, nouoque
B lumine ab altiori principio descendente. Quod quidam & gratiæ & gloriæ lumen appellant: quo illuminata mens, & multo magis accensa, diuinam iam substantiam, cuius calore iam feruet, induitur velut flammam: flammam inquam, non qualem in crinita stella siccus vapor à terra sublatus subit prope ignis sphęram, quanuis id admodum simile videatur: immo flammam supercæleſtem, lucentem salubriter, non vrentem. Negabit forte aliquis mentem per quoduis lumen ad perspiciendum deum posse perduci: quia si nulla est visus ipsius ad sonum proportio, nimirum neque mentis, neq; luminis à mente suscepti, ideoque finiti, vlla ad immensum deum proportio est. Nos autem respondebimus, deum quanuis facultatem intellectus excedat, nō tamen sic alienum esse ab intellectu, sicut sonus est alienus à visu: vel insensibile quiddam à sensu cum deus sit, vt Christianis placet theologis, intelligibile primum, totiusque intellectualis
C virtutis & actionis principium, mediumque & finis. Est igitur quædam inter intellectū deumque proportio: non quia sit vlla commensuratio, sed habitudo quædam potius quasi materiæ intellectualis ad intelligibilem formā, & effectus ad causam. Præterea lumen illud infusum & si terminatum euadit in mente, ea tamen virtute præditum à deo infunditur, qua eam diuinæ substantię copulet, non naturali quidē, sed intellectuali potius copula. Id verò efficere nequit radius naturalis: quia iam ab initio totus in suscipientis transiuit naturam per se prius informem: vnde & ipse caliginosus euasit & debilis. Neque mens cū lōge à diuina simplicitate degeneret, totā potest suam per idem sortiri perfectionem: ideoque aliud in ea radius est naturalis, per quem quatenus suæ conuenit speciei, nonnihil intelligit: aliud verò lumen infusum diuinitus, quo subleuante ad gradum super se vltrà quàm cogitari possit eminentissimū mirabiliter eleuatur. Denique infinitas ipsa dei haud priuationem formæ significat, qualis infinitas materiæ conuenit: (cumque sit inefficax & informis, merito cognitioni inepta censetur) sed absolutam significat excellentiam nullo prorsus subiecto contractam. Hæc autem ceu sol natura sua id habet, vt mirum

in modum lucendo atque illuminando maxime omnium mouere intellectualem visum possit, atque videri: & qua virtute excedit mentem, eadem possit eandem supra vires proprias eleuare. Neque tamen putandum est mentem essentia diuina formatam, quanuis quid ipsa sit intelligat, ipsam tamen penitus comprehendere. Nam & virtus ipsius terminata est, & lumen in ea determinatum: & diuinam cum subit essentiam, non per omnem diuinitatis virtutē inde formatur. Quid ergo? Nunquid partem diuinæ substantię cernit quidem, partem verò non cernit? Non ita sane dicendū: siquidem deus diuidi nequit. Immo vero putandum est eam aspicere deum, haud tamen penitus comprehendere, id est sub tot rationibus, & tanta certitudine, tantaque perfectione perspicere deum, sub quot, & quanta sibimet perspectus est deus. Accedit ad hæc, quòd non cuncta quę deus & videt & potest, videndo deum potest ipsa videre. Videt autem potestque deus infinita præter illa quę in natura consistunt: quod probauimus alias. Si enim dei substantiam non comprehendit, certe neque intelligentiam eius atque virtutem. Neque igitur cuncta quę & intelligit deus & potest. Alioquin cum virtus per ea quę potest soleat æstimari: si quę cunque videt potestque, penitus comprehenderet, comprehenderet pariter videndi faciendique virtutem atque substantiam. Quid plura? Quo altior intellectus, eo & plura vel numero vel ratione intelligere debet. Ex quo consentaneum est, diuinam mentem seipsam vndique contuentē, tum plura tum pluribus rationibus videre, quàm videat quilibet intellectus.

D

Aspicere deum

non tamen comprehendere

Omnes mentium species possunt coniungi deo.

E

NEmo vero diffidere debet mentes humanas propterea quòd in ipso mentiū genere infimæ sint, ad ipsam diuinæ substantiæ contemplationem posse perduci: quandoquidem neque ipsæ angelicæ mentes illuc virtute quadam perueniunt naturali, sed diuina potius, & (vt ita dicam) supernaturali trahuntur. Opus autem quod supernaturali virtute peragitur, propter naturarum diuersitatem impediri non potest: quippe cum immensæ potentiæ dei nihil

alicubi reluctetur. Tam facilè diuina potestas totam mouet machinam, quàm facile minimam mundi partem. Tam facile curat ægrotantem grauiter, quàm facilè leuiter ægrotantem. Quamobrem qua facultate infusa diuinitus mentes altissimæ, eadem & infimæ ad sublimia rapiuntur. Præterea suprema mentium creatarum immensо quodã à deo spacio distat: infima vero ab hac, cum vtraque finita sit, finito discrepat interuallo. Interualli vero huius ad illud nulla esse proportio iudicatur. Quod si finitum additum infinito nullam (vt apparet) affert varietatem, quídnam prohibet ipsam dei virtutem, quę spacium ad angelum vsque subito percurrit immensum, mox inde pusillum inter angelum animamque complecti, vt simul tam anima quàm angelus rapiat? Denique si mentiũ generi, qua ratione mentes sunt,
F naturalis est instinctus ad summum intelligibile peruidẽdũ, quod in omni intelligibili quærendo quærunt, & appetunt appetendo: sequitur vt tam naturalis sit instinctus eiusmodi mentibus infimis quàm supremis, atque tam hæ quãdoque quàm illæ terminum consequi possint naturaliter exoptatum. Id autem nobis appetitio ipsa naturalis ostendit: quę cum trahat ad infinitum, non potest aliunde quàm ab ipsomet infinito inseri ac moueri, atque denique terminari.

Quod si quæ à natura mouentur inferiora, non frustra mouentur: multo minus quę à suprema ducuntur. Huius quidem radius per omnes sese ordines mentium transferens, singulas & illustrat vt videant, & accendit vt ament. Cũ verò ignis atque sol lumen latius propagare soleant quàm calorem: consentaneum est, quousque diuini solis radius calefaciendo protenditur, eousque multo magis posse illuminando protendi. Ergo mentes humanę sicut inde accensæ diuinum quotidie appetunt bonum, ita & illic diuinũ quandoque verum illuminatæ conspiciunt, atque conspiciendo vero bono feliciter perfruuntur.

Diuersi in patria gradus: & quòd omnes omnia creata vident.

A POssunt autem aliæ mentes aliis clarius pleniusque diuinam substantiam contueri: quatenus lumen ipsum quo ad id quasi materiæ perspicuè præparantur, sub diuersis

perfectionis gradibus inde ſuſcipiũt: ſiue pro naturæ ſiue ꝓ diſpoſitionis acquiſitæ diuerſitate aliter atque aliter præparantur. Maxima vero noſtris mentibus varietas ex diuerſis amoris gradibus ꝓficiſcitur. Quibus quidẽ gradibus diuerſi & viſionis & multo magis gaudij gradus non iniuria congruunt. Forte vero licet ſingulæ cuncta creata videant, vt ꝓ babimus: aliæ tamẽ plura q̃ aliæ ex his quæ non creãtur attingũt: & quæ vidẽt, pluribus rationibus aſſequũtur: omnes tamẽ vera ratione ꝓſpiciũt. Et cũ gaudiũ velut terminus amori reſpondeat: quæ amauerũt ardẽtius, hæ cõiunctius (vt ſolet amor) hęrẽtes interius tranſferũtur in bonũ, ſic ipſo amoris habitu conferẽte: ſuauiuſq; fruũtur. Proinde ſi mentium finis eſt ad diuinam ſubſtantiam peruenire: neceſſario illic tanquam in fine omne mentium deſiderium prorſus impletur. Non impleretur autem, niſi ordinem illic vniuerſi creatum vndique comprehenderent. Siquidem eiuſmodi eſt conſuetum ſtudium intellectus, vt particularia in vniuerſalia ad communiſſimum vſque reſoluat, atque ipſum ens ſub abſoluta ratione deſcribat: perque omnes eius gradus diſtinctiſſime diuidat: quaſi ad id præcipuè natus ſit, vt vniuerſi forma quandoque formetur. Quidnam prohibet intellectum dum fontem conſpicit vniuerſi, vniuerſum effluens inde perſpicere? Præſertim cum non ſicuti ſenſus ex ſummo ſenſibili ad ſentienda minora impeditur ad tempus: ſic intellectus ex intelligibili ſummo impediatur ad reliqua, ſed potius mirifice roboretur. Præterea intelligibile genus amplius eſt genere naturali. Multa enim vltra illa quę natura facit, intelligi poſſunt. Igitur quæcunque ad eſſe naturale complendum neceſſario requiruntur, inſuper & multo plura ad complendum eſſe intelligibile exiguntur. At verò eſſe intelligibile tunc demum abſolutum eſt: cum intellectus ſummum attigerit finem: quemadmodũ ipſa naturalis eſſe perfectio in ipſa rerum cunctarum conſtitutione conſiſtit. Quamobrem deus quæcunque ad perfectionem vniuerſi produxit, in intellectu ſibi iuncto producit. Rurſus quanuis alius perfectius alio deum videat, ſinguli tamen ita vident, vt capacitas naturalis impleatur ad votum. Hęc autẽ in qualibet mente ad omnia vniuerſi genera ſpecieſque extenditur: adde inſuper & ad ſingula paſſim ſubdita ſpeciebus, B

Nec enim insuper exoptamus. Itaque mentes in deo etiam singula distincte discernunt. Profecto cum virtus superior possit quicquid inferior, atque etiam eminentius: animę verò coniunctæ corporibus & vniuersalia cognoscant & singula: consentaneum est mentes ipsi veritati coniunctas, vna virtute vnoque intuitu vtraque comprehendere: præsertim cum & ipsæ rerũ species amplissimæ sint in illis: & illæ virtutem ibi efficacissimam consequantur: per quam genera speciesque ad singula vsque deriuent. Sane oppositio quodã ordine rerum species ad intellectum coniunctum perueniunt atque separatum. Hic enim resolutione quadam à singulis materię conditionibus separando, ibi vero ex coniunctione quadam mentis cum forma diuina omnium effectrice, & iudice etiam singulorum. Quæ quidem forma non à singulis abstracta est, sed singulorum vbique creatrix: non formæ tantum, sed & materiæ in qua singularitatis rerum consistit origo. Quamobrem formæ in mentem inde fluentes, vltra communia etiam singula coniunctis mentibus repręsentant. Quod quidem hinc etiam confirmatur, quòd si mentes angelicæ cælestia corpora per intellectum mouẽt necesse est eas hoc ipsum quod mouent: situsque qui motu mutantur, non ignorare. Nostręverò mentes ad angelicam, præsertim quantum ad motum spectat, notitiã perduci possunt: præcipue siquod illic gubernationis officium consequantur.

Status animæ apud deum immobilis.

D

CVm mentes illic vnica dei forma rerum creatarum videant formas, consentaneum est vt omnes vna videant visione: quæquidem si perfectissima est, statu possidetur potius, quàm successione quæratur. Probabile enim est mentes quietis potius quàm motionis auidas, vbi finem consecutæ fuerint, firmiter conquiescere: præsertim quia si omnes vniuersi species ibi cognoscunt, sub quibusdam vero generibus species proceduut innumeræ, ceu sub numero figuraque & proportione: consequens esse videtur vt species quodammodo videant infinitas. At vero cum infinita pertransire non liceat: non prætereundo dinumerant, sed

sed manendo conspiciunt. Rursus si perpetua intelligentia ipsius intelligentis vita quædam est, atque ibi intelligentia ob stabilitatem suam particeps euadit æternitatis: sequitur vt beata mens in æternam vitam iure translata dicatur. Merito quidem. Nempe mens humana inter æterna & temporalia media collocatur. Sicut igitur operatio eius qua coniungitur temporaneis, temporanea euadere consueuit: sic & illa qua æternis, æterna. Denique quonam pacto visio ipsa illic mobilis sit, non video: vbi & videndi virtus tempus tum ab initio, tum vel maxime iam sempereminet, & obiectum quod videtur, ac forma qua videtur, status ipse est, ipsaque æternitas. Hinc sequitur animas deo semel hærentes, inde discessuras esse nunquam, si modò motum iam transcenderūt, atque naturale desiderium impleuerunt. Quod quidē cum & in substantia stabili sit fundatum, & ad stabile obiectum naturaliter dirigatur: nimirum non aliam quàm stabilem denique possessionem appetit tanquam finem. Quid mirum si sempiterna mens, quod non propter aliud, sed propter se desiderat, desiderat vt semper habendum? Præterea vbi naturalia sub se nulla ignorat: certe qualis sua illa possessio sit, non nescit. Quocirca si defutura est, defuturam præuidet, ac viuit infelix: cum possessione tam chara aliquando, immo breui se existimet caritura. Adde quòd quicquid naturaliter cuidam adhæret fini: non aliter quàm vi quadam illata inde diuellitur. Cum igitur deo mens tanquā fini coniungatur naturaliter præ cæteris exoptato, coniunctionisq; huiusmodi efficiens causa ipse sit deus, nullaque vis maior ex aduerso queat accedere, quæ violenter quandoque seiungat quod deus sponte coniunxit: proculdubio mens à nullo vnquam inde recedere compelletur. Quo autem pacto vel à certa veritate per fallaciam, vel à puro totoque bono per voluntatem sese auertat, cogitari non potest. Profecto neque mentis substantia permutatur, neque intelligendi perspicacia sub lumine deficit continue confirmante: neque lumen subtrahitur vnquam quod ab æternitate infunditur in æternum: neque voluntas vel ob alterius stimulum à totius possessione recedit: vel ob tædium satietatemve ab eo vnquam obiecto se segregat, quod cum penitus comprehendi non possit, nimirum & semper occurrit vt nouum, & cum

admiratione summa: ideoque cum desiderio continue possidetur. Denique si quanto quid summo dei statui propinquius est, tãto fit immobilius: mentes substantia iã diuina formatas necesse est immobiles prorsus euadere.

Singuli in deo contenti.

E HIc vero singuli quæcunque appetunt consequuntur. Philosophi veritatis admodum studiosi, hic in ipsa veritate veritatum procreatrice vera cuncta perspiciunt. Hic viri ciuiles gubernationi ac potentiæ dediti, cum omnipotente gubernatore mundi potentissimi gubernatores euadunt. Hic victoriæ gloriæque cupidi omnia iam aduersa vicerunt. Nouerunt omnes: beatis noti sunt omnibus. Hic voluptatum sectatores, si modò peruenerint, in ipsa voluptatum causa tota voluptate fruentur. Nempe quemadmodum corpora vmbræ sunt diuinorum, ita & sensus oblectamenta diuini vmbræ sunt gaudij. Nam mens efficacior admodum est quàm sensus: ac verum totumque bonũ falso quodam bono & potentius supra quàm cogitari queat & suauius est. Præterea intellectus obiectum suum vndique penetrare solet: cum & intrinseca ab extrinsecis, & propria secernat ab alienis: quod nunquam efficit sensus. Item intelligibile ob mirabilem puritatem atque virtutẽ intellectus, ipsius penetralibus prorsus illabitur: quod quidem sensibile sensui non potest efficere. Quamobrem puri intellectus voluptas circa intelligibile summum non modo continua puraque est, qualis non est in sensibus: verum etiam intima & integra, simulque tota comprehenditur: multoque magis sensus superat voluptatem, quàm saporum suauitas illecebras inanes odorum. Solemus cum in habitum proprium restituimur, quocunque id modo fiat, voluptate perfundi. Nulla vero cogitari potest restitutio maior, quàm vbi animus qui ab idea, immo à seipso degenerauerat, in ideam suam, immo seipsum vndique restituitur. Ibi rursus ipsa gaudij gaudet idea: vnoque in bono bonis fruitur vniuersis. Et cum nos ea delectent quę cupimus, cupimus autem omnia, quia bona: ibi summa voluptate perfundimur, vbi cum sit omne bonum, perfecte quicquid appeti potest consequi-

mur. Variæ vero mentes omni quidem bono secundum essentiam boni præcipue, boni autem gradibus secundum varias propriè fruuntur ideas: quatenus varios in primis totius boni gradus amantes, variis quoque callibus ad bonum ipsum proficiscuntur. Denique vt summatim dicam: vnum est omnino quo beati fruuntur omnes: etsi aliis alij præcipue modis rationibusque fruuntur: prout varie vel ex affectu vel ex obiecto aliter aliterque alliciente, trahit sua quen- A que voluptas. Sic ergo, vt Plato inquit, liuor omnis abest à choro diuino. Communis enim in eo choro charitas efficit, vt singuli singulorum felicitati tanquam suæ congratulentur. Præterea vbi quisque & quod amauit, & ea qua potissimum eligit ratione, & quousque desiderat, ad votum iam consequitur: ibi quilibet absque inuidia & procul à stimulo contentus omnino plenusque viuit. Illic enim tam naturalis quàm acquisita capacitas prorsus impletur: neque capacitas ab vllo maior desideratur. Sua enim cuique naturaliter charissima sunt. Accedit, quòd nihil gratius est beatis diuino prorsus amore flagrantibus, quàm id ipsum velle, quod deum velle cognoscunt: atque ea tum mensura qua capiunt, tum ratione qua cupiunt, tum modo quo deus ipse se exhibet potiundum, deo amato potiri. Quòd verò bonum ibi suum omnino cõprehendi non posse cognoscunt, & hoc ipso mirifice delectantur, suum videlicet thesaurum eligentes infinitum esse potius quàm finitum.

De corporibus beatorum. *Cap.* 9.

ANimæ puræ duplex felicitas conuenit: altera ex seipsa de qua tractauimus: ex corpore altera, quę apud Platonicos est eiusmodi. Præstat enim exemplo quodam B hanc cogitare. Oculus quidem tuus rotũdus est, perspicuus, splendidus, motu celerrimus, mirabilis perspicacia. Oculum meum videt, seque ipsumque cernit in meo. Affectus animi tui singulos in seipso figurat: ac traducit in meum: meosque affectus per meum mutuo recipit. Tales sunt illi animorum currus & in seipsis, & inuicem. Quisque enim illorum totus est oculus: atque in omnibus ferme ita se habent, vt oculos ipsos se habere videmus.

Animorum separatorum mutua cognitio atque intelligentia

Igitur quasi oculi quidam rotundi sunt, perspicui, splendidi, motu celerrimi: cuncta vndique facillime circunspiciunt. Animorum suorum affectus cogitationesque præ se ferunt, cæteriſque animis quodam quasi nutu facillime indicant. Accipiunt quoque ab aliis similiter alienorum affectuum cogitationumque indicia. Neque solum vndique procul & acutissime vident, sed etiam audiunt. Similiter quoque stellæ omnes & dæmones. Vocesque faciles facile formant: & sicut absque passione vlla sunt ibi sensus, sic & voces, alterius certè speciei generisque quam nostræ. Hæc Plotinus & Hermias. Platonicam eiusmodi sententiam confirmat in metaphysicis Auicenna, probans animam à contagione corporis

C separatam in cælo cælesti quodam instrumẽto vti quasi suo à corpore cæli accepto: perque ipsum imaginationis officium exercere. Vult enim intellectualem animam (ex Platonis sententia) vniuersæ moli corporum naturali dignitate imperioque præesse. Denique currus illi exuberante suarum mentium splendore repleti, mirifice fulgent: eisque tanquã radiis quibusdam totum cælum est peruium. Atque vt multis Platonicorum placet, potissimum in orbe lacteo non aliter q̃ stellæ coruscant. Hinc antiqui poetæ dicebant quando felices animæ ad superos reuolabant, stellas in cælo nouas lucere. Sed hæc illi viderint. Accedit ad hæc, quòd Zoroastris & Pythagoræ Platonisque sectatores Plotinus Proculusque præcipue disputant, iisdem quandoque omnino rede

D untibus causis, eosdem numero prorsus homines redituros. Et Plato in libro de regno scribit, post præsentem fatalem-

Resurrectio

que mundi cursum, hominum animas, imperante deo, atque suscitante, corpora sua quę in hoc cursu amiserunt, ideo recepturas, vt quemadmodum sub fato quondam corpora humana in terram deciderant, ita sub prouidentiæ diuinæ

E imperio ex terra resurgant, atque reuiuiscant. Hæc priscorũ mysteria philosophorum haud multum discrepant ab Hebræorum Christianorumque mysteriis: quæ etiam à Maumethensibus confirmantur. Cõmunis enim tribus his legibus sententia est, motum ipsum ideo finem reuerà esse non posse, quoniam semper ab alio fluit in aliud. Hoc ipsum vero scilicet in aliud tẽdere, ab ipsa ratione finis præsertim vltimi alienissimũ est. Itaq; summũ vltimũq; vniuersi finem,

quem mundus quandoque consequi debet, cum & singula mundo minora quandoque finem proprium consequantur motum non fore, sed statum: Statum enim motu perfectiorem esse, quietisque gratia moueri singula. Preterea mundi corpus in eo statu, vtpote consummatissimo, fore pulcherrimum. Expleto tandem cæli cursu, quo gignuntur omnia, nihil vlterius generari: sed singula hominũ corpora, quorum gratia prius generabantur omnia, è terra iubente deo resurrectionem primũ auctoritate diuina confirmant. Sic enim deum sæpe per prophetas & apostolos prædixisse: multosq; variis seculis mortuos suscitasse. Præterea sanctos homines etiam vita functos fecisse miracula, atque quotidie facere. Mitto reliqua. Innumerabilia enim sunt. Certe nostra ætate, anno M. 477. Decembre atque Ianuario reliquiæ quædam Petri apostoli in vrbe Volaterrana repertæ, miracula duodecim ostenderunt, & ingẽtia illa quidem, & omni populo manifesta. Hæc & similia potissima sunt resurrectionis indicia: adeo vt Auicenna in metaphysicis asserat, auctoritati diuinæ resurrectionem asseueranti esse credendum. Etsi Auicenna nullam tantæ rei rationem afferre tentat, Christiani tamen theologi rationibus eiusmodi persuadent. Prima ratio: quoniam ex anima & corpore humano fit vnũ quiddam naturale compositum: naturaliq; instinctu anima ad corpus afficitur. Ideo patet animam non ex ipso solum vniuersi ordine, verum etiam secundum suæ naturæ ordinem corpori copulari: quo efficitur, vt contra ordinem tam vniuersæ quàm propriæ naturæ sit animam seorsum à corpore permanere. Permanebit autem post corporis interitum sempiternę. Cumque id quod est contra naturam, sempiternum esse non possit: consequens est animas quandoque sua corpora recepturas.

Ratio secunda. Singulæ animæ ad corpora singula viuificanda regendaq; naturaliter inclinantur. Sic enim fert & natura & prouidentia vitæ inter æternitatem tempusque locatæ: inclinationemque partim ad æterna habentis, partim ad temporanea naturalem. Inclinatio vero naturalis manet semper manente natura. Quapropter animæ à corporibus separatæ, ad illa naturaliter semper inclinabuntur. Naturalis autẽ inclinatio procliuitasque inanis semper esse non debet.

Id enim ab ordine vniuersi alienissimum est. Igitur animæ sua ipsa corpora, ad quæ secundum naturam semper afficiuntur, quandoque recipient.

Ratio tertia. Anima speciei humanæ pars altera est: altera verò corpus. Ergo seiuncta à corpore, ita prout est anima, est imperfecta, quemadmodum pars ipsa solet extra totum ad quod constituendum est instituta. Idcirco nunquam eius appetitio naturalis quieta erit. Nunquã anima vlla beata erit nisi ad totum suum resumpto corpore reducatur, speretve reduci.

Ratio quarta. Virtutibus præmia, vitiis supplicia digna debentur. Hæc cum in hac vita non tribuantur, tribuuntur in altera. Corpus autem & virtutum & vitiorum est vnà cum anima particeps. Vt igitur præmiorum quoque supplicio-
A rumve simul sit particeps, tandem animæ redditur. Neque absurdum videri debet animas postquam à naturali habitu suo discesserint, in eundẽ iterum redituras esse. Siquidẽ planetæ domicilia sua naturalia & relinquũt & repetunt. Elementorum quoque particulæ sæpe extra situm propriũ expulsæ diuque seiunctæ, interim continue ad ipsum vergunt, ac denique reuertuntur. Neque difficile est infinitæ dei virtuti vbique præsenti, quæ totum creauit ex nihilo, quandoq; corpora dissoluta in elementa, ex elementis vicissim restantibus reuincire. Idem vero corpus ideo reexcetur, quoniam eadem erit forma quæ quondam, id est anima: eadem quoque prima illa materia sempiterna, quę vna cunctis subest. Eadem denique indeterminata dimensio materiæ comes.
B Quinetiam in hac vita idem corpus à pueritia ad senectutem habere quilibet dicitur, quanuis effluat iugiter atque refluat. Resurget autem corpus penitus immortale. Nam deus ab initio sic rerum ordinẽ tẽperauit, vt rationali animæ, quæ est sempiterna vita, naturalisque forma corporis, materia sua, id est corpus in hoc ipso congrueret, vt p ipsam semper viuentem, semperque viuificare naturaliter appetentẽ, ipsum similiter semper viuere posset. Potentia eiusmodi, bonum quoddam est ordini vniuersi maxime consentaneum. Igitur quando deus qui creauit ab initio, ac tale creauit, vt posset semper viuere: quando inquã recreabit, proculdubio id quod conuenientissimũ est, implebit: ne potentia tã bona

tanquam vniuerso congrua sit semper inanis. Præterea creatio illa per deum facta, cessante mundi motu, qui quietis alicuius perfectioris gratia tandem est institutus, ad aliquid duntaxat stabile dirigetur. Itaque corpus semper coniunctũ animæ permanebit. Rursus. Intentio naturæ in generando ad perpetuitatem saltem speciei dirigitur: idque ab ipso deo sortita est, in quo prima perpetuitatis viget radix. Quapropter intentio dei in regenerando ad perpetuum quiddam multo magis quàm natura dirigitur. Hominem ergo incorruptibilem recreabit: non specie tantum (id enim per consuetam generationem expleri satis poterat) verum etiam numero sempiternum. Non secundum animam solum (nã hoc & prius habebat) sed etiam secundũ corpus. Accedit ad hæc, quòd in generatione quotidiana corpori iam facto accedit anima. In regeneratione illa contrà animæ corpus accedit. Quare sicut vita hominis compositi præsens caduci corporis conditionem sequitur: ita futura illa vita compositi vicissim conditionem immortalis animæ consequetur: vt priuatio tandem secundum perfectissimam saltem naturalium speciem cesset in habitu. Atque mors tanquam debilissima, vt prophetę aiunt, absorbeatur à vita. Item corpora idcirco resurgunt, vt præmia & supplicia etiam corporibus ita merentibus sempiterna in perpetuum persoluantur. Ergo sempiterna resurgent. Adde quòd etiam ideo suscitantur, ne animæ semper maneant imperfectę. Cum igitur hac in re animæ ipsius perfectioni potissimum consulatur, tale reddetur corpus, quale conuenit animæ. Sempiternæ vero animæ corpus conuenit sempiternum: quale etiam ab ipso rerum initio tributum fuisse literæ sacræ testantur. Quod quidem munus inordinato quodam motu ad tempus intermissum, deo tandem ita vniuersum vt melius est ordinante, restituetur. Quod autem naturalis hominis habitus ab initio talis fuerit, hinc ostenditur, quòd quanto perfectior homo est quàm bruta, tanto facilius perfectius sæpius finem suum posse consequi debet quàm illa suum. In præsenti vero habitu contrà contingit. Ex quo patet homines ob id proprie, quòd à prima sua temperatione discesserint, ad felicitatem suam maxima cum difficultate contendere: facillimeque eam tunc demum assecuturos, cum in habi-

tum priorem restituti iam fuerint. Quæ quidem sententia; Zoroastris, Mercurij, Platonis mysteriis, atque poetis
D aurea canentibus secula, maxime omnium consentanea esse videtur. Sed ad resurrectionem iam reuertamur. Denique dei virtus immensa, efficiens resurrectionis causa est. Ergo qua vitæ infinitate suscitat mortua: eadem in æternum à morte libera conuenientissime seruat. Tantum enim reuiuiscēdi miraculum vita solum sempiterna in posterum decere videtur. Qua in re deus omnipotens reddit corpora vsque adeo animarum suarum imperio subdita, vt vita animę sempiterna sempiternè quoque exundet in corpus. Quod quidem & præstantissimę formæ aduersus materiam sibi subiectam naturaliter conuenit: & ordini naturæ maxime consentaneum est. Ordini vero, vt tradūt theologi, meritorum, id quoque magnopere congruit, vt corpora non tantum secundum vitam omnibus hominum animabus, quæ vitæ quædam sunt, sed puris etiam secundum qualitates actioneśque penitus coniungantur: quemadmodum animæ illæ sunt coniunctæ deo. Itaque intellectus diuino lumine plenus, ac voluntas lætitia efficaciaque incomparabili inde repleta, splendorem, efficaciamque ad motum in corpus mirabilem omnino transfundunt: vt quemadmodum animæ illæ ad cælestium mentium, ita corpora ad corporum cælestium claritatem virtutemque attollantur. Neque mirum videri debet corpus humanum natura cælo propter temperantiam non parum simile, quando rursus dono quodam cælestem formam quandam induitur, subito ad cęlestem regionem penitus eleuari: trahente videlicet anima, infinita dei virtute suffulta: quæ & in terra nunc à deo disiuncta corpus contra elementorum suorum naturam connectit, sustinet, eleuat: & tunc supercælesti coniuncta deo, potest etiam ad sublimem attollere secum ætheris regionem. Neque penetratione tunc vel offendit ætherem vel offenditur purissimum corpus illud iamiam virtute factum qualitateque æthereum.

Humanum corpus cælo simile.

Status animæ impuræ. Cap. 10.

E VT autem intelligamus qualis sit status animæ impuræ post mortem, animaduertendum est quales sint vi-

uentium mores & habitus. Quales enim sunt adolescentiæ mores, tales plurimum sunt habitus senectutis: tales quoque affectiones sunt defunctorum. In vita præsenti virtus nascitur ac vitium. Cum virtute oritur præmium: cum vitio verò supplicium. In futura vita virtus consummatur & vitium, illic præmium impletur atque supplicium. Virtus est exoriens præmium. Præmium est virtus adulta. Vitium est supplicium nascens: supplicium est vitium consummatum. Idem enim est quod erat semẽ, & quod fit seges. Idem quoque quod erat seges, & quod fit pabulum. Qualia igitur in hoc autumno serimus, talia in illa æstate metemus. Talibus aut fusca nocte in Stygia palude pascemur: aut die serena in F campis vescemur Elysiis. Quemadmodum natura prouidẽtiæ diuinę ministra corpora intrinsecus leuitate sursum mouet, grauitate deorsum: ita & prouidentia intrinseca lege, & quasi naturali cuidam inclinationi persimili omnia ducit. Hac lege supernæ mentes & animæ ipsis insita vniuersum sub primo gubernatore gubernãt. Hac similiter insita lege mentes humanæ sese ad loca suę vitę conuenientia ducunt. G Et sicut humores in animali duo motus habent principia, naturale videlicet, atque animale: naturali quidem leues sursum, graues deorsum sæpius sese transferunt, animali verò ad ea potissimum membra quę his maximè indigent prout vita exigit animantis: sic animæ duo intus motuum principia possident: alterum quidem vel impetum proprium vel iudicium: alterum verò diuinæ prouidentiæ legem omnino penetralibus insitam. Illo quidẽ in hos aut illos se transferunt mores: hac autem post mores contractos ipsæmet in loca, supplicia, munera congrua moribus, intrinseca quadam & occulta inclinatione perducunt. Hanc Plato sententiam à priscis acceptam sæpissime probat. Hanc & Platonici omnes vbique confirmant. Eam legem semper bonam in se atque diuinam, quidam tamen ita distinguunt vt & gratiam & bonum dæmonem vocent, quando bonis meritis reddit bona. Contrà vero aliquando & nemesin, & furiam, & malum dæmonem appellant, quando peccatores ad supplicia ducit. Ea lex intrinsecus more naturę, adeoque leuiter ducit, vt nullus donec ad terminum perueniat, à prouidentia sentiat violentiam. Atque interea vniuersum quod ex A

primo animorum motus principio ſæpiſſime diſſonaret, per ſecundum hoc principium motionis in ſuam vndique conſonãtiam reſtituitur, dum ſua ſinguli motu proprio gradatim merita ſortiuntur. Præterea non deſunt dæmones boni nobis, qui genij nominantur: ingenij duces aſſidui: qui non vi, ſed perſuadendo ducant. Sunt & mali, non tanquam duces naturaliter ordinati, ſed aduerſarij (vt ita dixerim) peregrini: quos in hac vita per philoſophiam ſacrificiaque propulſari Platonici putant. Sed improbas animas poſt vitam & Plato & Mercurius aiunt mutato genio incidere in mali dæmonis poteſtatem, ſcilicet poſtquam ſuo genio ductæ fuerint ad iudicem, qui falli non poſſit: præſertim cum omnia appareant in animis ſeparatis & quæ ex natura & quæ ex affectibus inerant. Hinc Socrates in Gorgia, Cæteris, inquit, omiſſis id conſidero, quemadmodum iudici ſaniſſimum oſtendere animum poſſim. Summum enim malorum eſt, animo peccatis referto ad inferos deſcendere. Addit tum ibi, tum in Theæteto & republica hęc non eſſe tanquam fabulas deridenda. Siquidem quicunque talia negant, ridicula ipſi in medium ſemper inducunt. Igitur præcipit hoc maxime contendendum, vt mores optimi comparentur. Mores enim eſſe inquit vias vel ad inferos, vel ad ſuperos.

Operæprecium fore arbitror repetere latius quæ de his in republica & in libro de ſcientia ſcribit. Profecto eos inquit eſſe penitus deridendos, qui vel iuſtitiam ſectandam: vel iniuſtitiam fugiendam humanorum vel præmiorũ vel ſuppliciorum gratia putant. Illam vero ſententiam eſſe veram, quæ aſſerit illa non eſſe vera vel præmia vel ſupplicia, quæ aliquando atque forte, ſed illa quæ ſemper neceſſarioque ordine virtutes vitiaque ſequũtur. Addit in libro de ſcientia, deum ipſam iuſtitiam eſſe: nihilque illi iuſto ſimilius: nihil contrà iniuſto diſſimilius eſſe. Veram prętereа ſapientiam potentiamque exiſtimandam, quę id cognoſcat & conſequatur ad votum: contrarium verò habitum extremam inſcitiam imbecillitatemque eſſe cenſendam. Proinde duo in vniuerſo extrema inter ſe exemplaria ponit: in ſummo quidem beatiſſimam diuinitatem: in infimo verò oppoſitũ diuinitatis expers atque miſerrimum. Affirmatque iniuſtos

ob extremam inſcitiam nũquam animaduertere ſe propter iniuſtitiam beatiſſimo quidem in dies diſſimiliores, miſerrimo vero ſimiliores euadere. Eiuſmodi vero diſſimilitudinem ſimilitudinemve eſſe propriam iniuſtitiæ pœnam: ſed iuſtitiæ præmium proprie ipſam beatiſſimi ſimilitudinem, miſerrimive diſſimilitudinem iudicari. His addit iniuſtos neque in hac neque in altera vita ab ipſa beatitudinis patria (vtpote qui ſint diſſimiles) recipi: immo peruerſo quodam habitu ad infimum miſeriæ ſitum (cuius facti ſunt ſimiles) congrue retrahi, ſemperque in regione maligna ſibi perſimili inter malos ſibi ſimiles pererrare. Subdit denique hæc à quibuſdam ambitioſis irrideri ſolere: verùm ſi cogantur in his rationes reddere atque accipere diligenter: eos tandẽ (vt ſupra ſignificauimus) reuera conuictos, tanquam pueros deridendos abire.

Sed iam redeamus ad mores: quibus ordine diſtributis, qua ratione prẽmia ſuppliciáve diſtribuantur, intelligemus. Antè vero quàm diſtinguamus, meminiſſe oportet mores bonos ita demum ad felicitatem conducere, ſi præcipuo erga deum felicitatis auctorem amore quæruntur. Malos autem eas potiſſimum animas in miſeriam præcipitare ſolere, in quibus amor dei omnis extinguitur. Hinc Platonicum illud, Sapienti viro lex deus eſt, inſipienti vero libido. Item illud, Beatus ille futurus eſt, qui humiliter diuinæ legi ſe ſubiicit: miſer vero, qui eam ſuperbe contemnit. Sunt autem mores viuentium quatuor. Eſt homo temperans: continens: incontinens, intemperans. Temperans eſt, cuius ratio vere iudicat: ſenſualis affectus libenter obtemperat rationi.

Continens, cuius ratio iudicat quoque vere: affectus obtemperat ægre. Incontinens, in quo etſi non male iudicat ratio, prævalet tamen corporea perturbatio. Intemperans, in quo ratio vel conſopita eſt, vel deprauata affectu nimium dominante: vbi ad imperium phantaſiæ omnia fiunt, neque affectui ratio aduerſatur. Cum hic temperantiam continentiamve dicimus, intelligimus ritu Platonico componere vel diſponere animum aduerſus omnes perturbationum ſpecies: adeò vt omnium virtutum moralium in his officia comprehendantur. Præterea cum in anima

Phantasia non anima separata quid.

separata phantasiam ponimus, intelligimus vel ritu Platonico sensum intimum, quem in vehiculo & æthereo & aëreo collocant, sed cum passione proprie in aëreo: vel more Peripateticorum, maximè Auicennæ, affectum habitumque partis etiam rationalis, quam obsequendo sensibus in seipsa concepit ad passiones corporeas declinantem, ad materiamque trahentem: quo Auicenna dicit animam quasi natura quadam etiam sine electione meditationeque & hic & in altera vita ab intelligibili modo ad sensibilem detorqueri, atque torqueri. Vt igitur ad institutum iam reuertamur: in animo temperato sola vis nutriendi curat corpus:
H Phantasia non amat ipsum: ratio odit. Quapropter impleto curandi huius corporis ministerio, vis illa viuifica quasi contenta est vehiculo: reliquæ vires animæ quæcunque supersunt, sicut in hoc ipso homine temperato solitæ fuerant, veritati rerum omnium considerandæ sese dedunt: & tanto feruentius quàm antea, quanto sunt factæ liberiores. Omnes igitur repente communi nixu curruque æthereo recurrunt in ætherem.

Animus continentis fertur quidem in cælum, vt ille, paulò pòst, non subito. In hoc enim appetitio phantasiæ solita erat vix rationi parêre, propter corporis blandimenta vel territamenta. ideo corporea in morte ægre relinquit: qua ægritudine occupat parumper aciem rationis. Verùm ratio quę illâ vincere consueuerat, silere iubet. Vnde sedata phantasiæ querimonia, atque expulsa caligine, cælestis scintilla subrutilat: omnibusque animæ viribus consentientibus patria superna reuisitur. Incontinens autem serò ex his carceribus liberatur: intemperans vero nunquam. Siquidem horum animæ passionibus infectæ corporeis, in tantam hac in vita insaniam prolapsæ sunt, vt ipsis bonis bonorum vmbras temere præposuerint: vmbras amauerint: vmbrasque timuerint. Atque post hanc vitam insanire similiter compelluntur: illa quidem diu, hæc semper. Quippe incontinentis insania aliquam reperit medicinam: quia licet dominari solita fuerit perturbatio phantasiæ, ratio tamen aduersari quandoque consueuit in vita. Similiter & post mortem reclamat aduersus phantasię cuiusdam furentis insaniam: doletque se rerum sublimium possessione priuari. Hæc recla-

Intemperans non finit intemperans.

matio pœnitentiaque paulatim vim actumque illius phantasiæ debilitat. præsertim cum non adsint incitamenta corporea quę eiusmodi nutriant phantasiam. Et quisque libenter auscultet medico curaturo, tędio diuturni langoris affectus: fitque perinde ac in illo qui cum horrendis vexatur insomniis, interim quia somno non premitur profundissimo: secum ipse inquit forte tunc dormire se, & curis inanibus cruciari. vnde pauor laborque minuitur. Idem forsitan apud inferos contingit incontinenti: & quantum delirantis phantasiæ minuitur strepitus, tantum augetur absolutæ rationis imperium. Sic tandem animus expeditus beatitudinem adipiscitur. In animo autem intemperato, & dum hominis vitam agebat: dormiebat ratio penitus, vel affectui prorsus obsequebatur: vnde indelebilē habitum ad corporea declinantem secum transfert quasi naturam. Talis est animi huius habitus, qualem cecinit Orpheus.

ἀρρήκτοισ ἀϊδλάο πύλαι, κοὴ δῶμος ὀνείρων.

Reserari nequeunt portæ Plutonis. intus est populus somniorum. Hunc animum in septimo de repu. Plato inquit in hac vita profunde dormire, & antequam expergiscatur decedere, ac post mortem somno profundiore grauari, somniisque acrioribus perturbari: quod proprie Tartari nomine designatur. Fertur, vt Plato vult, nimio corporis elementalis amore. Terreno igitur corpore dissoluto, alterum sibi quàm primum ex elementorm retexit vaporibus. Solo quasi quodam nutu retexit ex materia facili. Solo hausto reficit quotidie quasi respirando corpus illud iugiter euanescēs. Addit eiusmodi animum circa corpus elementalemque regionem, erga quę affectus fuerat, affectu perseuerante reuolui. Neque mirum videri volunt quòd anima vaporeum corpus quasi suum formet, perque ipsum sentiat, cum id facilius sit, animæque propinquius. Atque in hoc corpore peralem spiritum vitam corpori præstet & sensum. Si quæratur qualis sit corporis illius figura, respondebimus secundum Magos varia simulacra diuersorum animalium ex huiusmodi vaporibus fieri. Qualis enim quęlibet animalis vitam moribus imitata est, talem in primis sese facit: taliseque omnino eius affectio & dispositio appareret, si sensu aliquo cerneretur: talem quoque figuram quodammodo in vm-

A

anima separata

vaporeum

corpus

B

broso ipsius corpore fingit: si modò ex affectu & habitu animæ vehementi colorari possit leue corpus & figurari. Et sicut carnis in vita sensérat passiones, ita corporis illius passiones sentit: & tanto acutius, quanto corpus est purius. Sed in alio genere sensus illius sunt: in alio carnis. Atque ita forte intelligenda est apud veteres hominum in bestias transformatio. Quidam vero dicunt animam non proprie tale corpus formare, perque ipsum sentire: immo sicut arte magica per certam statuariam dispositionem dæmonibus certis accommodatam dæmonis statuis quasi deuinciuntur, (quod Mercurius cõfitetur atque Plotinus) sic lege diuina animas quæ se corporibus dediderunt, aquæ mancipari vel igni, atque id quidem adeò seruiliter, vt ob hoc vehementer indigneutur, & doleant. Sed vtcũque sit, hęc passio Tisiphone furia ab Orpheo nominatur, quæ affligat eam ex corpore. Adhibet alias duas animæ furias, quæ eam crucient ab affectu. Megæra quidem propter odiũ, imaginariúque mali timorem: Alecto autem propter imaginarij boni cupiditatem. Quas quidem furias incitari à dæmonibus vltoribus Plato inquit, Plotinusque probat: & Orpheus ipse magnum dæmonem vltorem proprio hymno describit. Tales sunt enim primæ animæ huius perturbationes, quales sunt eorũ qui delirant phreneſi propter febrem: aut eorũ qui melancholico terrentur humore. Quod quidem fieri & Auicenna fatetur, & Proculus cum dicat esse dæmones quosdã irrationales, significat nihil mirum esse si animæ miserorũ irrationales euadant. Quando enim quinque sensuũ actiones cessant, actiones interiores maxime augentur: ac si ratione vti plurimũ consueueris, tunc diligentissime specularis. Si phantasia, tunc imaginaris vehementissime. Id vsque adeo fit in somno, vt quę rerum imagines sunt, res veras esse putemus: atque horribilibus visis perterriti trepidemus, sudemus, vociferemur, atque surgamus. Multo magis impiis in morte atque post mortem fallacia terribilium contingit imaginũ. Tunc enim cessant varia nutriendi officia, sensuum externorum multiplices actiones, humanarum actionum occupationes, rerumque solatia: solius restat (vt Platonici putant) phantasiæ furentis, vel phantasticæ rationis imperium in homine impio: quæ odio quo dixi & timore commota ver

sat secum longo ordine tristes imagines. Nunc cælum ruere in caput suspicit. Nunc se terræ profundis hiatibus absorberi. Tum impetu absumi flammarum. Tum vasto aquarum gurgite mergi, aut vmbris dæmonum comprehendi. Itaque corpus suũ, per infima passim exagitat quacũque furẽtis phantasię depulerit impetus, malusq; dæmon: vt Mercurius ait & Plato: quos quidem duos esse vult hac in re, etiam si non aduertant, legis diuinæ ministros. Atque id ex odio metuque patitur impius per Megæram. Cęterùm per F
Alecto, ex amoris habitu quem ad corporea contraxerat indelebilem, tales quædam rursus cogitationes surrepunt & affectus: videlicet quemadmodum senes qui vixerunt in iuuentute lasciui, duplici pœna vruntur in senio, scilicet quòd ardent voluptatum cupiditate, quodque omni spe potiundi priuantur, nisi forte deliremt: sic miseri apud inferos ob pristinum habitum cupiditatibus humanarum rerum alij aliis solicitantur, atque vt plurimum non sperant se consequi posse: quanuis nonnunquam velut insani sibiipsis videatur propemodum suas delicias adipisci: sed ad pœnas a- G
cerbiores se statim ab illis arceri. Sardanapalus arcetur longius ab amplexu, Midas ab auro, à conuiuio Tantalus, à fastigio Sisyphus.

Tanta vis phantasiæ est, tantus impetus, quando vel ipsa imperat sola, vel solus phantasticus quidam habitus & affectus ex diuturno ipsius commercio in ratione contractus. Ordinem à nobis in superioribus positum confirmat O- H
lympiodorus in commentariis in Phedonem: tria ex Platonis sententia vitia ponens.

Prima quidem quæ facilè sanabilia sint: quæ scilicet habitu careant. Secunda vero difficilè curari posse inquit: vtpote quæ habitu committantur: sed repugnantiam quandam pœnitentiamque comitem habeant. Tertia denique sanari non posse: quæ videlicet & habitu perpetrentur, & repugnantia pœnitentiaque penitus careant.

Prima igitur Acheronti, secunda pyriphlegethonti atque Cocyto, tertia Tartaro apud Platonicos deputantur, vnde dicit Plato nullum vnquam egredi posse. Totidem gradus I
bonis in Phedone distribuuntur, vbi asseritur animas innocentes & pias, sed expertes philosophiæ, in aëre vnà

cum aëreis corporibus facile viuere: animas autem philosophia ciuili insuper præditas, in cælo cum cæleſtibus lu-
K cidiſque vehiculis: denique purgatiſſimas ſuper cælum abſque corporibus beatiſſime viuere. Orpheus autem nouem
pręcipuas animabus diſtribuit regiones. Probis quidem vel octauam ſphæram vel planetas, vel ætherem ſub planetis. Quæ quidem ſphæræ nouem ſunt, ſi diligentius partiaris nouem contemplationis gradibus quos aliàs diximus, congrue. Mediis autem aërem, aquamve, & terram. Reprobis denique Acherontẽ, Cocytum: pyriphlegethontem, vbi nouies inſuper Styx interfuſa coercet. Nouenarius autem numerus inde ſumitur, quòd vel affectione quadam, vel habitu mobili, vel habitu immobili peccauerunt atque quocunque horum modo deliquerint, vel cogitatione, vel etiã ſermone, vel inſuper actione peccarunt: vnde nouem gradus
L culparum, nouemque pœnarum merito computantur. Oraculum vero illud Maronis in ſexto nullo pacto contemnendũ eſt quaſi poëticum, in quo partim Mercurium partim Platonem ſecutus: affectus deſcribit quatuor, qui quatuor ſequantur humores. Siquidem ex ignea bile appetitum, ex aëreo ſanguine voluptatem, ex atra bile terrea timorem, ex aquea pituitam dolorem mollitiemque naſci conſentaneũ eſſe videtur. Deinde ſubdit ex quatuor his affectibus quatuor tales habitus in animo concipi ad corporea declinantes, quos miſeri poſt obitum ſecum ferant circa quatuor ele menta purgandos. In qua quidem purgatione quatuor præcipuas inferis plagas diſponit more Platonico, vbi licet Acherontis, Cocyti, Phegethõtis, Tartari ſtrepitum mugitũque audire. His admodum conſentaneum eſſe videtur, quatuor viciſſim in campis Elyſiis diſponere regiones: quatuor videlicet in Zodiaco ſignorum triplicitates, quæ quatuor congruant virtutum generibus, quibus quatuor expugnantur affectus: vnde ſerena mente lumen cæleſte recipitur.
A Meminiſſe vero oportet eos non eſſe inter Platonicos admittendos, qui animas in Planetarũ ſphæris igneque & aëre puro viuentes eſſe inter inferos opinantur. Quo enim pacto inferis deputantur, ſi & apud beatos ſunt, & in corporibus adeo leuibus obedientibuſque imperio animorum, vt inde à diuinorum contemplatione non diuertantur? Quamobrem

rem ſolam eam mundi plagam vbi tumultuaria elementorum confuſio diſſonat, inferorum nomine platonice nuncupare debemus. Denique vt priſcorum theologorum ſententiam de ſtatu animæ poſt mortem paucis comprehendam: ſola diuina (vt aliâs diximus) arbitrantur res veras exiſtere: reliqua eſſe rerum verarum imagines atque vmbras. Ideo prudentes homines, qui diuinis incumbunt, prę cæteris vigilare. Imprudentes autem qui ſectantur alia, inſomniis omnino quaſi dormientes illudi: ac ſi in hoc ſomno priuſquam expergefacti fuerint moriantur, ſimilibus poſt diſceſſum & acrioribus viſionibus angi. Et ſicut eum qui in vita veris incubuit, poſt mortem ſumma veritate potiri: ſic eum qui falſa ſectatus eſt, fallacia extrema torqueri: vt ille rebus veris oblectetur, hic falſis vexetur ſimulacris. Propterea Chriſtus vitæ magiſter ſæpe ita præcipit. Vigilate inquam, vigilate: ne dormientes vos dominus deprehendat. Rurſus, Surgite iam: atque hinc abeamus. Quidnam aliud eſt expergiſci, quàm agnoſcere ſe in ſenſibus ſomniare? Quid vero ſurgere aliud & abire, quàm ad deum ſe ipſa mente conferre? Neque ſilentio prætereundam cenſeo cauſam quandam ſupplicij occultam quidem dolentibus, ſed potiſſimam, quam Plato ſignificauit in Timęo, Gorgia, rep. & interpretatus eſt Origenes. Deus animam certa quadam ſpiritalium partium, virium, motuum harmonia ab eius initio temperauit. Temperatio huiuſmodi in hominibus intemperatis iniuſtiſque ſoluitur paulatim, ac diſſoluitur plurimum in damnatis. Neceſſarium eſt autē ex ſolutione & diſſolutione hac non mediocrem oriri moleſtiam doloremque in animo: etiam ſi neſciat vnde & cuius gratia doleat: quemadmodum ſoluta naturali corporalium ſpirituum humorum membrorū tēperie, dolor neceſſario ſequitur, etiam ſi ægrotans doloris ſui neſciat rationem. Non negabunt hæc omnino Chriſtianorum theologi, ſed addēt (vt arbitror) pœnam aliquam ex vero quodam animæ damnatæ iudicio, quoniam cogitabit eſſe ſe in æternum diuina viſione priuatam. Quę ideo maxima pœna eſt, quoniā deus finis eſt cuius gratia nati ſumus: cuius gratia omnia omnes appetimus atque agimus. Ideoque multo acrior eſt naturalis ſitis quæ ad ipſum, q̄ quæ ad potum concitat ſitibundum. Sed quemadmodū ſiquis opio

soporifero fuerit stupefactus, quanuis siti pereat, tamen sitis stimulum detrimentumque non sentiet: opio vero resoluto persentiet, vehementiusque vexabitur: sic animus qui Letheum materiæ flumen ingurgitauit, à deo omnium diuersissimum, stupore circa diuinorum sensum penitus occupatus, naturalis erga deum sitis tormenta non sentit: sed stupore tandem expulso, & acutissime sentit, & vehementissime cruciatur. Ac si quodammodo in vita cogitare possimus esse nos procul à deo, occupati tamen vitæ solatiis rarius hoc animaduertimus: & quãdo animaduertimus, speramus breui nos redituros ad patrem: ibi neque solatium miseros,
E neque spes vlla delectat: quod & Acheron dici potest. Auget pœnam, quòd sua se culpa tanto bono priuatos existimant: propterea sibiipsis perpetuo indignantur: quod Stygiis nomine significari potest. Accedit Tartarea locorum aut vili-
Tartarum Gabrielis um aut teterrimorum habitatio: ac tandem humani huius corporis cruciatus, qui in sensu Phlegethon, in animo Cocytus esse videtur.

De medio animorum statu præcipue secundum philosophos.

F SOlet de animabus illorum sæpe quæri, qui ante electionis ætatem è corporibus decesserunt. Plato scribit. Herum Pamphilium qui à morte surrexit, de aliorum statu animorũ multa & stupenda narrasse: de his autem alia quædam non multum memoria digna. Auicenna vero in metaphysicis, eos animos qui nondum vel bonum vel malũ habitum contraxerunt, ex diuinæ clementiæ largitate boni aliquid reportare. Nos igitur si philosophycis hac in re coniecturis liceret incidere, fortsitan diceremus ordine rerum ita currente, eiusmodi sortem illis quodammodo præter apparentem ordinem contigisse: sed à diuina sapientia, quæ nihil vsquam esse permittit ordinis totius expers, in ordinem quendam nobis quidem occultum, superis autem manifestissimum redigi. Quid si deus quemadmodum inter omnia extrema quæ inter se longissime distant, plura semper media interponit: ita inter ipsas beatissimorum miserrimorumque sortes, tanquam maxime omnium inter se distantes gradus, quàm plurimos interiecit? vt nõ pauciores in oc-

cultis animorum ordinibus, quam in manifestis, corporum gradus existerent, essentque hinc beatissimi multi: multi inde miserrimi: rursus hinc alij minus beati, inde alij miseri minus: omnium vero medij pariter, qui neque miseri sint proprie, neque beati? siquidē beatus est, qui diuinis in deo saporibus fruitur: miser vero, qui nusquam diuinum aliquē sentit odorem, semperque esurit. Minus autem inde beatus, qui in illo paucioribus fruitur. Vicissim minus hinc miser, qui esurit doletque minus. Medius tandem, qui in creatura quosdam creatoris sentit odores, viuitque odore contentus. Quamobrem dicent forte philosophi infantū animas non debere de diuina iustitia cōqueri: quia si forte facultate summi boni priuatæ sunt, etiam sunt extremi mali discrimine, liberatæ. Rursus probabile est non conqueri, si modo in perspicuitatē animæ nullis corporalium affectionum nubibus obfuscatam, lumen diuini solis naturalia creans, naturalium formarum influat plenum: eique vt Timæus inquit, ordinē vniuersi demonstret: atque simul ordinatorem in ordine, quantum ordo ipse capit ordinatoris: & hoc bono iubeat fa ciatque esse contentā. Itaque sicut in homine inter crassum corpus & animam spiritus est, atque in affectu dolorem inter & voluptatem est indolentia, item in ratione inter scientiam & ignorantiā opinio recta: rursus in vniuerso perspicua inter lucidū & opacū: sic in spiritibus segregatis esse videntur qui in cęlis tam luce quàm lumine dei beatè formētur: atque contra quibus circa terrā miserabiliter vtrunque desit. Inter hos autem in puriore aëre medij, quibus etsi non lux ipsa proprie: tamē lumen aspiret. Meminisse vero oportet, quod significamus aliàs, quemadmodum aliud est lux in sole permanens, aliud lumen inde manans, perque cuncta diffusum: aliud radius quidā oculis inde naturaliter insitus: sic aliud esse infinitam in deo lucem, per quam solam & deus seipso fruitur, & beatæ mentes diuina bonitate fruuntur: aliud commune lumen inde per omnes perspicuas mentes se abunde diffundens, per quod quasi creatum externumq; mentes singulæ (modo inde non diuertantur) creata cuncta conspiciunt: creatorem vero ipsum proprie in seipso nequaquam: nisi per lumen accensæ transferantur in lucem. Aliud radium quēdam iam singulis propriū, factumque ab initio

Beatus
Gl
miser
m
beatus
m
medius
H Nota

mentibus naturalem:in eiſque teſtantem quodammodo etiam inde diuerſis atque diſcedentibus.In gradu quidē primo beati ſunt:in ſecundo vero neque beati proprie, neque miſeri:modò hoc ipſo contenti viuant.In tertio denique animæ ſunt humanæ:ſiue corporibus ſiue corporeis affectibus alligatæ,atque ex hoc ipſo penè iam miſeræ: ſola verò ſpe quaſi felices. Miſerrimi vero ſub hoc ipſo gradu ſunt, quibus ſolus reſtat radius, atque ille quidem iam & caliginoſus & vrens,luciſque puræ fiducia deſtitutus. Forte vero Platonicus aliquis ita coniiciet.Si deus mentes primæ lucis gratia procreauit, atque ipſæ ad eam conſequendam tum diuinæ bonitatis agnitione,tum vel maximè amore parantur:quippe cū agnitio lumine inde formet, & amor hinc illuc luce reformet: veriſimile fore diuinam iuſtitiam velle nulli omnino mentium agnoſcendi amandiq́ue dei ſemper facultatem omnem occaſionemq́ue deeſſe. Quoniam vero multis ante rationis vſum morientibus, rurſuſque quibuſdam ab initio ſtolidis,vtrunq; maligna fati neceſſitate ſubtrahitur,ideo conſentaneum fore, facultatem eiuſmodi per diuinam prouidētiam vel in hac quandoque miro quodam pacto, vel in altera ſaltem vita rependi:nequis abſque propria culpa fine ſpeciei præcipuo careat. Quamobrem horū animas etſi hic nunquam, tamen à corporibus ſegregatas, in illo quod diximus lumine dum creatorem in creaturis agnoſcunt,tanto gradatim accendi creatoris amore,vt ad cōſequendam lucem certo quodam tempore diſponantur.tēpore inquam : quoniam ſolæ angelicæ mentes tanquam in æternitate totę,momento ſiue proficiant,ſiue deficiant:animæ verò quaſi iam naturaliter quodammodo ad temporalia declinātes,ſuam tempore operam peragant,ſed longiori quidē in corpore: extra verò corpus admodum breuiore: momento vero tum duntaxat, cum primum fuerint in angelicam ferme tranſlatæ naturam.Ac ſi animæ in purgatoriis conſtitutę ſuppliciis, quanuis in deteriori habitu locoque ſint,tamen ad beatitudinem vſque reſurgunt: nihil mirum videri debere,illorū animas in regione indolentię media,beatitudiniq́ue propinquiore poſitas,ad beatitudinē vſque poſſe proficere.Hæc de infantibus maxime philoſophi opinarentur.Verū de his qui ab ipſa natura omnino ſtolidi

I

K

de Infants 69

sunt, difficilior admodum quàm de infantibus quęstio esse videtur. Hi enim si diu vixerint, aliquem circa materiã (quę est infimum vniuersi) habitum contrahunt: qui à deo, quod est vniuersi summum, diuertere solet. Hic habitus animam comitãs etiam separatam, adhuc forte ad materiam vertit, atque interim auertit à deo. Beatitudo autem nullis nisi in deum conuersis conuenire censetur. At vero si hi miseri sunt cum conuerti nullo modo ad summum fato prohibẽte potuerint, nulla sua culpa sunt miseri: ac deus frustra conuerti A iussisset eos, qui non possent. Respondebit hic forte Peripateticus aliquis, in stultis ob nimiam phantasiæ ipsius intensionem rationem adeo vacauisse, vt non agendo habitũ non creauerit. Habitum verò proprium phantasiæ (qui non tam in anima est, quàm in corpore animato) cessare statim cõposito dissoluto: quo efficiatur vt mens statim, nullo prohibente naturali radio, conuertatur in deum: & diuinum lumen quod vbique adest accipiens accendatur: deinde amet accensa: & amando vehementius se conuertat: breui sque tẽpore nonnihil promerendo beatitudinem consequatur. Pla B tonici vero, qui habitum & in phantasia quodammodo remanente restare putant, & in rationem illi consentientem, si modo quicquã & tunc quidẽ coacta consenserit, inde transfundi: respondebunt oportere prius habitum ad opposita diuertentem omnino deleri, quàm superius erigatur. Sed in hoc delendo tum genij tum dei virtutem mirabiliter operari. Non enim sub diuina prouidentia minus consultũ prouisumque esse mentibus quàm corporibus. Igitur sicut corporibus ægrotantibus, vbi natura morbum non potest expellere, propriaque in sanitatem virtute redire, arte medicorum confirmata expellere consueuit: similiter & in mentibus quibus naturalis facultas corporei habitus expurgandi, reuisendique dei deest: omnipotẽtem medicum vel propria duntaxat virtute, vel ministrorum felicium ministerio feliciter vtrũque peragere. Neque id quidem ordine carere putabunt, vt diuina clementia quę maxime probatur in principe, hic apertissime luceat: dum & nullus absque culpa propria condemnatur: & qui extra culpam ad tempus meriti facultate priuatur, in facultatem quandoque diuinitus restituitur: facultatem inquam tutam: quę & aberrare nõ possit: &

breui multum deo adiuuãte promereatur. Hæc illi. Verum ne de pueris ſtultiſque pueriliter ſtulteque ſentiamus: ita iã concludendũ eſſe videtur. Huc nos ferme coniecturalis philoſophorum ducit via. Sed quoniam humana coniectio circa diuina ſæpe multumque fallitur, multo ſatius tutiuſque cenſemus, nos ſanctioribus apud Chriſtianos ducibus obedienti humilitate committere.

Concluſio.

POſtquam terminus vitæ non idem nobis atque cæteris animantibus eſt à deo tributus, quemadmodum primò communibus rationibus, ſecundò argumentationibus propriis, tertiò tum ſignis tum ſolutionibus quęſtionum oſtendimus: ſumma diligentia cauendum arbitror ne incertum hoc fugacis vitę momẽtum ſeculis infinitis anteponamus. Meminerimus autem, ſi ſapimus, non poſſe nos in æternum aut bene eſſe, aut perfecte viuere, aut feliciter intelligere: niſi eius formemur eſſentia, quo creante vt eſſemus accepimus: eius vita viuamus, quo afflante ſpiramus atque mouemur. Eiusintelligentia intelligamus ipſum, perque ipſum omnia, quo illuſtrante quotidie & creata cõſideramus, & quærimus creatorem. Perueniemus autem deo duce ad hunc gradum naturæ ſupremum, ſi modo ab ipſa materia, quæ naturæ gradus eſt infimus, affectum animi pro viribus ſegregabimus: vt quantum ab ea diſcedimus, tantum accedamus ad deum: & cui nunc poſthabito fallacis huius vitæ momento quoad poſſumus viuimus, tandem eius vita viuamus in æuum. Amen.

Auctoris proteſtatio de ſcriptis ſuis In omnibus quæ aut hic aut alibi à me tractantur, tantum aſſertum eſſe volo, quantum ab eccleſia comprobatur.

FINIS.

PARISIIS EX CALCOGRAPHIA
Ioannis Sauetier, Anno Salutis
Chriſtianæ.
1559.





